R. BIBLIOTECA NAZ. CENTR. VITT. EMAN. II
204
7 H
12
ROMA

Google

Digitized by Google

404-F-H-12

REVERENDISSIMI

P. FRANCISCI

BORDONI

PARMENSIS.

Digitized by Google

204-7-H-12

REVERENDISSIMI P. FRANCISCI BORDONI PARMENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS COLLEGIATI,

Utriuſque Juris Profeſſoris, Sanctæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, ac in Patria Conſultoris, in Epiſcopali Curia Examinatoris Synodalis, necnon Religionis Tertii Ordinis Sancti Franciſci Exgeneralis,

OPUS POSTHUMUM,

Conſiſtens in diverſis Meditationibus, ordine contexto ſuper Miraculorum eſſentiam, & qualitatem; quo faciliùs aperitur aditus ad Beatificationem, & Canonizationem Servorum Dei,

Diù à multis deſideratum; eò quia cauſam efficientem, materialem, finalem, & reliqua ſimillimè ad Miraculi rationem ſpectantia, luculentèr explicat: Variis doctrinis ditatum: Hiſtoriis, & ferè omnis generis eruditione refertum,

Cui ſubſequitur quædam Additio: AN DEUS FACIAT SEMPER ID, QUOD MELIUS EST? Controvertibilitèr ab Auctore digeſta; eluceſcere magis videtur;

Hæc enim in lucem nunc primò prodeunt unà cum ADUOCATO MULIERUM (contrà quendam Hæreticum) quæ probantur de ſpecie hominum; Paſſionis CHRISTI, ac æternæ ſalutis participes. Quem libellum ſcripſit vivens, dum Officio Generalatus adhuc fungeretur ipſe Auctor,


Non minori labore, quàm induſtria P. FRANCISCI ODOARDI MANCINI de Parma S. T. D. Collegiati, Exprovincialis, Examinatoriſque Synodalis, ac in Conventu Sanctæ MARIÆ Quarterii de præſenti Prioris perordinata, & in hunc modum ea meliori ſolicitudine, qua fuit poſſibilis, excerpta, cum brevi narratione mortalis vitæ Auctoris.

PARMÆ,

Typis Pauli Monti CIƆ IƆ CCIII.

SUB SIGNO FIDEI, CUM PRIVILEGIO.

1. 70



SANCTISSIMO, AC BEATISSIMO

Univerſalis Eccleſiæ Sanctæ Romanæ

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

CLEMENTI

UNDECIMO.

LIBER de Miraculis, Opus poſthumum Patris Franciſci Bordoni multiplici eruditione refertum, ad Te veluti ſpontè advolat, BEATISSIME PATER. Primùm quidem, quia cum

Digitized by Google

tum hic labor ab Auctore ſuſceptus ſit ad Canonizationem Sanctorum, ritè, rectèque perficiendam, quæ res ad PONTIFICEM SUMMUM maximè ſpectat; SUMMO PONTIFICI debuit dedicari. Deindè ſicut in cauſarum ordine res ab Auctore rerum omnium Deo ità ſunt conſtitutæ, ut peculiaribus deficientibus cauſis ad univerſales referantur effecta; ità hoc Opus proprio viduatum patre, quippè qui multis abhinc annis deceſſit, non alium debet agnoſcere, quàm eum, qui Univerſalis eſt totius Eccleſiæ Paſtor in terris, & Pater. Accedit his quoque ingenium illud tuum, quo virtute præditos Viros benignè foves, ac ſuſcipis: quæ me ratio in primis excitavit, ut Patris Bordoni Doctiſſimi Viri labores Tibi offerrem, ſperans fore, ut ea CLEMENTIA, qua mirum in modum & re, & nomine ſic eluces, non ſinè animi delectatione eos recipias: cum præſertim in hoc doctrinarum genere pleniſſimè ſis verſatus. Hac etiam ratione temeritatis nota cordatos Viros me liberaturos non dubito, qui dum in humili poſitus gradu, Te in excelſiſſimo humani generis faſtigio conſtitutum, auſus fuerim hujus Operis Patronum ſeligere. Scio Te nihil de meo accepturum, dum alieni offero labores ingenii: at voluntatem meam confido futurum, ut non reſpuas: nam, ut inquit Plinius; *Et Diis lacte ruſtici, & mola tantùm ſalſa litant, qui non habent thura*. Pedes Tuos non ſinè animi ſubmiſſione, & humilitate deoſculor, Deumque precor enixè, ut Te hoc difficillimo tempore ſervet incolumem, ad Eccleſiæ Romanæ, & Chriſtiani Gregis Univerſi fœlicitatem.

SANCTITATIS TUÆ

Humillimus, inutiliſq; Servus
F. Franciſcus Odoardus Mancini
Religionis Tertii Ord. S. Franc. Minim.

FACULTAS REVERENDISS. PATRIS GENERALIS TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI.

NOS FR. BONAVENTURA GUGLIERI *Aſſiſias S.T.Doct. Religionis Tertii Ordinis Sancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati Miniſter Generalis, & Servus.*

Admodum Reverendo Patri Magiſtro Franciſco Odoardo Mancini S.T.D. Collegiato Exprovinciali, necnon Examinatori Synodali, ac Noſtri Conventus Parmæ Priori babenti duos libros, in unum redactos; nempè: De Miraculis in ordine ad Canonizationem Sanctorum &c. Advocatumque Mulierum, quæ probantur de ſpecie hominum, Paſſionis Chriſti, ac æternæ ſalutis participes, &c. *ſtudio, & opera Reverendiſs. Patris Franciſci Bordoni Noſtri ejuſdem Ordinis Exgeneralis luculentèr elaboratos; virtute præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis, ſervandis, Typograpbo, ad imprimendum, tradat.*

Dat. Mediolani in Conventu Noſtro S. Mariæ Paradiſi die 18. *Decembris* 1702.

Fr. Bonaventura Guglieri Min. Gen.

Loco Sig. ✠

F. Jo: Baptiſta Pagani Secret. Gen.

FEria 4. *die* 10. *Auguſti* 1701. *Eminentiſſimi dixerunt, quòd præſens liber, prævia correctione, imprimatur.*

De mandato Reverendiſs. P. Magiſtri Fr. Jo: Baptiſtæ Pichi de Ancona, Inquiſitoris Generalis Parmæ, legi Librum, cui titulus: Pia Meditatio ſuper Miraculorum eſſentiam, & qualitatem, & quæcumque in illo doctè, perſpicuè, & ſubtilitèr agitantur expendens &c. *nihil Fidei, nihil Pietati, nihil probis moribus adverſum inveni, imò omnia ſacris Paginis conſona judicavi, & quod publicæ utilitati in lucem prodeant. Hac die* 26. *Septembris* 1702.

F. Carolus Franciſcus Fallettus Ordinis Prædicatorum Lector primarius in Collegio S. Petri M. Parmæ, & Sancti Officii Provic.

IMPRIMATUR

Fr. Jo: Baptiſta Pichi Inquiſitor Gen. Parmæ.

IMPRIMATUR

Aloyſius dalla Roſa Vic. Gen.

VIDIT

Petrus Aloyſius March. dalla Roſa Conſiliarius à Latere C.S.S. & P. Præſ. Cam.

Dum

Digitized by Google

Dum Parmenſis Typographus in principio hujus Libri : De Miraculis &c. *Prælo ſubmiſſo, ſcilicèt Anno nuper elapſo, tranſmiſit per Orbem Titulos hujus operis, monendo ſuos Contypographos : Unus ex his pervenit ad manus Literati Adoleſcentis Romæ, cujus Nomen apparet ſubſcriptum ad calcem ejus Poeticæ Compoſitionis, quam in laudem Auctoris, omnibus Literatis, ac Virtute præditis, elegantèr componens, tenuitati meæ, de Roma inexpectantèr in Epiſtola tranſmiſit. Itâ eſt, prout ſequitur.*

IN LODE
DELL' AUTORE
A' LETTERATI, E VIRTUOSI.

SONETTO.

DI CHRISTO il Sacro Stemma, ò Tu che reggi,
E Tu, ch' il giuſto all' huom dici ne Fori;
Tu ancorche note fai d'un Dio le leggi,
E Tu che i Sacri Arcani ogni hora eſplori.

Tu ch' alla Morte il piè fermar ti preggi,
Dal corpo human fugando i freddi humori,
E Tu qualunque di Virtù lampeggi,
Di Minerva tenendo i primi honori,

Fiſſa lo ſguardo in queſti fogli, e vedi,
Se al tuo ſaper oggi FRANCESCO inſegni,
E ſe il ſaper, il ſuo ſapere eccedi.

Queſti di tua Virtù ſaranno i ſegni,
Se mentre un' Opera tal leggi, e rivedi
Piamente meditar, quella non ſdegni.

Di Gio: Vittorio Mancini
Acca demico infecondo.

BREVIS

BREVIS NOTITIA
GESTORUM
MEMORABILIS VIRI
P. FRANCISCI BORDONI
PARMENSIS,

Nuper edita, occaſione Impreſſionis ejus voluminis manuſcripti de Miraculis, ut qui præmanibus, quaſi continuò, Sapientum in libris ubique terrarum videtur nobilitatus; etiam quo ad mores, perſonæque gradus (prout permittitur) omnibus, tanti Viri maximè inoteſcat ſua terreſtris peregrinatio. Ne Literarii ejus partus inter Catholicos appareant à perſona ipſa, fœcunda virtutibus, unquam degeneres.

I. CAſu nunc habuimus Iſtius primordia, quoad eſſe, dum ad indagandas de ipſo aliquorum ſcriptiones, tendebamur; Ejus ortum; & de quibus exierit ad lucem hujus ſæculi, parvicula notatio nobis (ſua manuſcripta) multum juvat; ut ad faciem, ſeù notitiam cujuſcunque parumper ſcribere valeamus.

II. Pater Franciſcus ergò Bordonus Parmenſis; in ſæculo Joannes: ortum habuit ex Joanne Franciſco de Bordonis Civitatis Parmæ, necnon Clementia de Attendulis, Florentina; die vigeſima quinta Menſis Aprilis, Anni Milleſimi quingenteſimi nonageſimi quinti; quo die baptizatus fuit. Hæc ille, ſua manu in parte ſcripſit.

III. Chriſtianè fuit educatus. Et quamvis eſſet in principio ſtudiorum aliqualitèr durus, in percipiendo regulas doctrinales; attamen excolendo frequentiùs memoriam, pari paſſu multùm profecit. Itaut in Gymnaſiis Patrum Societatis Jeſu, nondùm exacto tertio decimo ætatis ſuæ anno, honorarios gradus, diligentioris ſcilicèt, adeptus fuerit inter alios.

IV. In viſendis Eccleſiis, necnon inſerviendo Miſſis, multùm apparvit devotione, ac modeſtia plenus. Ideò multorum ſibi captivavit bene-

volentiam: ut aliis pueris pro exemplo proponeretur.

V. Vix completo quintodecimo Anno ætatis propriæ, ob ſingularem devotionem in Beatiſſimam Virginem, cujus Gratioſiſſima Effigies (quæ Sanctæ Mariæ Quarterii tunc venerabatur in Eccleſiola) petiit Abitum Religionis Tertii Ordinis Sancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, occaſione feſtivitatis tantæ Virginis, quæ jam celebratur quot Annis tertia Dominica Maii. Ideò admiſſus à Patribus, per manus Admodum Reverendi Patris Bonaventuræ de Muſis indutus fuit ſeptima die Februarii, Anni ſequentis milleſimi ſexcenteſimi decimi ſolemnitèr in Eccleſia Parochiali Sanctæ Mariæ Burgi Taſcherii, ubi conventualitèr eo tempore Patres Religionis morabantur. A quibus de Joanne quidem, in Fratrem Franciſcum nominatus fuit coram Populo, qui ad ſolemnes Veſperas convenerat.

VI. Connumeratus ergò hujuſmodi Religioſorum familiæ; fuit ſequenti die conſociatus, ad itinerandum, ut in locum Noviciatus, juxtà Eccleſiaſticas Ordinationes, duceretur. Quoque perventus, ſub diſciplina Magiſtri Noviciorum in Conventu Sanctæ Mariæ Poſgargani propè Terram Colleſcipionis in Umbria conſtitutus cum aliis; multùm in via obſervantiæ Regularis profecit; itaut Magiſtro ipſi non parum eſſet ſublevaminis, dum aliquandò pro inſtructione aliorum, minoris intelligentiæ, uſus fuerit.

VII. Completo namque annuali curiculo probationis, non minori exercitio mortificationis, quàm cæteris experimentis regularis diſciplinę inventus idoneus; ſuam ſolemnem Profeſſionem in manibus emiſit Admodum Reverendi Patris Hieronymi de Marchettis à Crema, tunc in Officio Superioris, hora quartadecima, quinto Idus Februarii, Anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi, Dominicæ Incarnationis.

VIII. Emiſſa deniq; Profeſſione, ſe multum dedit ſtudiis Philoſophiæ, ac Theologiæ, ſub diſciplina præceptorum, quaſi furando tempus, tempori nocturnis (ut ſolitus erat dicere) horis, quas etiam inſomnis, pro ſtudio, vigil inſumebat. Et ipſe, quamvis implicatus ab obedientia, ad quæſtuandum Religioſo more, à certis Superioribus, qui parvi pendebant ejus intelligentiam; ſæpè in viis percurrere ſcripta lectionum, quæ ſecùm ſemper habebat; à multis obſervatus, non parva, nec minori admiratione fuit.

IX. Et quantumvis acclamaretur à perſonis, indignè ferentibus, Juvenem ſtudiis deditum, ità onuſtari; attamen hujuſmodi laborioſa itineraria lætantèr ſubibat, quaſi ad æpulas invitaretur, quandò eleemoſynarum quæſtum ſui Superiores offerebant.

X. Creſcente ideò Juvene Franciſco in Scholaſticis Doctrinis; crevit in eo etiam Obſervantia regularis diſciplinæ, necnon ſingularis diligentia in exequendis Superiorum mandatis. Quare non paucam benevolentiam reportatus; In Conventu formali ſtudiorum ab ipſis collocari meruit, ut ibi eo præſtantiùs requiſita curricula ſcientiarum complere poſſet.

XI. Romæ, Parmæ, ac Placentiæ ſuſtinuit publicè tres Cathedras Philoſophiæ ſcilicèt, necnon Theologiæ laudabilitèr Anno milleſimo ſexcenteſimo decimonono, dum paulò ante in Lectorem nominatus, ac in

pluribus

pluribus diſputationibus, ſæpè argumentando; dedit non pauca teſtimonia ſuæ virtutis. Ideò in ejus laudem jureméritò quidam litteratus, ex noſtris benè valvit, exprimere;(a) *dum recto tramite; inceptumque ſtudium, inoffenſo pede percurrens, admirabilem unionem in operibus ſuis inter ſtudium, & Regularem Obſervantiam præſeferens*, teſtificatum apparet.

XII. Supradicto ſcilicèt Anno ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem etiam promotus die vigeſima prima Septembris; in Eccleſiola Divæ Mariæ Quarterii ſequenti die ſuum obtulit primò Sacrificium coram populi multitudine, qui frequentèr ad hujuſmodi Sacellum conveniebant. Attamen tali die major fuit concurſus, dum ſolemnitèr, ſparſum fuit: quòd Sacerdos novellus, ex Religioſis Sanctæ Mariæ, ſuam cantare primam diſpoſuerat Miſſam.

XIII. Anno vigeſimo primo ſuprà milleſimum, ſexcenteſimum, dieque undecima Februarii recepit Inſignia Theologalia Parmæ, ubi connumeratus inter Patres ejuſdem Collegii; meritis quidem præſtantior, longè ſemper fulſit, quàm ætate provectus, apparvit. Et dum in aliqualibus paulò poſt verſaretur ſcientiis, ab Epiſcopo Parmenſi miſſus ad concionandum in aliquibus Eccleſiis ſuæ Diœceſis; ſpontè ab hoc ſe abdicavit, ut in ſua ſolitudine potiùs ad moralia ſtudia incumberet.

XIV. Poſt celebrem tranſportationem Patrum Religionis factam de Conventu S.Mariȩ Burgi Taſcherii(dicto etiam à Populo, S.Geneſii Martyris) ad Conventum, & Eccleſiam novam Sanctæ Mariæ Quarterii Parmæ, ubi Religio in perpetuum eſt permanſura. Fuit Pater Franciſcus Bordonus electus in Priorem hujus Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, in cujus munere laudabilitèr ſe gerens; huic officio renunciavit, dum ſuffectus Mediolani Magiſter Novitiorum; non potuit in iſto per triennium quoque durare. Attamen denuò electus, mirum non fuit, dum triennio priùs Deffinitor Provincialis factus, & prudentèr ſibi ſpectabilia exercens, ad laborioſiora quoque ſubire, videretur.

XV. Completo in Prioratus officio circitèr hoc triennio (antequàm ad majora progrederetur) fuit à Reverendiſſimo Patre Thoma Petrobello Inquiſitori Generali Parmæ creatus Conſultor Theologus Sancti Officii Sacræ Inquiſitionis; ubi ad Congregationes conveniens, pluries reſplenduit claritas ejus puræ intelligentiæ; necnon maturitatis ingenii. Qua de cauſa profectus ad capitulum provinciale.

XVI. Anno quadrageſimo primo ſuprà ſextum decimum ſæculum noſtræ ſalutis; die octava Januarii electus fuit in Provincialem, plenis votis, Provinciȩ Bononiæ, quȩ jam experta exiſtens ejus prudentiſſimæ Idoneitatis, magnoperè concepit, quod in multis poſſet ei ſuffragare, dum in antedictis muneribus tàm benè reſplenduit ejus paterna erga Religioſos cura.

XVII. Et ne, pro ſcribentis libito, reputentur iſta; non inſolitum videbitur, ſi de hujus Viri Gubernio exprimantur aliqua de his, quæ in Epiſtola ſui funeris leguntur impreſſa. (b) *Quàm fuerit coram omnibus vigilantiſſimus ovium Paſtor; Zelantiſſimus Paupertatis amator; Deſtructor abuſuum; ſtudiorum Promotor*. Hæc jam veritas comprobavit, dum in multis Cœnobiis Provinciæ Bononienſis reſplendeſcere cæpit ſtudentium frequentia

(a) *Pater Fuzzius*. (b) *Epiſt.*

in literis

in literis, cum pari augmento religioſæ diſciplinæ. Qui fulgentes in Scholaſticis exercitiis (exemplo hujuſmodi Prælati ſui) uberimè in campis Minervæ; velut inſerti palmites, fructificarunt.

XVIII. Hunc Patrem Curia Epiſcopalis Parmæ ſibi elegit in Examinatorem Synodalem; ubi per annos multos fulgens, in examinando, ejus umaniſſima benignitas; ſivè admiſſi; ſivè repulſi, concurrentes; pari animo reverentèr ubique proſequebantur.

XIX. Hunc paritèr noſtra Religio Romæ in Comitiis Generalibus etiam in Deffinitorem Generalem volvit. In quo gradu magis, ac magis elucens notabilis ejus prudentia; non fruſtratoria viſa fuit Patrum electio; dum in explanatione multarum perdifficilimarum dificultatum reſplenduit ejus promptitudo.

XX. Anno paritèr Jubilæi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo acclamatus fuit in Romana Curia Procurator Generalis totius Religionis Tertii Ordinis Sancti Patris Franciſci, non minori diſpoſitione benignitatis Divinæ; quàm lætitia omnium, ut in Urbe, Orbique univerſo ſuæ ſapientiæ radii magis eluceſſerent.

XXI. Hoc veritas facillimè comprobavit. Nam Romæ perſonalitèr convolans, ut Superiorum nutibus promptè incumberet. Ibi ejus librum (quod Sacrum Tribunal Inquiſitionis Titulo inſcriptum) Typiſque ſubmittens, Sacræ Congregationi contrà hæreticam pravitatem dedicavit.

XXII. Quare ab hujuſmodi Univerſalis Inquiſitionis Sacrę Congregationis Emminentiſs Patribus benignè in honorem acceptus; illicò S. Officii Qualificatorem declaratus fuit. In quo gradu eo demiſſius apparvit: quantò in gratulatione tantorum; de facto, ejus Humilitas magis reſplenduit.

XXIII. Convocatis, nimirùm eo tempore pro Capitulo Generali Religionis, Patribus, nempè Anno quinquageſimo tertio ſuprà ſextumdecimum ſeculum; in Conventu S. Antonii de Padua Civitatis Aſſiſii, fuit canonicè in Generalem electus totius Religionis, unanimi Vocalium conſenſu, magis reſpuens; quam huic Dignitati aſpirans. Quodq; ſemper ei pœna fuit; quantumvis non à ſolitudine ſui ſtudii, maſſa curarum divertere valeret.

XXIV. Ad primam ergò noſtræ Religionis Dignitatem evectus, multa præbuit ſuæ Prudentiæ, necnon Vigilantiæ minoris exempla. Componebat ſiquidem animos fratrum promptitudine verborum; ne quaſi diſcriminantes inter ſe viderentur. Profuit aliis tantis præventione ſuperveniens, antequàm præcogitata rivalium ſuppeditarent, aut Cænobiorum, aut innocentium præcipitia.

XXV. Non ei fuit difficilè in uno ſexennio morali paſſu Religionem viſitare, in qua bis ad quoslibet Conventus perſonalitèr conveniens; præter aliquales Provincias, ob impetus Bellorum, ſivè aliorum pernicie malorum perterritus. Et quòd non potuit in perſona facere; ſua diligentia voluit, in ſcriptis fidelitèr ſibi demandari, ut omnium Conventuum, quæ tunc florebant in eſſe; futuris temporibus continuò ſub oculis poſterum in voluminibus impreſſa cernerentur.

XXVI. Hoc pro encomio tantæ ſedulitatis, qua pervolutavit, viſitando Cænobiorum intima, teſtantur Hiſtoria, cum Archivio Bullarum Volumina, prelo demandata. In his equidem leguntur Origines, Proventus

tus

rus, obligationes, unà cum Privilegiis, ac cæteris quibuſcunque ſpectantibus ad bonum Religionis, quæ tunc ſub tanto Miniſtro lætabundè florebat.

XXVII. Ea, quæ præbuit ſuis in Miniſterio conſodalibus, non tantùm in opere, verbo, atque ſcriptis, demonſtraverunt exemplaria virtutum; continuati undique boni mores; Regularis Obſervantiæ amor, & zelus. Non ſibi parcens; omnibuſque aliis potiùs favens, ut Paſtor bonus enituit.

XXVIII. Ipſe tàm Generalis, quàm Exgeneralis in omnibus contradictionibus, magis humilitate animi, quàm pravitate ſe offerens; multò faciliùs vicit; quandò minùs ad ſuperandas res, perdifficiles ipſi videbantur. In hoc quidem fuit expertus, quandò ad pedes Summi Pontificis Alexandri Septimi (ſanctæ memoriæ) ſupplex pro ſe (prout ego ex ejuſmet ore audivi) reportavit: *Non quidem tu es ille Bordonus, qui verſatus in his, quæ modò petis à nobis? Operare, qualitèr conſcientia tua dictat, dum pro tantis moralitèr ſcripſiſti.*

XXIX. Expeditus laudabilitèr ab Officio Generalatus, ad Cænobium ſuæ nativitatis Parmæ ſe reportans, ibi totalitèr ad ſcriptionem multorum voluminum, ex diverſis materiis; tàm in utroque jure, quàm ad morales, ſpiritualeſque, aut hiſtoriales compoſitiones perguſtavit. Non abſque detrimento Chori, aut cæterorum Regularis Obſervantiæ miniſteriorum, quibus interveniebat diligentèr, tàm ad ea, quæ ante lucano tempore fiunt; quàm in cæteris horis Mater Religio ad praxim exhibet filiis ſuis.

XXX. Raro ad conficiendum Sacrum ſe abſtinuit; & quamvis Exgeneralis ornatus etiam tantis, ac ſtupendis prærogativarum generibus; ſimpliciſſimi Sacerdotis (ne dicam minùs) ità in Choro, ac in cæteris congreſſibus liberrimè apparvit: quaſi non eſſet ille Bordonus, cui Minerva ſuggeſſerat fluenta non parva rutilantis Sapientiæ.

XXXI. Ex multis partibus confluebant Viri nobilitate non tàm illuſtres, quàm virtutibus, ut cum eo perdifficiles conferrent quæſtiones. Et ubi non valebant propria ingenii magnitudine; reportabant à promptitudine hujus, quaſi de ſcientiis nulla in ipſo, aut obſcuritas, vel faticoſa congeries videretur fuiſſe.

XXXII. Per duo completa circitèr luſtra Parmæ ſibi delectam præcucurrit manſionem; ſoli Deo ſerviens; literiſque vacans; multis de ſuis memorabile reliquit exemplum. Ubi varietate voluminum proviſione, ac ejus præcipuè ſcriptorum fœcundiſſima unicuique præbuit, pro capeſſenda virtute, oblectamenta. Ut quem non potuit de poſteris alloqui præſentem; continuò præmanibus revolvens volumina, ejus frueretur doctrina ſaltem.

XXXIII. Denique ad ſeptuageſimum ſeptimum pertingens ætatis curriculum, Religionis ſexageſimum; fuit per aliquot menſes præventus à morbo læthali, qui paulatim ſuccreſcendo in pectore ad intima ventriculi; ſivè ob deficientiam caloris; aut ex nimia occupatione in ſtudiis: multos in ipſo excitavit dolores. Et quamvis peritia Phyſicorum plurièsin applicandis remediis apparvit ſolicitior: attamen fruſtratoria ſe reddidit,

dum inſoleſcens magis morboſa materies;ad ultimum ſuæ vitæ terreſtris terminum ſeptimo Idus Auguſti,hora circitèr vigeſima, reduxit ipſum Patrem Franciſcum Bordonum,benè diſpoſitum;cui ego dixi ultimum in Domino, vale. Anno ſcilicèt ſeptuageſimo primo ſuprà milleſimum ſexcenteſimum, munitus Sacramentis Sanctæ Matris Eccleſiæ, nec non Benedictione Pontificali, quam ipſi contulit Illuſtriſſimus D. D. Carolus Nembrinus B. M. Epiſcopus Parmæ, qui eum perſonalitèr inviſit.

XXXIV. Hæc pauca de Optimo Viro Patre Franciſco Bordono Parmenſi, ad omnium notitiam, fidelitèr ſcripſi his ultimis temporibus; occaſione cujuſdam impreſſionis Voluminum, quæ de ſuo labore, necnon manuſcripta reliquit. Ne ſatis in oblivionem remaneant ea, quæ humanitèr celebrari poſſunt. Nam ego ad ejus obitum præſens, ob illius mihi datam ſuæ conſcientiæ confidentiam,(etiam uti Prior Conventus in Officio) Sacramenta, necnon cætera perſonali mea imbecillitate, ad honorem Magni Dei libentèr exhibui; magnaque mea cum lætabunda conſolatione miniſtratus ſum. Non pauca mihi, & cæteris relinquens exempla, religiosè vivendi; ut ſimillimè in extremis cum ipſo, dulcitèr invocando Jeſum, non terreat nos immanis ille ictus moriendi.

XXXV. Die ſequenti exanime ſuum Cadaver aſſociatum ab Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum Collegio Theologorum, in Eccleſia Sanctæ Mariæ Quarterii,non parvi pompa in mane deportatum fuit; quod ad viſendum numeroſus populus confluens: raras ejus virtutes omni libertate unus ad alterum inter ſe colloquebantur. Tandem expletis ſuper eum ſacris functionibus, in cornu Evangelii, effoſſa humo, in capſa lignea, cum aliquibus memoriis conditum fuit poſt meridiem. Ubi à Cæmentariis redactum ſubitò ad priſtinum ſuum eſſe pavimentum: Ceſſavit quidem illa multitudo concurſus; non verò memoria hujus tanti Viri apud omnes.

XXXVI. Pro die ſeptimo Depoſitionis (quæ fuit quartadecima ejuſdem currentis Auguſti feria quinta ſcilicèt) renovata fuit Sapientiſſimi Bordoni memoria, occaſione ſolemniarum, pro ſuffragio, exequiarum. Ubi ad Eccleſiam, lugubritèr, imò ſapientèr, pro eruditiſſimis Elogiis in obſequium Defuncti expoſitis, ornatam. Confluentes itidem ex multis partibus Viri docti, mœrentes ob perditam tanti Viri converſationem. Coram omnibus Antiquiſſimi Collegii Patribus Theologis equidem; ac Perſonis Illuſtribus, habuit Orationem elegantiſſimam Pater Franciſcus Maria Quatrofratrius Societatis Jeſu; quæ fuit impreſſa eodem Anno, unà cum cæteris compoſitionibus, Parmæ factis, occaſione hujuſmodi funeris, per Marium Vignam; necnon per eundem reimpreſſis Anno 1676. Ex quibus planè conſtat: qualitèr fuerit Patris Franciſci Bordoni Peregrinatio vitæ in terris; nonque diſſimilis evaſit ſua tranſmigratio ab humanis. Hæc ità ſcripſi ego Frater Franciſcus Odoardus de Mancinis, Religionis Tertii Ordinis Sancti Franciſci Parmæ, hac die decima Menſis Martii Anno Domini tertio ſuprà Milleſimum ſeptingenteſimum.

AD

AD LECTOREM.

NE *mireris, benevoliſſime Lector, dum inopinatè Sapientiſſimi Quondam Viri Patris FRANCISCI BORDONI Parmenſis, Religionis Tertii Ordinis Sancti Franciſci, Religioſi Profeſſi, Tibi emendicata ſermocinatione, repræſentatur in hoc ejus poſthumo Volumine, aliquid etiam de ſua in humanis literaria commoratio. Hæc nimirùm inſignita magis tali nomine: quàm mortalis vita, meo videri, mihi ſuggeſtum eſt, nominari. Si non elegantiam diſcernis in hoc texere modo; abſque tui diſcriminis diſpendio; imputa magis ariditati perſonæ, parvi expers; quàm voluntati ſatis fœcundæ, multùmque cupida, in paucis: tot, ac tanta repræſentari de Uno: quot ejus virtutes, ut ſydera in Orbe lucentia, coruſcare videntur. Teſtis apud te ſint Volumina, jam impreſſa; & nunc quæ à prælo calcata forent, ſivè in futuro (adjuvante Domino) præ manibus habebis. In his forſan reperies, non rapina uſurpatum, quod, convenientia, debitum fuit, perficere. Omnia in bonum percipe; ac ea benignitate, qua ornatum te conſidero, compatere; comprime, ac omni, qua poſſis charitate, perlege. Non curans errores, aut ea, quæ imperita manus, in meſſem non propriam*

ſe im-

ſe immiſcens; non abſque aliquo diſcrimine, aut laudis, vel operis, pauperula perſona immunis evadere poteſt. Sit denique Tibi carum, quod in Uno, hæc Triplicatum compegit; Non quidem confuſione materiarum; ſed ut clariùs innoteſcant ſcripta Sapientiſſimi BORDONI, *quæ per multa temporis luſtra in oblivione contuſa: Tineæculæ non paucæ dilataverunt ora, quaſi ad ultimam perniciem demoliri excogitarent. Sint hæc tibi ſatis, Deoque grates, at in Domino benè Vale.*

INDEX

INDEX
MEDITATIONUM
Cum ſuis Quæſtionibus.

MEDITATIO I. Quid ſit Miraculum, & de requiſitis ad ipſum.

1 *Quid importet nomen Miraculi?*
2 *Quid ſit miraculum in re?*
3 *An miraculum ſit opus ſupernaturale?*
4 *An de illius ratione ſit, quòd fiat in iſtanti?*
5 *An prodigium, portentum, & monſtrum ſint idem, quod miraculum?*
6 *An miracula eveniant ex neceſſitate, an ex Dei voluntate?*
7 *Quomodò gratia differat à miraculis?*
8 *An portenta, & prodigia ſint propriè miracula?*
9 *An ſit licitum petere miracula à Deo?*
10 *An ſit hæreticus negans miracula fieri à Deo, & Sanctis ejus?*
11 *An fides ſit neceſſaria in faciendis miraculis?*
12 *An ſpes ſit neceſſaria in faciendis miraculis?*
13 *An charitas quoque ſit neceſſaria?*
14 *An ad definiendum aliquid de fide, perveniant miracula?*
15 *An intrà Eccleſiam tantùm fiant miracula?*
16 *An detur majoritas, & minoritas graduum in miraculis?*
17 *An diverſa ſint genera miraculorum?*
18 *An ſint neceſſaria miracula?*
19 *An miracula diminuant de merito fidei?*

MEDITATIO II. De cauſa factiva miraculorum.

1 *An virtus infinita ſit neceſſaria ad facienda miracula?*
2 *An aliqua creatura poſſit facere miracula.*
3 *An Angelus bonus poſſit facere miracula?*
4 *An dæmones, qui ſunt Angeli mali, faciant miracula?*
5 *Quomodò Deus concurrat cum Angelis malis ad miracula?*
6 *An Antichriſtus faciat miracula?*
7 *An Chriſtus faciat miracula?*
8 *An Apoſtoli faciant miracula?*
9 *An Sancti, & Servi Dei faciant miracula?*
10 *An aliqua virtus ſupernaturalis ſit neceſſaria?*
11 *An hæc virtus ſit aliqua qualitas phyſica?*
12 *An ſit cauſa phyſica, vel moralis?*
13 *An hæc virtus miraculizandi ſit fundata in aliquo pacto?*
14 *An per potentiam obedientialem fiant miracula?*
15 *An mali homines poſſint facere miracula?*
16 *An Sancti faciant miracula in res à ſe diſtantes?*
17 *An Deus faciat immediatè per ſe miracula?*
18 *An oratio ſit neceſſaria in miraculis?*
19 *An Sancti præſciant futurum miraculum.*

20 *An Joannes Præcurſor fecerit miracula?*

21 *An Rex Franciæ ſanando à ſtrumis faciat miracula?*

22 *An Hæretici poſſint facere miracula?*

MEDITATIO III. De Miraculis Chriſti.

1 *An Chriſtus habuerit poteſtatem faciendi miracula?*

2 *An per unionem hypoſtaticam ea fecerit?*

3 *An per eam poteſtatem potuiſſet facere quæcumque miracula?*

4 *An eam poteſtatem ſuis diſcipulis communicaverit?*

5 *An miracula probent Chriſtum eſſe Deum?*

6 *An Apoſtoli ſecuti ſint Chriſtum propter miracula?*

7 *Quodnam inter ejus miracula fuerit primum?*

8 *Quot cæcos illuminaverit?*

9 *Quot mutis, & ſurdis reſtituerit loquelam, & auditum?*

10 *Quot dæmones ejecerit è corporibus hominum?*

11 *Quot mortuos revocaverit ad vitam?*

12 *An ambulaverit ſuper aquas?*

13 *De nonnullis aliis miraculis?*

14 *An Chriſtus per ſuum temperamentum fecerit miracula?*

15 *An per imaginationem miraculizaverit?*

MEDITATIO IV. An miracula ſint neceſſaria.

1 *An miracula ſint neceſſaria quo ad eorum eſſentiam, & exiſtentiam?*

2 *An diſcredens miraculis ſit hæreticus?*

3 *An ad cognoſcendam Dei Omnipotentiam ſint neceſſaria miracula?*

4 *An miracula fuerint neceſſaria Chriſto, ut cognoſceretur Deus?*

5 *An initio Eccleſiæ miracula fuerint neceſſaria?*

6 *An ad definitiones fidei prærequirantur miracula?*

7 *An pro Canonizatione Sanctorum requirantur miracula?*

MEDITATIO V. De Miraculis in Elementis.

De Miraculis in Terra, à num. 5. *ad* 17.

De Miraculis in Aqua, à num. 18. *ad* 39

De Miraculis in Aere, à num. 40. *ad* 49.

De Miraculis in Igne, à num. 50.

MEDITATIO VI. De Miraculis in corporibus cœleſtibus.

MEDITATIO VII. De Miraculis ex ſanitate.

1 *Quot conditiones requirantur, ut ſanatio dicatur miraculoſa?*

2 *An ſanatio contingat miraculoſa ſine invocatione Sanctorum.*

3 *An infirmus nolens miraculosè ſanari poſſit?*

4 *An Medicus, & Chirurgus examinandi ſint ſuper qualitate morbi?*

5 *An aliquod temporis ſpatium debeat mediare inter applicationem remedii, & miraculoſam ſanitatem?*

6 *An pallor, cicatrix, debilitas, &c. relicta poſt ſanationem tollant rationem miraculi.*

7 *An invocationem Sancti debeat ſequi miraculoſa ſanatio?*

8 *An à miraculis ſanitatis excludantur cauſæ ſecundæ?*

9 *An miraculum ſanitatis aliquandò contingat cum dolore?*

10 *An remedium aliquod adhibitum tollat rationem miraculi?*

11 *An reincidentia in eundem, vel alium morbum*

morbum tollat rationem miraculi?
12 *An in dubio judicandum ſit pro gratia, an pro miraculo?*
13 *De malo caduco.*
14 *De morbo paraliſiæ.*
15 *De morbo hydropiſiæ.*
16 *De morbo lepra.*
17 *De malis cancri, fiſtulæ, & ulceris.*
18 *De morbo herniæ.*
19 *De fluxu ſanguinis.*
20 *De febri quotidiana, tertiana, & quartana.*
21 *De dolore capitis, & dentium.*
22 *De miraculis circa membra debilitata ex diverſis morbis.*
23 *De membris præciſis miraculosè reſtitutis.*
24 *De ſanatione podagræ, & chiragræ miraculoſa.*
25 *An dementes miraculosè ſanentur?*

MEDITATIO VIII. De miraculoſa viſione cœcorum.

MEDITATIO IX. De miraculoſa locutione Mutorum.

MEDITATIO X. De miraculoſa auditione Surdorum.

MEDITATIO XI. De miraculoſa energumenorum liberatione.

MEDITATIO XII. De miraculoſa reſurrectione Mortuorum.

MEDITATIO XIII. De miraculoſa apparitione Sanctorum.

MEDITATIO XIV. An ratio miraculi locum habeat in prophetia?

MEDITATIO XV. De miraculoſis conceptibus, & de periculoſis partibus.

MEDITATIO XVI. De Jejuniis miraculoſis.

MEDITATIO XVII. De miraculoſa unione membrorum præciſorum Sanctorum Martyrum.

MEDITATIO XVIII. De Sonis, Vocibus, & Cantibus miraculoſis.

MEDITATIO XIX. De converſione miraculoſa unius rei in aliam.

MEDITATIO XX. De miraculoſa rerum multiplicatione.

MEDITATIO XXI. De rebus è cœlo divinitùs miſſis ſervis Dei.

MEDITATIO XXII. De miraculoſa liberatione carceratorum.

MEDITATIO XXIII. De miraculoſa ſepelitione ſervorum Dei.

MEDITATIO XXIV. De veneno miraculosè non nocente ſervis Dei.

MEDITATIO XXV. An incorruptio corporis humani ſit miraculoſa.

MEDITATIO XXVI. De Arboribus miraculosè florentibus, vel arentibus.

MEDITATIO XXVII. De lectione, & ſcriptione miraculoſa.

MEDITATIO XXVIII. De liquore miraculosè manante ex corporibus Sanctorum.

MEDITATIO XXIX. De miraculoſa inventione rerum perditarum.

MEDITATIO XXX. De miraculoſa præſervatione ab imminentibus periculis.

MEDI-

MEDITATIO XXXI. De modo formandi proceſſus miraculorum nondùm Beatificatorum.

1 *Ad quos ſpectat formare proceſſus Beatificandorum?*
2 *An Epiſcopus hanc poteſtatem delegare poſſit?*
3 *An Concilium Generale hos proceſſus formare poſſit?*
4 *An Cardinales, & Nuntii?*
5 *An Abbates, & Generales Ordinum?*
6 *An Epiſcopus, proceſſu completo, poſſit factum judicare, an ſit miraculoſum?*
7 *An judicatum poſſit publicare?*
8 *Qualis debeat eſſe Notarius rogatus de proceſſu?*
9 *An in proceſſu jam perfecto ſuppleri poſſint defectus?*
10 *An Clerici, & Regulares poſſint recipere relationes miraculorum, quamvis non poſſint formare de illis proceſſus?*
11 *Quomodò numeretur centenaria defunctorum?*
12 *An pœnæ de quibus in Bulla; ſint tantùm comminatoriæ?*
13 *An impreſſores librorum de his, qui exceſſerunt centenariam ſubiiciantur huic Bullæ?*
14 *An Auctores librorum imprimendorum ſint rei hujus Bullæ?*
15 *An Impreſſores librorum non excedentium centenariam, ſint tranſgreſſores hujus Bullæ, & Decretorum?*
16 *An ſit contraitum Decretis per appendentem tabellam, ſi ſtatim amoveatur à Sacriſta?*
17 *Quomodò nunc imprimendi ſint libri hiſtorici horum Dei ſervorum ſine tranſgreſſione Bullæ?*
18 *An in Oratoriis etiam privatis retineri poſſint eorum imagines?*
19 *An ſub prohibitione de miraculis comprehendantur etiam gratiæ?*
20 *An prædicantes miracula iſtorum, ſivè vera, ſivè falſa, incurrant pœnas aliquas?*
21 *An Decretum, ut non credatur Reſponſis S. Congr. niſi authenticis comprehendat omnia reſponſa?*
22 *Quomodò procedatu, rantequàm deveniatur ad Beatificationem, vel Canonizationem?*

MEDITATIO XXXII. De probatione Miraculorum per teſtes.

1 *Quot teſtes requirantur ad probationem miraculorum?*
2 *An quandoque unus teſtis ſufficiat?*
3 *An unico teſti ſit credendum cum adminiculis?*
4 *An unico teſti cum dicto ſervi Dei credatur?*
5 *An unicus teſtis cum voce, & fama publica probet?*
6 *An unicus ſufficiat ad probandum miracula in genere?*
7 *An credendum ſit aſſerenti miraculum eſſe factum in ſua perſona?*
8 *An teſtes debeant eſſe conteſtes? An ſufficiant ſingulares?*
9 *An ſinguli actus, & circunſtantiæ ſint probandæ?*
10 *An Medici, & Chirurgi probent?*
11 *Quales debeant eſſe teſtes?*
12 *An domeſtici, & familiares poſſint eſſe teſtes?*
13 *An Religioſi ſint teſtes idonei?*
14 *An ſit neceſſaria ſuperioris licentia?*
15 *An Moniales ſint teſtes idoneæ?*
16 *An teſtes debeant reddere rationem ſui dicti?*
17 *An debeant jurare?*
18 *An teſtes ſimul examinari poſſint?*
19 *An debeant eſſe omni exceptione majores?*
20 *An repetantur teſtes, & quomodò?*
21 *An per extenſum ſingulorum dicta ſint ſcribenda?*

ME-

MEDITATIO XXXIII. De recognitione, & approbatione miraculorum.

1 *An probari directè poſſint miracula?*
2 *Ad quos judices ſpectat ea probare?*
3 *Quomodò debeant illa examinare?*
4 *An Tridentinum diſponat de recognitione miraculorum, non ſolùm Sanctorum, ſed etiam ſervorum Dei?*
5 *An Tridentinum diſponat etiam de miraculis Beatorum?*
6 *Quid agat Epiſcopus, quandò vociferatur, Imaginem aliquam facere miracula?*
7 *An Tridentinum ſub nomine Epiſcopi approbantis miracula, comprehendantur etiam Superiores Regulares?*
8 *Quales debeant eſſe Theologi ab Epiſcopo vocandi in conſilium?*
9 *Quomodò recognoſcantur novæ Reliquiæ?*
10 *Quomodò probentur Reliquiæ Sanctorum?*

MEDITATIO XXXIV. De Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei.

1 *Quid ſit Canonizatio, & Beatificatio Servorum Dei?*
2 *In quibus conveniant, & differant?*
3 *An ſint ambæ in Eccleſia Dei antiquæ?*
4 *An Papa in eis errare poſſit?*
5 *An ſit de fide in his Papam errare non poſſe?*
6 *An ſit hæreticum dicere, Papam in his errare poſſe?*
7 *Quid ſit Beatificatio, ſeù Canonizatio virtualis, & interpretativa?*
8 *An ſit de fide, quòd Papa habeat poteſtatem canonizandi.*
9 *An Epiſcopus poſſit canonizare?*
10 *An Concilium ſaltem Generale poſſit canonizare?*
11 *An Collegium Cardinalium?*
12 *An Legatus à Latere?*
13 *An Papa in exercitio Canonizationis requirat conſilium Cardinalium?*
14 *Quis poſſit beatificari, & canonizari?*
15 *An infans poſſit his honorari?*
16 *An Sancti veteris Teſtamenti poſſint canonizari?*
17 *Quid requiratur pro Canonizatione Martyrum?*

MEDITATIO I.

Quid ſit Miraculum, & de requiſitis ad ipſum?

1 *Miraculum denominatur ab eo, quòd oculis mirum eſt.*
2 *Mirabile non ex ſubſtantia ſua, quam ex modo, quo fit.*
3 *Miraculum definitur.*
4 *Signum eſt.*
5 *Quod definitur à S. Auguſtino.*
6 *Signum triplicis generis ſecundum Statum.*
7 *Signum dicitur diverſimodè de Sacramentis, & Miraculis.*
8 *Senſibile eſt ad differentiam unionis hypoſtaticæ, & juſtificationis.*
9 *Arduum, & difficile eſt Miraculum.*
10 *Inſolitum eſt de ratione Miraculi.*
11 *Rarum pretioſum, & appetibile magis.*
12 *Sacramenta non inſolitè, ſed modo ſolito conferuntur.*
13 *Vires naturæ excedit miraculum, &*
14 *Quoad ſubſtantiam, & quoad modum.*
15 *Vires menſurantur ab ætate portantis.*
16 *Dæmones quandoq; faciunt mira, ſed non miracula.*
17 *A Deo ſolum ſunt miracula.*
18 *Miniſterio Creaturæ Deus operatur miracula.*
19 *Finis miraculorum bonus eſt, & multiplex.*
20 *Opus ſupernaturale eſt miraculum.*
21 *Supernaturale, & naturale diſtinguuntur per ordinem ad agens.*
22 *Vires totius naturæ excedit miraculum.*
23 *Miraculum aliquandò contrà naturam.*
24 *Interdùm ſecundum naturam.*
25 *Eſt contra naturam rerum, quod virgo pariat.*
26 *Effectus alii ſunt ſpeciales Dei, & ſunt miracula.*
27 *Alii communes cauſis ſecundis, & primæ.*
28 *Si iſti fiant in inſtanti ſunt miracula.*
29 *Chriſtus cæcos aliquandò in inſtanti, aliquando ſucceſſivè ſanavit.*
30 *Prodigium, & Portentum, & Monſtrum in quo differant à miraculis.*
31 *Voluntate, non neceſſitate fiunt miracula.*
32 *Gratia, & miraculum quomodò differant.*
33 *Portenta, & prodigia ſunt verè miracula.*
34 *Petere miracula eſt licitum.*
35 *Hæreticus eſt negans miracula in Eccleſia Dei.*
36 *Fides neceſſaria in faciendis miraculis.*
37 *Sinapis grano aſſimulatur magnitudo fidei.*
38 *Optans beneficium ex miraculo debet credere.*
39 *Fides ſpecialis in actu eſt neceſſaria.*
40 *Spes neceſſaria eſt ad miracula.*
41 *Caritas verò non.*

Digitized by Google

42 *Ad definitiones fidei non ſunt neceſſaria, prævia miracula?*
43 *Signa dantur infidelibus non fidelibus.*
44 *Miracula fiunt tantum intra Eccleſiam.*
45 *Luterus, & Calvinus nulla miracula fecerunt.*
46 *Gradus miraculorum duo ſunt.*
47 *Creatio mundi, & juſtificatio impii non ſunt miracula.*
48 *Miraculorum diverſa ſunt genera, vel ſecundùm materiam,*
49 *Vel ſecundùm operationem.*
50 *Miracula neceſſaria ad propagandam fidem initio Eccleſiæ.*
51 *Infidelibus dantur non fidelibus.*
52 *Non ſunt multiplicanda ſinè neceſſitate.*
53 *Timotheus cur miraculoſè non fuit ſanatus!*
54 *Credens in miraculorum meritum non habet.*

MEDITATIO I.

Initium cujuſcumq; rei tractandæ à definitione nominis, & rei capiendum eſt, igitùr *Miraculi* nomen, quod debet eſſe objectum, & materia, circà quam, Deo illuminante noſtrum intellectum, laborare intendimus mente, & calamo ad communem fidelium utilitatem, primo loco venit explicandum. Et quia debitus ordo in omnibus eſt ſervandus per quæſtiones, & earum reſponſiones procedendum eſt.

Quæres igitur 1. quid importet nomen *Miraculi*?

1 ℟. Nomen ejus componitur ex miro, & oculo, homines ſiquidèm videntes factum inſolitum trahuntur ab ejus admiratione, & obſtupeſcunt ſuper operibus inſolitis ſuprà ordinem naturæ apparentibus; miraculum ergò denominatur ab admiratione. Nonnnè fuit admirabile illud Chriſti, qui cum quinq; panibus, & duobus piſcibus ſatiavit quinq; mille homines, & poſtquàm manducaverunt diſcipuli, ipſo jubente, collegerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus ordeaceis, qui ſuperfluerunt jis, qui manducaverant. Joan. 6. à num. 5. ad 14. Quid hoc mirabilius? De admiratione in miraculis teſtantur, quatuor Evangeliſtæ, Matthæi 9. 33. *Et ejecto Dæmone, locutus eſt mutus, & miratæ ſunt turbæ.* Marci 10 36. *Et eò ampliùs mirabantur dicentes: omnia benè fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Lucæ 11. 14. *Locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Joannis cap. 7. 15. *Et mirabantur Judei dicentes: Quomodo literas ſcit, cum non didicerit.* Admiratio igitùr eſt effectus conſequens ad opus miraculoſè factum, quià cum eveniat prætèr rerum ordinem, cujus cauſa ſenſibus noſtris non apparet; mentibus noſtris admirationem, & ſtuporem ingerit, & eo magis, dum miniſterio hominis videtur fieri, quod ejus vires excedit; undè Joannes 19. 30. ſcribit: *In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis, unde ſit, & aperuit oculos meos.* Omnes ſciebant, hominem illum eſſe natum cœcum, & poſteà videre, ignorabant verò, qua virtute illi aperuiſſet oculos, & eo magis obtupeſcebant, quo videbant, Chriſtum nullam adhibuiſſe medicinam, neq; remedium malo proportionatum, & illuminativum, ſed potiùs improportionatum

tionatum

tionatum, & quod eſt admirabi-
lius excœcativum, cum oculos
cœci liniviſſet luto, quod me-
dium tantum abeſt, ut proſit,
quod potiùs obeſt, & deſtruit
virtutem viſivam. Admiratio igi-
2 tùr deducitur non tam ex opere
in ſe admirabili, quam ex modo,
quo miraculum contingit.

Quæres 2. Quid ſit miraculum
in re?

3 ℞. Eſt ſignum ſenſibile, arduum,
inſolitum excedens vires naturæ
à Deo factum miniſterio creatu-
ræ intellectualis ad bonum finem.
Ex hac definitione colligitur, ad
miraculum propriè acceptum re-
quiri octo conditiones *Prima*,
quòd ſit ſignum. *Secunda*, quòd
ſit ſenſibile. *Tertia*, quòd ſit ar-
duum. *Quarta*, quòd ſit inſoli-
tum. *Quinta*, quòd ſit excedens
vires naturæ. *Sexta*, quòd ſit à
Deo. *Septima*, quòd ſit ab eo-
dem miniſterio creaturæ intelle-
ctualis. *Octava* demum, quòd
ſit ad bonum finem. Singula ſunt
explicanda.

4 Prima conditio, quòd ſit ſi-
gnum, habetur Joan. 2. 11. *Hoc
fecit initium ſignorum Jeſus in Cana
Galileæ*. Quandò ſcilicèt conver-
tit aquam in vinum. Item cap. 4.
num. 54. *Hoc iterum ſecundum ſi-
gnum fecit Jeſus cum venit à Ga-
lilea in Judæam*. Quando ſanavit
filium Reguli de Capharnao.
Marci 16. 17. Miracula, quæ fa-
cturi erant Apoſtoli vocantur Si-
gna; Certum ergò eſt de fide,
quod miraculum eſt ſignum; &
probatur idem ex definitione ſi-
gni, quam tradit S. Auguſtinus
1. de Doctrina Chriſt. cap. 1. ab
omnibus receptus cum Scoto in
4. diſt. 6. q. 10. §. Et quod addu-
citur. *Eſt autem illud, quod præter*
5 *ſui cognitionem, quam ingerit ſenſi-
bus, facit, nos venire in cognitio-
nem alterius*. Scotus autem in eo-
dem libro diſt. 1. q. 2. §. Secundo
dico, dividit ſignum in rememo-
6 rativum, quod eſt præteritæ rei;
& prognoſticum, quod eſt rerum
futurarum; & in demonſtrati-
vum repræſentans rem præſen-
tem. Miraculum autem eſt ſi-
gnum non rememorativum, nec
prognoſticum, ſed tantùm de-
monſtrativum rei præſentis; in-
dicat enim ſeipſum prout fa-
ctum; dicitur ſenſibiliter, ut con-
verſio aquæ in vinum, & aliud
à ſe, nempè cauſam, ſcilicèt Deum
operantem illum mirabilem effe-
ctum; omnis enim effectus re-
præſentat ſuam cauſam, & qui-
dem in hoc ſenſu ſignum natura-
7 le dicitur, cum uterque cauſa ſci-
licèt, & effectus ſint quid natu-
rale; independens ſcilicèt ab ho-
minum voluntate, in quantùm
ſcilicèt condiſtinguuntur à ſigno
artificiali quatenus id dependet
à libera hominum voluntate, ut
ſignum ad Cauponam, quod &
dici poteſt morale inductum ex
more, & conſuetudine hominum;
ſupernaturale verò quo ad mo-
dum, & cauſam, quibus fit ſu-
prà vires naturæ. Et quamvis
Sacramenta dicantur ſigna, quæ
indicant gratiam, & ſuam cau-
ſam, non tamen ſunt ex hoc mi-
racula, quia licèt conveniant in
genere ſigni demonſtrativi, diſ-
ferunt tamen in modo, quia Sa-
cramenta ſunt ſigna practica non
ſolum ſignificantia, ſed etiam pro-
ductiva gratiæ, ac proindè ſigna
practica, & moralia quidem; mi-
racula vero ſunt & ipſa ſigna,
non moralia, ſed naturalia qua-
tenùs independentia à voluntate

A 2 mini-

miniſterii creaturę operantur, non
artificialia, ut ſigna Sacramento-
rum; nec miracula ſunt ſigna
practica, ſed merè ut ità dicam
ſpeculativa, quia non habent ra-
tionem operativi, & productivi,
cum ſpectentur ut producta; Sa-
cramenta verò uti cauſæ morales
ſunt ſigna operativa aliorum ef-
fectuum.

8 Secunda conditio eſt, ut mi-
raculum ſit tale ſignum, quod ſit
ſenſibile, & id deducitur ex effe-
ctu ejus admirationis, nam homo
de ſolis ſenſibilibus admirationem
habet, ergò neceſsè eſt, quod mi-
raculum ſit ſenſibile, ut trahat in
ſui admirationem: Et per hoc
miraculum diſtinguitur ab aliis
rebus, quæ excedunt vires natu-
ræ, ut unio hypoſtatica, gratia,
& hominis juſtificatio, tranſub-
ſtantiatio &c. quæ ſenſibus non
patent corporaliter, nemo enim
hominum in terra viator hæc mi-
ſteria videre poteſt.

9 Tertia conditio eſt, quod mi-
raculum habeat de ratione ardui,
& difficilis, ſivè in facto rei, ſivè
in modo. Nonnè arduum, & hæ-
roicum fuit miraculum ſaturandi
turbam quinque mille hominum
ex quinque panibus, & duobus
piſcibus, converſio aquę in vinum
&c. Quod ſit arduum exprimunt
*S. Auguſt. de utilitate cred. cap. 16.
Alenſis par. 2. ſummæ q. 24. membro
5. Sanct. Bonaventura lib. 1. Com-
pend. cap. 28. Contelorus cap. 6. de
Canoniz. Sanct. num. 4. Viguerius
de gratia divina cap. 9. §. 2. verſ. 1.
Paſqualig. ad Lauretum Francbum
num. 1178.*

10 Quarta conditio, quod ſit in-
ſolitum, non quia frequenter oc-
currere non poſſit, conſtat enim
initio Eccleſiæ evangelicæ Chri-
ſtum Dominum infinita feciſſe
miracula, & pariter Apoſtolos
Chriſtum ſecutos, quibus virtu-
tem dedit patrandi miracula, ut
legitur Marci cap. fin. num. 17. &
ſeq. tunc enim ad propagandam,
& confirmandam fidem erant ne-
ceſſaria; Sed quia regulariter, &
modo conſueto, & ordinario non
fiunt, nec ſequuntur curſum cau-
ſarum ſecundarum; Et ex cap.
11 legimus 24. diſt. 97. ex S. Hiero-
nymo, omne quod rarum eſt ap-
petitur, quia pretioſum, ut habet
ibi Gloſ. v. Paucitatem, quæ ha-
bet, quod raro accidit eſſe mira-
culum, & cap. 2. in fine diſt. 59.
Rarum omne eſt, quod magnum
eſt, meritò igitùr etiam ex hoc
capite miraculum dicitur ſignum
inſolitum ex ſua pretioſitate, &
12 magnitudine. Per hanc quoque
conditionem differt à Sacramen-
tis, & celebratione, quæ non ſunt
inſolita, nec raro, aut irregulari-
ter miniſtrantur, ſed ſæpiſſimè, &
totiès, quotiès fidelis indiget il-
lis, & modo ordinario, & con-
ſueto. De hac conditione præci-
tati cum D. Auguſtino *apud Sco-
tum in 1. ſent q. 2. Prolagi §. de octa-
vo, Contelorus cap. 16. n. 5.*

13 Quinta conditio eſt, quòd ex-
cedat vires naturæ, ità quòd nul-
la creatura ſivè angelica, ſivè hu-
mana illud pertingere poteſt ex
ſua arduitate, cum ſit extrà ea-
rum potentiam reſervatum ſub
dominio, & poteſtate altioris cau-
ſæ, quæ eſt Deus omnipotens.
Secernitur autem opus miraculo-
ſum à non miraculoſo per hoc,
quod, opus naturale eſt effectus
proportionatus ſuæ cauſæ natura-
li, cum ad invicem non ſe exce-
dant, ſed æquantur in ratione ef-
fectus, & cauſæ; miraculum verò

excedit

excedit virtutem cauſæ ſecundæ,
14 vel in ſubſtantia, vel in modo, quo fit. In ſubſtantia autem, vel quo ad factum, ut ajunt, quandò ſcilicèt, quovis modo ſpectatum non poteſt aliquo modo procedere à cauſa naturali, ut reſurrectio mortui, illuminatio cœci nati, reſtitutio pedis præciſi &c. in his cauſa ſecunda nihil poteſt, nec quo ad ſubſtantiam, nec quoad modum, quia utrumque eſt cauſæ ſecundæ impoſſibile. modo verò, quandò effectus quidem provenire poteſt à cauſa ſecunda in ratione ſubſtantiæ applicando e. g. remedia infirmo, ex quibus ſequitur paulatim applicatis ſanitas, quæ ſucceſſivè introducitur cum expulſione malorum humorum, tunc miraculum non eſt reſpectu ſanitatis recuperatæ, quia ſanitas & quoad ſubſtantiam, & quo ad modum ſucceſſionis ſanandi, eſt effectus naturalis non excedens virtutem cauſæ. Quod ſi infirmus in inſtanti ſivè cum applicatione remediorum, ſivè non, fiat totaliter ſanus, effectus iſte dicitur miraculum, quia non remedia, ſed Deus ſolus operatus eſt ſanitatem, ut colligitur ex illo modo ſanandi in inſtanti. Excedit ergò vires naturæ, cap. cum Martæ 6. de celebr. miſſar. §. Quæſiviſti, ibi *Cedit quippè natura miraculo, & virtus ſuprà conſuetudinem operatur* Ubi quod accidentia in conſecratione panis, & vini mutant ſubjectum, *Archid. in cap. Nec mirum 26. q. 1. Contelor. cap. 16. nu. 4. Tataretus in 3. diſt. 23. q. un. §. contra ſequitur Faber in 4. diſp. 5 num. 6. Barboſa alleg. 97. nu. 8. Paſqualig. ad Francbum nu. 1173.*

15 Obſervandum eſt pro clariori intelligentia hujus conditionis, quòd opus ut ſit miraculoſum, neceſſarium eſſe, quod excedat virtutem, non unius, vel alterius cauſæ, ſed ſingularum cauſarum ſecundarum; experientia enim conſtat, quod infans non poteſt ferre pondus ut decem, quod portat puber quatuordecim annorum, & vir majus pondus ſuſtinebit, quod illis erit impoſſibile; pondus ergo fit effectus portationis menſuratum cũ viribus portantium, undè ſi caſu accidat infantem portare ſaxum, quod nec adultus regere poteſt, certè hic apparet miraculum, niſi ſit illuſio dœmonis, & ſortilegium. Opus ergò, quod reſpectu unius eſt miraculum, reſpectu alterius eſt opus naturæ, dum ejus vires non excedit. Multa
16 quoque faciunt Angeli præſertim mali, quæ nobis videntur miracula, tamen non ſunt, niſi nobis mirabilia, quia non excedunt illorum vires; & quaſi in inſtanti aliquandó expulſis malis humoribus ſanant homines, id tamen miraculum non eſt, quia id non excedit eorum vires, ſciunt enim perfectè applicare activa paſſivis, & removere cauſas infirmitatis, & eorum operationes dicuntur ſortilegia ſanitatis, non miracula, quia non excedunt eorum vires, nec ordinantur ad bonum finem, quod eſt ultima conditio requiſita ad miraculum verum.

17 Sexta conditio miraculi eſt, quod ſit à Deo, quia ille ſolus eſt, qui mirabilia operatur, Pſal. 135. 4 *Qui facit mirabilia magna ſolus*. Ratio eſt, quia de ratione miraculi eſt, quòd excedit vires creaturæ, ergò ad ſui factionem requirit cauſam perfectiorem,

rem, & efficatiorem, quæ ſolus Deus eſt exiſtens ſuprà omnem naturæ ordinem, cujus auctor eſt. Sed de hac re in ſequenti Meditatione latiùs.

18 Septima conditio eſt, quod Deus miracula facit miniſterio creaturæ intellectualis, hoc eſt, Angelorum, & Hominum, ut conſtat ex Sacris Scripturis, Joan. 3. 2. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Miſit enim Moyſen ad Pharaonem ut populum ſuum liberaret, quod fecit, per eum multa, & ſtupenda miracula perpetrando cum ſua virga, ut legitur Exodi per totum. Et de hoc miniſterio ſermo erit pariter in ſequenti Meditatione.

19 Octava demum conditio eſt, ut finis, propter quem fiunt miracula, ſit bonus; ratio eſt, quia cum opus miraculorum à Deo ſpecialiter ſit, neceſſè eſt, quod rationem bonitatis à fine accipiat; omnia enim Dei opera ſunt bona, & perfecta. Finis autem propter quem fiunt miracula, eſt multiplex. *Primo* namquè fiebant initio Eccleſiæ ad propagandam, & confirmandam Catholicam Fidem, *Gloſ. v. Sedis Apoſtolicæ de Reliquiis, & Venerat. in* 6. ubi ait fieri ad corroborationem fidei; & ita eſt, ut colligitur *cap. ultim. Marci* 17. *Hoſt. in ſum. ibidem nu.* 3. *§. quartum eſt, Bellamera, in cap. Nec mirum* 16. *q.* 5. *num.* 8. *cum aliis Contel. cap.* 17. *nu.* 6. Noſtris temporibus cum fides ſit propagata, alii ſunt fines, undè *Secundo* miracula fiunt ad augmentum Dei cultum, in his enim Dei ſervi invocationibus, precibus, & orationibus miracula impetrantes Deum honorant, & aliis fidelibus occaſionem exhibent Deum colendi. *Tertio* fiunt miracula ad demonſtrandam ſervorum Dei ſanctitatem. *Quarto* fiunt ad utilitatem fidelium, dum infirmi ſanantur, cœci vident, mortui reſurgunt, &c. ad converſionem peccatorum, & infidelium &c. *Vide D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 2. *cum aliis Contelor. cap.* 17. *num.* 7. *Lauretus Franchus apud Paſqualig. num.* 1180. *& ſequent.* Ad rationem ergo miraculi unus, ex illis finibus ſufficit; ideò dixi, miraculum referri ad bonum finem, quicunque ille ſit, quare non eſt neceſſè, quod ea referantur ad corroborationem fidei, ut dixit *Molfeſius conſ.* 46. *nu.* 45. *aliis citatis Contelor. cap.* 17. *nu.* 7.

Quæres 3. An miraculum ſit opus ſupernaturale, ſeù præter naturam, totius naturæ ordinem excedens, vel ſecundum naturam, aut contra naturam?

20 ℟. Miraculum eſt opus ſupernaturale, excedens ordinem totius naturæ, quandoquè ſecundum naturam, interdum contra naturam.

21 Primum, quod ſit opus ſupernaturale, probatur, quia naturale, & ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicujus in ſeipſo, ſed per comparationem ad agens, Scotus tom. 8. in 4. diſt. 10. q. 8. n. 9. ergo illud opus, quod procedit à cauſa ſecunda, eſt opus naturale, quod verò procedit tantum à cauſa prima, eſt ſupernaturale; ſed miraculum à ſola cauſa prima procedit, ex dictis ſub cond. 7. & dicendis ſequenti Meditat. ergo eſt opus ſupernaturale; procedit enim à Deo, qui eſt cauſa ſupernaturalis.

22 Secundum, quod miraculum exce-

excedat ordinem totius naturæ, probatum fuit ſuprà ſub cond. 5. dum nullum connumeratur cum effectibus intrà ordinem ipſius naturæ; & licèt quandoquè aliquid mirabile videatur, non tamen ſemper miraculum eſt, ſed effectus ipſius naturæ, & intrà ejus ordinem, quia non excedit ejus vires, ideò Theologi cum S. Thoma part. 1. q. 110. art. 4. dicunt, quòd non ſufficit ad miraculum, quòd aliqua cauſa faciat aliquid, quod videtur eſſe extrà ordinem naturæ, ut ſi quis projiciat lapidem ſurſum, id eſt contra ordinem naturæ lapidis, quæ tendit ſecundùm ordinem naturæ deorſum, ſed neceſſarium eſt, quod ſit extrà ordinem totius naturæ; itaut nullam aliam poſſit habere cauſam, niſi ſolum Deum; id enim eſt eſſe extrà ordinem totius naturæ. Ita omnes cum *D. Thoma loco citato, & 2. 2. q. 178. art. 1. & 2. Archidiac. in cap. Nec mirum 26. q. 5. Malvetius de Canon. Sanct. dub. 3. nu. 4. cum aliis Contelor. cap. 17. nu. 2. & Paſqualig. num.* 1175. Miraculum ergò excedit non ſolùm ordinem naturæ, ſed etiam totius naturæ tam collectivè, quam diſtributivè, quia nec natura, nec hæc vel illa natura efficere poteſt miracula defectu omnipotentiæ, quæ neceſſaria eſt ad miraculizandum, ut dicam in ſequenti Meditat.

23 Tertium, quòd miracula quandoquè ſint ſecundùm naturam, hoc eſt bona, & conſervativa naturæ, apparet manifeſtè in reſuſcitatis, in cœcis videntibus, in mutis loquentibus, in infirmis ſanatis &c. Et in hoc nullam video difficultatem.

24 Quartum, quòd aliqua miracula ſint contrà naturam, patet etiam exemplo Ananiæ, & Saphiræ conjuges, qui nullo vim inferente ad necem, Dei judicio ſtatim corruerunt coram Petro eos objurgante de pretio defraudato, Act. cap. 5. Hoc docet *Ægidius Roman. in 2. diſt. 12. q. 2. dub. 13. & S. Bonaventura lib. 1. in compend. Theolog. ver. cap. 18. apud Contelor. cap. 16. n. 6.* Miracula ergò deſtructiva perſonæ ſunt contra naturã.

25 Aliis etiam modis miracula dicuntur eſſe contrà naturam, quamvis naturæ nullum fiat nocumentum, ſed aliquid eſt contrarium in eo, in quo fit miraculum, ut quòd virgo concipiat, & pariat, manente virginitatis integritate, calcare aquas, tendere ſurſum, &c.

Quæres 4. An de ratione miraculi ſit, quòd fiat in inſtanti?

26 ℞. Effectus miraculorum ſunt in duplici differentia, nam alii ita ſunt ardui, & impoſſibiles naturæ creatæ, ut ab ea attingi nullatenùs poſſint neque ſecundùm ſubſtantiam, neq; ſecundùm modum, ſed tantùm à Deo impetrari poſſunt à ſervis Dei; hujus generis ſunt revocare ad vitam mortuos, cæcos illuminare, claudos rectificare, ſurdis dare auditum, mutis loquelam, ſiſtere ſolem, transferre montem; ſuper hujuſmodi, & ſimilibus nulla virtus naturalis, nec humana, aut angelica poteſt, conſequenter quovis modo ſequatur effectus ſivè in inſtanti, ſivè ſucceſſivè dicitur miraculum, quia nulla alia cauſa in eis eſt aſſignabilis præter Deum, ergò ſunt verè tales effectus vera miracula, ita quòd non occurrit ulterius quærere ex induſtria, an creatura talium effectuum ſit particeps. Alii

Digitized by Google

Alii ſunt effectus poſſibiles à creatura, qui proindè communes ſunt ſecundis cauſis cum prima, ut ſanitas expulſa infirmitate, quandocunquè enim ſanitas probatur inducta remediis naturæ, & medicinæ, miraculum non eſt, ſed opus naturæ, & artis, quod tunc maximè apparet, quàndo per adhibita medicamina ſucceſſivè, & paulatim infirmus recuperat ſanitatem, nequè enim alio modo, & in inſtanti poteſt naturaliter ſanari infirmus.

28 Ad diſcernendum igitùr an effectus ſanitatis ſit miraculum, an ſolùm opus naturale, & artis, videndum eſt, an in inſtanti, an ſucceſſivè infirmus recuperavit ſanitatem, ſi in inſtanti, concluditur, talem effectum eſſe miraculum, quia forma ſanitatis inducta fuit ſinè diſpoſitionibus, quæ tempus, & ſucceſſionem petunt in ſubiecto, ut ad formam recipiendam diſponatur, cum à ſolo Deo forma ſinè diſpoſitionibus ſucceſſivis inducatur in ſubiectum. Si verò ſucceſſivè, probatur effectus tantùm naturalis, quia creatura ſucceſſivè operatur diſponendo materiam ad receptionem formæ.

29 Hinc eſt, quod Chriſtus aliquandò cœcos illuminavit in inſtanti aliquandò ſucceſſivè, quia illuminatio eſt effectus, qui à ſolo Deo provenire poteſt, cum excedat vires naturæ ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm modū. Chriſtus autem cœcum Bethſaidæ ſucceſſivè illuminavit apud Marcum 8. 22. Alios verò duos in inſtanti fecit lumen videre, Matth. cap. 20. ad finem, ibi: *Tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt.*

Hanc diſtinctionem *Contelor. cap. 17. num. 10. Verſ. ſed ego, collegit ex Malvetio de Canon. Sanct. Rub 3. nu. 51. & Molfeſio conſ. 46. num. 56. §. ita dicamus*, poſtquàm duas retulit opiniones, quarum *prima* tenet, factionem miraculi inſtantaneam eſſe de ejus ratione multis relatis exemplis utriuſque Teſtamenti, quam tenet *Toſtatus in Matthæum cap. 8. q. 15. & Rota in relatione Sanctorum Raymundi, Caroli, Corſini, Paſchalis, & Tereſiæ*. Poſterior, quæ eſt communior, docet non eſſe neceſſarium ad miraculum, ut fiat in inſtanti; & probatur de miraculis factis à Deo miniſterio Moyſis, quando eduxit populum de populo barbaro, ut videri poteſt Exodi cap. 10. & 14. & de miraculo Eliſæi 3. Reg. 17. & Eliæ 4. Reg. 4. in quibus locis miracula narrantur facta ſucceſſivè Hanc ſequuntur *Archid. in cap. Nec minum 26. q. 5. num. 8. Bellamera nu. 5. Panvin. in Relat S. Bonaventuræ par. 2. art. 5. Martin. Laud de Canon. S. Bernardini, cum aliis apud dictum Contelorum*. Sed allata diſtinctione facilè partes conciliantur, ut ratio inſtantis requiratur, ubi agitur de effectu, qui poteſt procedere etiam à cauſa ſecunda, non verò, quandò cauſa ſecunda partem habere non poteſt in effectu, quia tunc non eſt opus requirere an fuerit factum in inſtanti, vel ſucceſſivè, dum conſtat, ab alio provenire non potuiſſe, niſi à ſolo Deo. Sed de hac, quomodò infirmus dicatur in inſtanti ſanatus ſermo erit infra Meditat. 7. de Miraculis ſanitatis.

Quæres 5. An Prodigium, Portentum, & Monſtrum ſint aliquid

aliquid aliud à Miraculo, an idem cum ipſo?

30 ℟. Hæc tria in re non differunt, quia ſunt ſigna inſolita à Deo cauſata ad bonum finem; Sed quoad modum ſignificandi in eo differunt, quòd miraculum præfert admirationem, & ſtuporem ex facto præſenti; prodigium, & portentum ſunt quidem ſigna inſolita à Deo cauſata ad bonum finem, ut homines eorum terrore perterriti reſcipiſcant, & à malis retrahantur, non admirationem, nec ſtuporem, ut miracula, ſed timorem, & terrorem ingerunt mentibus hominum. Prodigia ergo, & portenta portant, & prædicant aliquod malum futurum, de quibus fit mentio in ſacra Scriptura: duo referam exempla, unum Joſve 24. 5. *Miſitquè Moyſen, & Aaron, & percuſſit Ægyptum multis ſignis, atquè portentis*. Alterum act. 2. 19. *Dabo prodigia in cœlum ſurſùm, & ſigna in terra deorſùm ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi, ſol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem*. Hæc accident antequàm veniat dies judicii univerſalis. Terrorem ergò incutiunt portenta, & prodigia; miracula ſolam admirationẽ. Monſtra demum ſunt opera naturæ, quæ in aliquo vel deficiunt, ut carens manu, pede &c. vel ſuperabundant, ut habens ſex digitos, duo capita &c. de quibus Ariſt. 2. *Phyſic. tex.* 82. *lib.* 4. *de generat. animal. cap.* 4. *Scotus in* 4. *diſtinctione* 6. *quæſt.* 2. *verſu De quarto membro, tom.* 8. *apud Vadnig. num.* 7. *cum ſeq. Meldul. diſp.* 7. *Phyſ. art.* 2. *num.* 19. Eſt autem monſtrum effectus caſualis reſpectu cauſæ impeditæ, quæ monſtrum non intendit, ſicut cauſa impediens, quæ ex directo illud intendit. Sed hæc ſatis, quia monſtrum nullatenus habet rationem miraculi, cum ſit à natura, cujus vires non excedit, quamvis alioquin ſit res mirabilis.

Quæres 6. An miracula eveniant ex neceſſitate, an ex voluntate Dei?

31 ℟. Nihil ex parte Dei fit ex neceſſitate, cum à nulla creatura cogi poſſit, ſed omnia ad extrà operatur; ex parte verò creaturæ neceſſario fiunt neceſſitate finis, quia ordinantur ad aliquod bonum creaturæ, in cujus gratiam fiunt. Habes hujus exemplum Pauli Apoſtoli, qui excæcavit Elimam Magum ad tempus; quia quærebat avertere Sergium Proconſulem à fide, quo miraculo edito, ſtatim ſe convertit Act. 13. num. 12. De neceſſitate miraculorum infra Medit. 4.

Quæres 7. Quid ſit Gratia? Et quomodo differat à miraculo?

32 ℟. Gratia eſt beneficium à Deo ex ſpeciali ejus liberalitate, & benevolentia, concurſu ordinario cauſarum ſecundarum, ſucceſſivè factum, quo à malo liberatur petens ſibi, vel alteri gratiam invocatione ipſius Dei, ſeù ejus Sanctorum. Singulas particulas explicabo, ex quibus utriuſque differentia colligetur.

Dixi primo, quod gratia, eſt beneficium; quia per eam homo liberatur à malo, quod patitur, vel timet, ut à morbo, ab invaſione, à naufragio, à pluvia &c. Et in hoc differt à miraculo, de cujus ratione non eſt beneficium, nam quandoquè habet pro objecto maleficium, & mors, ut di-

B xi ſub

xi ſub nu. 24. de miraculoſa morte Ananiæ, & Saphiræ, & num. 31. de excœcatione Elimæ Magi; interdum habet pro objecto rem indifferentem, ut fuit exercitus miraculoſus pendens in aere Machab. 2. cap 5.

Dixi ſecundo à Deo factum concurſu ordinario cauſarum ſecundarum, quia talis modus benefaciendi non excedit vires naturæ; quando in operando Deus ſe accommodat cauſis ſecundis. Et in hoc quoquè differt à miraculo, quod à ſolo Deo procedit ſine conſortio creaturæ, cujus vires opus miraculoſum excedit. Undè effectus miraculoſus à gratioſo differt, non ſolùm in eo, quòd illum ſolus Deus operatur, hunc verò cum creatura jure ordinario; verùm etiam, quia miraculoſus eſt ſupernaturalis; gratioſus verò naturalis in eo, quòd naturale, & ſupernaturale, ut dixi ſupra ſub nu. 21. diſtinguunt alicujus naturam non in ſeipſo, ſed per comparationem ad agens, ità quòd effectus à ſolo Deo procedens appellatur ſupernaturalis, quia excedit vires naturæ, proveniens verò ex utriuſque concurſu dicitur naturalis, quia non excedit vires naturæ, dum cauſa creata cum Deo phyſicè operatur.

Dixi tertio, beneficium gratiæ ſucceſſivè fieri, quia cum creatura cum Deo etiam concurrens non poſſit in inſtanti operari circà aliquod ſubjectum, quod ad formam debet diſponi ſucceſſivè ex conditione qualitatum diſpoſitivarum, non poteſt, inquam, in inſtanti operari, ideò Deus volendo cum ea concurrere ſe accommodat ejus viribus, & ſic cum ea ſucceſſivè operatur. Et in hoc etiam differt à miraculo, quod utroque modo contingere poteſt, ut plurimum in inſtanti, quando etiam ſucceſſivè, ut in cœco paulatim vidente, juxta dicta q. 4. nu. 29. Gratia autem tantùm ſucceſſivè fit.

Dixi quarto, ex ſpeciali Dei, & Sanctorum ejus benevolentia, liberalitate, quia cum hujus generis gratia habeat rationem beneficii, non debet procedere eo prorſus modo, quo cæteri effectus naturales procedentes à Deo ſecundùm generalem concurſum, quo Deus operatur cum cauſis ſecundis, ſed ex hac ſpeciali benevolentia ergà beneficiatum movetur Deus, & Sancti ejus ad implorandum beneficium petitum. Gratia ergò tale eſt beneficium, quod procedit ex ſpeciali liberalitate, & benevolentia Dei; non verò ex generali, & univerſali providentia, qua Deus mundum gubernat. Nec hoc ponit aliquam ſupernaturalitatem in effectu gratioſo, nec tollit ab eo naturalitatem, cum à Deo procedat concurſu cauſarum ſecundarum. Et hac ratione differt etiam ab aliis beneficiis, quæ Deus quotidiè concurſu cauſarum ſecundarum confert creaturis ut ſanitas, ſerenitas, pluviæ, calor, frigus &c. quia proveniunt ex generali Dei provideutia, non ex ſpeciali benevolentia, ſicut hujuſmodi gratiæ. Vide Paſqualig. ad Franchum num. 1202.

Dixi quinto, quo à malo liberatur beneficiatus, quia gratia pro objecto habet liberationem à malo; in hoc enim cognoſcitur beneficium collatum, ut à maleficio liberetur, vel præſervativè evi-

evitando malum, ne incurratur, vel ſublevativè, cum de infirmo fit ſanus. Nomine autem mali intelligo malnm non culpæ, ſed pœnæ; ut mortis percuſſionis, naufragii, tempeſtatis, &c. lato pœnæ vocabulo accepto pro quovis incommodo, & periculo, quod homini poteſt imminere.

Dixi ſexto petenti, quia beneficium hoc petendum eſt ut ſit gratia, juxta illud Domini: *Petite, & accipietis*, à Domino autem, & Sanctis ejus gratia eſt petenda cum fide, ut Deus moveatur ex ſua benignitate ad illam conferendam petentibus, ſi illam merentur de congruo. Et per hoc gratia diſtinguitur ab aliis beneficiis, quæ Deus confert quotidiè creaturis non petentibus. Immò & à miraculo, de cujus ratione non eſt, ut petantur invocatione ipſius Dei, vel Sanctorum; ut patet de miraculis maleficioſis, portentoſis &c.

Colligitur ex hactenus dictis differentia inter miraculum, & gratiam, quòd miraculum non eſt beneficium, ſicut gratia; nec fit ex concurſu utriuſque cauſæ, ſicut gratia; excedit vires totius naturæ, non verò gratia, quæ acquiritur viribus naturæ; miraculum ideò eſt opus ſupernaturale, gratia effectus naturalis, per quod etiàm differt à gratia gratis data, & gratum faciente; miraculum non habet pro ratione, quod in eo præveniat imploratio divini auxilii, & invocatio Sanctorum, ſicut gratia. Demum miracula alia fiunt in inſtanti, alia ſucceſſivè, gratia tantùm ſucceſſivè, & ex his patet lata differentia inter utrumque.

Scio, Genuenſem cap. 49. nu. 1. Lauretum Franchum apud Paſqualig. num. 1201. cum aliis Dianam par. 1. tract. 17. reſol. 44. hanc puram diſtinctionem inter utrumque ponere, quod miraculum fit in inſtanti; gratia verò ſucceſſivè, ponere, quæ tamen non poteſt ſuſtineri, niſi ſupradictis ſit impinguata, cum in concurſu utriuſque poſſit dari ſucceſſio, & ſic non diſcerni miraculum à gratia, nec gratia à miraculo, niſi aliundè deſumatur differentia, quæ ex prædictis combinationibus ſufficientèr colligi poteſt.

Quæres 8. An portenta, & prodigia, quæ potiùs terrorem hominibus, quam beneficia afferunt, ſint propriè miracula?

13 ℟. Affirmativè, quia eis tota definitio miraculi competit, nam ſunt ſigna, & quidem ardua, ac inſolita, excedentia vires naturæ à ſolo Deo provenientia, & ad bonum finem; licèt enim alicui inferant nocumentum, ut excœcatio Sauli, & Elimæ, ſubitanea mors Ananiæ, & Saphiræ ejus uxoris; aliis tamen proſunt, in quorum utilitatem Deus facit; excœcavit enim Saulum, ut fieret de perſecutore vas electionis, & prædicator gentium; cæcitas Elimæ fuit illuminatio Sergii Proconſulis ex dictis q. 6. Subitanea mors illorum conjugum fuit in exemplum aliorum, qui veniebant ad fidem, ne deciperent ſuos ſuperiores, nec divitias affectarent in hoc ſeculo. Igitur, quod aliqua ſigna præſeferant aliquid utilitatis, alia nocumenti, & infortunii, non tollunt rationem miraculi, cum illæ ſint rationes inferiores, dividentes, non

conſtituentes miraculum in ratione miraculi, quod adhuc habet finem bonum, & utilem, dum à Deo ordinatur ad varios fines homini utiles, ut dixi ſub q.2. cond.8.

Quæres 9. An licitum ſit petere miracula à Deo.

34 ℞. Licitum eſt *ex* legitima cauſa, & debito ordine petere miraculum à Deo e.g. infirmus gravi morbo oppreſſus, adhibitis remediis naturalibus, non proficientibus, poteſt à Deo petere gratiam ſanitatis, quia tunc habet legitimam cauſam obſecrandi Deum fundatam in ſanitate ſperata, quæ ab omnibus naturaliter appetitur, cum tendat in conſervationem perſonæ, ſi debito ordine, & modo petatur. Quod ſi peteret ex miraculo ſanitatem prætermiſſis ordinariis remediis, irregularis, & præſumptuoſa eſſet petitio, atque temeraria. Item quis licitè poteſt à Deo poſtulare miracula pro converſione infidelium, hæreticorum, & peccatorum, quia optimum finem ſibi proponit, à quo ſpecificatur petitio miraculi. Petens verò inania, & alia in ordine ad curioſitatem, vel ad capiendum experimentum, an Deus, vel aliquis Sanctus poſſit præſtare, quod petitur, ſinè dubio graviter peccat, quia id non eſt petere miraculum, ſed tentare Deum, & ejus Sanctos, quod etiam tendit in incredulitatem divinarum perſonarum, & contrà interceſſionem Sanctorum. Ita omnes *Angel. V. Tentare n.2. Silv. ibidem, Leſſius lib. 2. cap.45. initio.*

Quæres 10. An negans miracula fieri à Deo, & Sanctis ejus ſit hæreticus?

35 ℞. Affirmativè ex 1. ad Corinth. 12. 9. *Alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum.* Quæ verba referuntur ad miracula ex communi doctrina Sanctorum Patrum. Fuit error Valdenſium non dari miracula in Eccleſia Dei, quod eſſe hæreticum manifeſtum eſt, cum plurima legantur miracula facta tum in veteri, tum in novo Teſtamento, contrà illorum errores ſtabilivit Sacrum Concilium Tridentinum ſeſs.25. in titulo de invocat. Sanct.

Quæres 11. An fides ſit neceſſaria in faciendis miraculis, & recipiendis eorum beneficiis.

36 ℞. Fides neceſſaria eſt ſimplicitèr ex parte Servi Dei facientis miraculum; ità etiam regularitèr ex parte creaturæ rationalis adultæ recipientis beneficium miraculi, præcipuè ſi eadem fuerit invocans auxilium Divinum, non ſolùm in genere credendo ea, quæ ſpectant ad Fidem Catholicam, ſed etiam in actu credendo ſpecialitèr, quod Deus poteſt facere miraculum, quod deſideratur in beneficium proprium, vel proximi.

Prima pars de fide ex parte petentis beneficium miraculi probatur de fide Joan. cap.14. nu.12. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Major autem pars operum Chriſti erant Miracula, ergò ad ea eſt neceſſaria fides, in faciente. Matth. 17. num. 18. & 19. Diſcipulis interrogantibus cur non potuiſſent ejicere dæmonium à vexato reſpondit: *Propter incredulitatem veſtram. Amen quippè dico vobis: Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis dicetis monti huic,*

huic. Tranſi hinc, illuc; & trăſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Apoſtoli hoc audientes, à Chriſto petierunt augmentum fidei, Lucæ 17.5. Et dixeruut Domino: *Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus. Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transſplantare in mare,*
37 *& obediet vobis*. Fides eorum, qui miracula ſunt facturi, aſſimulatur grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus, creſcendo autem fit major omnibus oleribus, & fit arbor, magna ergò fides in ſervis Dei debet eſſe ſicut Sinapis Matth. 13. num. 32. Hanc fidem habuit S. Gregorius Thaumaturgus Neoceſareæ Ponti Epiſcopus, teſtè Beda lib. 3. in c. 11: Marci, qui volens ædificare Eccleſiam in loco apto, ſed nimis ſtrictè propter montem adhærentem; precibus montem tranſtulit alio, ut locus eſſet Eccleſiæ.

38 Secunda pars de fide ejus, qui recipit beneficium miraculi, probatur de fide ex ſacris literis, nam Marci 2. num. 5. & 13. Chriſtus ſanavit paraliticum, eo quòd cognovit fidem illius, & eorum, qui infirmum portabant. Chriſtus Matth. 15. 28. ſanavit filiam Cananeæ, quia magnam habebat fidem. De puero Centurionis Matth. 8. 13. ſanato juxtà menſuram fidei, quam habebat erga Chriſtum. Puer Centurionis, qui magnam habebat fidem Matth. 8. 10. illicò ſanatur. Cœcus verò Marci 8. 22. paulatìm ſanatus fuit, quia modicam habebat fidem. Et Chriſtus Marci 4. 36. increpavit diſcipulos: *Quid timidi eſtis, nec habetis fidem*. Qui dubitabant ſuffocari in mari orta magna procella. Petrus cœpit ambulare ſuper aquas, Matth. 14. 31. & quia modicam habebat fidem cœpit mergi, ideò non meruit perficere miraculum pergendo ſuper aquas.

39 Tertia pars de fide in actu miraculorum, quòd ſcilicèt non ſufficit eſſe fidelis, ſed præterea oportet credere Deum operari poſſe miraculum, & beneficium, quod ſpecialitèr petitur, pariter de fide eſt, Matth. 9. 28. *Creditis, quia ego poſſum facere vobis? Dicunt ei. Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis, & aperti ſunt oculi eorum*. Matth. 8. 2. *Si vis, potes me mundare*. Credebat leproſus ſpecialitèr, ideò mundatus fuit. Et id deducitur ex ſupradictis auctoritatibus.

Quæres 12. An ad miracula ſit neceſſaria ſpes tam ex parte petentis beneficium miraculi, quam ex parte recipientis?

40 ℟. Affirmativè. Tum quia abſurdum eſt petere, & deſiderare, quod quis non ſperat. Tum quia objectum ſpei eſt bonum arduū, poſſibile tamen; ſed miracula computantur inter bona ardua ex dictis ſub 2. q. ergò ſinè ſpe non contingit miraculum. Tum quia ad miraculizandum neceſſaria eſt fides, ergò, & ſpes, quia fides eſt ſubſtantia, & fundamentum rerum ſperandarum, ſed non tantùm Dei beatitudo eſt objectum ſpei, ſed etiam alia bona, ſecundùm Theologos cum D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 2. & 4.

Quæres 13. An charitas, ſicut fides, & ſpes, ſit neceſſaria ad miracula?

41 ℟. Non eſt neceſſaria, ut colligitur ex 1. Corinth. 13. 2. *Et ſi habuero*

habuero omnem fidem, itàut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Nihilominus nullus de facto facit miracula, vel eorum beneficia recipit, niſi in charitate Dei conſtitutus, ut probat D. Thomas 2.2.q.178. qui ait, malos poſſe facere miracula, quando Deus vult. Differentia autem *eſt* in hoc, quod Deus malis hominibus uti poteſt ad miracula tamquàm inſtrumentis mortuis, & præciſis à capite; bonis verò tamquàm inſtrumentis vivis, & conjunctis capiti per charitatem.

Quæres 14. An ad definiendum aliquid de fide ſint neceſſaria miracula?

42 ℟. Non eſt neceſſarium, quòd præceſſerint miracula de ea re, ſuper quam debet cadere definitio fidei. Nam miracula nullam habent connextionem cum definitionibus fidei, hæ enim pendent à divina revelatione, qua Deus inſpirat ſummum Pontificem rem taliter ſe habere, dum illam definit; miracula verò patent ad ſenſum, conſequenter cum non habeant connexionē, nec proportionem cum revelationibus, non ſunt neceſſaria ad definiendum dubia de fide. Confirmatur, quia in Conciliis multa fuerunt definita de fide, nullis præcedentibus miraculis.

Cajetanus in opuſc. de Conceptione referente Corduba lib. 1. ſui Quæſtionarii Theologici q. 44. §. Inſuper ait quarto Cajetanus, quòd niſi coràm ipſa Eccleſia Romana evidentèr fieret verum, indubitatumque non mirum, ſed miraculum expreſsè ad teſtificandam veritatem Immaculatæ Conceptionis B.M.V. aut niſi fieret certa revelatio; non deberet Papa ex hac via determinare hanc, vel aliam fidei ambiguitatem. Ratio contrà Cajetanum eſt, quia jam habemus à Deo viam certam ordinariam decretorum Dei, putà Sacram Scripturam, adeò ut, ſi Angelus de cœlo oppoſitum hujus diceret, non eſſet ei credendum, ad Galat. 1.

43 ℟. Licèt miracula ſint in confirmationem fidei non ſimplicitèr, tamen non ſunt neceſſaria niſi infidelibus, qui nolunt credere, ut dicit Apoſtolus 1. Corinth. 14. 22. ubi dicitur, quòd ſigna, & miracula dantur infidelibus, non fidelibus; illa ergò non ſunt neceſſaria intra Eccleſiam, in qua ſoli ſunt fideles; Papa ergò ad definiendum res dubias fidei non eget neceſſario miraculis, licèt inutilia non eſſent. Adde, quod minoris eſt efficaciæ veritas miraculi, quàm veritas inſpirata Papæ deſuper ad definiendum; immò hæc eſt certiſſima, & infallibillis, cum ſit à Deo; illa verò reſpectivè ſatis infirma, & debilis, cui poteſt ſub eſſe falſum, dum veritas miraculorum dependet à teſtibus, qui decipi, vel decipere poſſunt, fruſtrà ergò aſſeritur hæc neceſſitas miraculorum in definiendis rebus dubiis, quæ aliundè habent determinationem ſuæ veritatis infallibilis, & non à miraculis, quibus poteſt ſub eſſe falſum.

Quæres 15. An miracula fiant tantùm intrà Eccleſiam Catholicam, quam profitentur fideles ſub Pontifice Romano?

44 ℟. Vera miracula fiunt tantùm intrà Eccleſiam. Ratio eſt, quia illa, ſi ſunt vera habent pro au-

ctore

ctore ſolùm Deum utentem pro miniſtro Angelo, vel Homine; ſed Deus non firmat falſa miracula, ſed tantùm vera, ne ſit falſus; nec talis eſſe poteſt ex infinita ſua bonitate, qua neminem decipere poteſt; & ex infinita ſua omniſcientia, qua decipi non poteſt, ergò extrà ejus Eccleſiam non poſſunt eſſe miracula vera, ſed tantùm falſa, & fictitia, quæ Deus reprobat. Confirmatur, quia in faciente miracula neceſſaria eſt fides ex q.11. Sed ea carent exiſtentes extrà Eccleſiam; ut Hæbrei, Pagani, & Hæretici; ergò non poſſunt facere miracula. Exemplis id corroboratur. Nam
45 Simon magus fruſtrà tentavit reſuſcitare mortuum ex Egeſippo lib.3. de excid. Hieroſol. cap. 2. Manichæus non potuit ſanare filium Regis Perſarum, ex Epiphanio hæres 66. Luterus diù laboravit; ut ejiceret dœmonem à quadam ſua diſcipula, à quo quaſi necatus fuit, Genebrard. ad annum 1536. Calvinus volebat reſuſcitare mortuum fictum, & fecit mortuum verum, Surius ad annū 1538. Hæc ſatis ex Luca Vadingo in Scholio ad q. 2. Scoti in Prologo num.10. tom.5. part.1.

Quæres 16. An inter miracula detur majoritas, & minoritas, itaut aliqua ſint in primo gradu, alia in ſecundo?

46 ℞. Affirmativè nam diſtinguuntur duo gradus miraculorum. Primus eorum eſt, quæ excedunt facultatem naturæ in ſubſtantia facti, quorum effectus ità ſunt à cauſa ſolùm prima, ut nullo modo poſſint eſſe à cauſa ſecunda concurrente cum prima in genere cauſæ principalis in ſuo ordine, ut reſuſcitatio mortui, illuminatio cœci, locutio muti, juxta illud Lucæ 7.22. *Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audient mortui reſurgunt.* Secundus gradus eſt eorum, quæ excedunt facultatem naturæ in modo faciendi, ſcilicèt, in inſtanti, quorum effectus quandoquè poſſunt eſſe cōmunes cauſis ſecundis, & primæ, ut ſanatio, areſactio &c. nam ſanitas eſt effectus communis cauſæ primæ, & ſecundæ; ſanatur enim infirmus quandoq; naturalitèr, interdum ſupernaturalitèr, quòd cognoſcitur eſſe miraculosè, quando fit ſanus in inſtanti. Arbores areſiunt naturalitèr, cum paulatìm deſinunt, & reſolvantur; ſi verò id illis accidat in inſtanti, areſactio eſt miraculoſa, cum ſit præter ordinem naturæ; undè areſactio ficulneæ fuit miraculoſa, Matth. 21. 19. *Areſacta eſt continuo ficulnea*. Colligitur uterque gradus ex D.Thoma 1.2.q.113.art.10. ubi primum vocat ſecundum, & hunc tertium; ponit enim ſub primo creationem mundi, & juſtificationem
47 impii, quæ duo opera ſunt quidem miraculoſa, cum ſint à ſolo Deo, ſinè alteriùs conſortio; tamen propriè non ſunt miracula, quia non ſunt inſolita, nec mundus à Deo fuit fabricatus ſuper aliquam materiam, cum ante ipſum nihil eſſet, ſuper quam fiunt miracula; nec juſtificatio licèt miraculoſa, miraculum eſt; quia regularitèr, & ordinariè juſtificatur impius, non verò ſic fiunt miracula, ſed ſolùm cum Deo placet, nulla exiſtente regula, aut tempore certo pro illorum factione.

Quæres 17. An miraculorum diverſa ſint genera, vel ad diverſa

diverſa capita reduci poſſint?

48 ℟. Utiquè, ſecundùm diverſam eorum conſiderationem; nam primò ſpectari poſſunt ſecundùm materiam, & ſubjectum circà quam, & ſuper quod fiunt, & ſecundùm modum, & actionem, quibus fiunt.

Ratione materiæ reducuntur ad octo capita, *ſub primo* nempè ſub elemento terræ reducuntur, quæ fiunt in terra, ut in morte Chriſti terra mota eſt, & tremuit, Matth. 27.51. *ſub ſecundo*, quæ fiunt in aqua, quæ converſa fuit in vinum in nuptiis in Cana Galilææ. Joan. 2.9. *ſub tertio*, quæ fiunt in aere, nam Matth. 8.26. *Imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Ventus autem eſt aer agitatus, qui ceſſavit ad viſionem Domini. *Sub quarto* ſunt miracula in igne facta, cujus vis urendi à Deo ſuſpenditur in fornace. Daniel. 3.50. ubi dicitur, quod flamma non tetigit, nec contriſtavit tres pueros Sidrach, Miſach, & Abdenago. *Sub quinto* ſunt miracula arborum, & plantorum, ut habetur exemplum ficulneæ ſubitò areſactæ. Matth. 19.21. *Sub ſexto* compræhenduntur miracula facta in cœleſtibus; nam Joſve Solem ſtare fecit. Joſve 10. 13. cum luna. *Sub ſeptimo* ſunt miracula in brutis animalibus, ut de aſina Balaam, quæ locuta fuit. Num. 22. 30. *Sub octavo* ſunt miracula facta in hominibus, Lucæ 7. 22. *Cœci vident, Claudi ambulant &c.*

49 Ratione verò modi operandi, miracula *primò* proveniunt à commutatione unius rei in aliam, ut converſio aquæ in vinum. *Secundò* ſuſpenſione cauſæ à ſua operatione, ut ne ignis comburat. *Tertiò*, reparatione, reſtauratione, & conſervatione, ut reſuſcitatio mortui, illuminatio cœci &c. *Quartò* deſtructione, ut perditio Ananiæ, Saphiræ, areſactio ficulneæ. *Quintò* multiplicatione ejuſdem rei, ut de miltiplicatione panis Joan. 6. *Sextò* penetratione corporum ſinè læſione penetrari; cum Chriſtus congreſſus eſt diſcipulos januis clauſis, Joan. 20. 26. *Septimò* inventione rerum deperditarum; juxta illud, quod legitur in Reſp. S. Antonii de Padua. *Si quæris miracula* &c. *Reſquè perditas petunt, & accipiunt juvenes, & cani.* Valdè enim reſplendet in omnibus, potiſſimum etiam in his.

Divus Thom. par. 1. q. 105. art. 8. triplex genus miraculorum ponit ſecundùm triplicem exceſſum, quo miraculum excedit naturæ facultatem. *Primum* quo ad ſubſtantiam facti, ut retroceſſio ſolis. *Secundum*, quod excedit facultatem naturæ non quantùm ad id, quod fit, ſed quantùm ad id in quo fit; ſicut reſuſcitatio mortui, & illuminatio cœci; poteſt enim natura cauſare vitam, ſed non in mortuo, & viſum, ſed non in cœco. *Tertium* excedit facultatem naturæ quantùm ad modum, & ordinem faciendi, ut ſanatio in inſtanti, quod natura facere non poteſt. Sanctum Thomam ſequuntur ejus diſcipuli, Bartol. de teſtim. num 17. Contelor. cap. 16. nu. 7. §. Sed clariùs. Nonnulli reducunt primum, & ſecundum genus in unum, & idem, quòd ſcilicèt ambo excedant naturæ facultatem quo ad ſubſtantiam facti, quia revera non tantùm ſolis quies, ſed etiam reſuſcitatio mortui, & illuminatio

cœci

cœci excedit in ratione ſubſtantiæ facti naturæ vires. Undè ſuprà dixi ſub q. 16. dari duo genera, ſeù gradus miraculorum, in quantùm naturam excedunt vel ſecundùm ſubſtantiam facti, vel ſecundùm modum vires naturæ.

Quæres 18. An miracula ſint neceſſaria?

50 ℟. Miracula ab initio fuerunt neceſſaria ad propagandam Eccleſiam; nam in principio erat puſillus grex duodecim Apoſtolorum, & quia accedentem ad Deum opportet credere, quod eſt fundamentum Chriſtianæ Religionis, & pauci erant credentes, quia doctrina fidei excedit humanam intelligentiam, cum verſetur circà ſupernaturalia; erant enim homines infideles, qui alio medio efficaciori ſecundùm ſenſum ab infidelitate ad fidem perduci non poterant, niſi median-
51 tibus miraculis, ideò Paulus 1. Corinth. 14. 22 ait miracula dari infidelibus non fidelibus, quia illis non egent, conſequentèr tunc miracula erant maximè neceſſaria, quia per ea infideles convertebantur; undè Joan. 2. 23. *Multi crediderunt in nomine ejus, videntèr ſigna ejus, quæ faciebat.* Et de miraculis Apoſtolorum dicitur Act. 5. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, itaut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis &c.* Per miracula igitùr, & prodigia propagabatur Eccleſia Dei. Cum verò proceſſu temporis diffuſa ſit per univerſum orbem, cæpit ceſſare multitudo miraculorum, quæ non am-
52 pliùs erant neceſſaria; non enim multiplicando ſunt ſine neceſſitate inquit *Scotus in 4. diſt. 44 q. 3. num. 4. ibidem Hiquæus præced. diſt. 43. q. 5. num. 4. & 9.* Undè D. Th. ſuper cap. 5. Epiſt. 1. ad Timoth. quærens, cur D. Paulus miraculo noluit ſanare Timothæum, ſed conſuluit, ut medico uteretur?
53 Reſpondet ſibi: *Notandum, quod ſanabat Paulus infirmos, & mortuos ſuſcitabat, & tamen Timothæum curat conſilio medicinæ, per quod datur intelligi, quòd non ad omnes utebatur miraculis, ſed quando expediebat propter fidem.* Fiebant ergò tunc miracula propter fidem propagandam; his noſtris temporibus, quibus fides non eget, non ſunt inutilia, cum ordinentur ad magnificandam Dei omnipotentiam, & proteſtandam ſanctitatem ſervorum Dei.

Quæres 19. An miracula diminuant de fidei merito?

54 ℟. Diminuunt in iis, qui nolunt credere ſine miraculo, dicente S. Aug relato cap. In domo 11. 33 q. 3. *Fides non eſt de re viſa, & inde eſt meritum fidei*; nam fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum *ſecundùm S. Greg. Homil. Dom. in Albis*. Miracula ergò non ſunt quærenda in fidelibus ad credendum, quia eſt ſpecies potiùs curioſitatis, quam cultus divini, & devotionis; undè S. Ambroſ. de Sacram. cap. 5. inquit: *Nobis jam in plenitudine Eccleſiæ non per ſigna, ſed per fidem veritas eſt colligenda.* Non licèt ergò credere per miracula, ſed quia ita Deus revelavit.

Digitized by Google

MEDITATIO II.

De Cauſa factiva Miraculorum.

1 *Solus Deus miracula facit.*
2 *Quaſi importat veritatem.*
3 *Omnipotentia neceſſaria ad miracula.*
4 *Creatura tantùm intellectualis facit miracula.*
5 *Angelus bonus facit miracula.*
6 *Angelus, ſeù Dœmon facit mirabilia, non miracula?*
7 *Differentia inter miracula bonorum, & malorum Angelorum.*
8 *Quomodò Deus concurrat ad miracula Dœmonum.*
9 *Cur Deus permittit miracula falſa à Dœmone.*
10 *Antichriſtus falſa faciet miracula.*
11 *Et quare Deus illa permittet.*
12 *Nonnulla de Antichriſto.*
13 *Templum Salomonis reædificandum in fine mundi.*
14 *Chriſtus fecit miracula.*
15 *Apoſtoli fecerunt miracula.*
16 *Sancti novi teſtamenti fecerunt miracula.*
17 *Tridentinum negantes excommunicat.*
18 *Sancti veteris teſtamenti fecerunt miracula.*
19 *Gratia gratis data neceſſaria ad facienda miracula.*
20 *Virtus miraculizandi non eſt qualitas phyſica.*
21 *Sed quid morale.*
22 *Omnipotentia eſt in communicabilis creaturæ.*
23 *Operationes prævia ad miracula recenſentur.* 34.
24 *Sotus virtutem miraculizandi ponit in motu artificioſo.*
25 *Cauſa phyſica quid ſit?*
26 *Cauſa moralis quid ſit?*
27 *Cauſa moralis, non phyſica ad miracula.*
28 *Cauſa finalis aliter movet, quàm moralis.*
29 *Cauſa moralis eſt inſtrumentalis, non principalis.*
30 *Inſtrumentorum tria genera.*
31 *Inſtrumentum artificiale non eſt activum.*
32 *Inſtrumentum morale.*
33 *Chriſtus, & Sancti miracula faciebant.*
34 *Operationes prævia ad miracula numerantur.* 23.
35 *Luto Chriſtus illuminavit cæcum.*
36 *Mennæ Sancti miraculum curioſum.*
37 *Creatura nulla aſſumitur à Deo, niſi cum forma ad operandum.*
38 *Chriſtus faciebat miracula in ſubjectum abſens.*
39 *Auctores aſſerentes miracula fieri moraliter à Sanctis.*
40 *Contraria opinio probatur.*
41 *Virtus, quæ exibat à Chriſto erant ipſa miracula.*
42 *Imperium non excludit cauſam moralem.*
43 *Sol, & luna firmantur à Joſue.*
44 *In miraculis duo ſpectantur prævia operatio, & effectus miraculi.*
45 *Gregorius Sanctus non dixit miracula phyſicè fieri.*
46 *Virtus faciendi miracula fundatur in pacto divino.*

47 *Chriſtus, & Sancti in petendis miraculis à Deo exaudiuntur.*
48 *Potentia obedientialis quid ſit.*
49 *Eſt vis naturalis partialis ſub genere cauſæ principalis elevata.*
50 *Iſta potentia eſt naturalitèr inſita creaturæ.*
51 *Uti partialis non valens operari niſi elevata adjutorio alterius.*
52 *Ordinata ad Deum, cum quo operatur actus ſupernaturales.*
53 *Potentia obedientialis paſſiva datur in ſubjectis miraculorum.*
54 *Non verò activa.*
55 *Mali homines faciunt miracula.*
56 *Magus cœpit volare, ſed cecidit.*
57 *Deus non eſt teſtis falſorum miraculorum.*
58 *Differentia inter bonos, & malos miraculizantes.*
59 *Deus bonis utitur ut vivis inſtrumentis, malis verò tamquàm mortuis.*
60 *Caiphas quomodò prophetavit.*
61 *Chriſtus, & Sancti miraculizant in ſubjectum diſtans.*
62 *In moralibus non eſt neceſſaria præſentia paſſi.*
63 *Miniſterio creaturarum facit Deus miracula.*
64 *Oratio ſemper præcedit miracula.*
65 *Sancti præſciunt futurum miraculum.*
66 *Joannes Præcurſor Domini nullum fecit miraculum.*
67 *Rex Franciæ ſanando ſtrumas non facit miraculum.*
68 *Hæretici non faciunt miracula.*

MEDITATIO II.

1 Deus ſolus eſt cauſa factiva miraculorum, de fide expreſſum. Pſal. 71. 18. & 135. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Eccli. 11. 4. *Mirabilia opera Altiſſimi ſolius.* Magis in terminis de miraculis. Exodi 11. 7. *Ut ſciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſraël.* 1. Reg. 14. 15. *Et accidit quaſi miraculum à Deo.* Illud *Quaſi* denotat veritatem ejus, ſicut illud
2 Joan. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre.* ex cap. Ex parte, de ſponſ. & aliis adductis à Barb. hac dict. num 3. Si in legibus humanis ſignificat veritatem, à fortiori in divinis, quæ ſunt plenæ veritatis, cum Deus earum auctor fallax eſſe non poſſit, nec falſus; Sed accedamus ad quæſtiones.

Petrus Pomponatius in lib. de Incantat. licèt Chriſtianus, talis tamen profeſſione non fuit in eo, quòd miracula, quæ fiunt in mun-
3 do, aſſervit habere pro cauſa intelligentias cœlorum motrices; quorum motu, & lumine tamquàm inſtrumento volvit conficere, & producere mirabilia in hoc mundo; falſo igitur miraculis aſſignavit pro cauſis dictas intelligentias cum illorum inſtrumentis, & non Deum, cui tamen ſoli ſecundùm Catholicam doctrinam conſcribenda ſunt.

Probat ergò rerum mirabilium cauſas eſſe dictas intelligentias cum motu, & lumine cœleſtium, quia imagines objectorum imprimuntur in aere, & à nobis viſis apparent mirabilia; tranſmittunt

enim in nobis ſpecies earum rerum mirabilium, immò & in ipſis hominibus influunt virtutes quaſdam, per quas mirabilia operantur; eſt enim homo parvus mundus, nuncupatus per hoc micocroſmos, conſequentèr continens in ſe omnes hujus mundi proprietates, per quas res mirabiles producit.

Dicendum ergò eſt ſecundùm catholicam veritatem, miracula à Deo fieri, neque adducta à Pomponatio eſſe vera, ſed omnia falſa. Nam *primò* falſum eſt ſpecies intentionales producere poſſe aliquid reale, ut ipſe putabat; undè ſpecies, quæ imaginem S. Petri Cæleſtini Patroni Aquilæ repræſentabant in aere ſuper eam urbem, non poterant ibi producere formam realem Sancti Petri; conſtat enim ſpecies intentionales non poſſe producere verum aſinum in aere, quia illæ non effectivæ, ſed tantùm repræſentativæ. *Secundò*, non præceſſerunt objecta corporis S. Petri, neque homines armati tempore Machabæorum, quæ poſſent in aere imprimere ſuas ſpecies, quia illa objecta non extabant. *Tertiò*, ſpecies intentionales colliguntur à potentia ſenſitiva, vel intellectiva, à quibus uniuntur; in aere autem talis non eſt potentia, ergò nec collectio neque unio, ut illa nobis demonſtrentur. *Quartò*, corpora cœleſtia ſunt cauſæ univerſales, & tamen miracula non fiunt ubiquè, ſed ubi Deo placet. Demum falſum eſt homini ineſſe proprietates ad producenda mirabilia, quæ ſcilicèt excedunt ejus vires. Reſtat ergò, quòd à Deo ſint miracula, quæ ſcilicèt excedunt vires naturæ.

Vide Antonium Bernardum Mirandul. lib. 29. ſect. 4. de cu. ſingul. certam. & Alphonſum Pandulphum Epiſcopum Comadenſem in ſuo opere noviſſimo de fine mundi in diſp. Aſtrologica puncto 9.

Quæritur 1. An ad miracula facienda ſit neceſſaria infinita potentia? Videtur, quod non; Tùm quia unum miraculum eſt majus alio; nam majus eſt reſuſcitatio mortui, quàm ſanatio infirmi, ergò in hoc ſufficit minor potentia, ergò infinita non eſt neceſſaria: Tùm quia, ſicut in hominibus reperitur minor, & major virtus ad operandum, nam adultus major, & robuſtior eſt ad portandum decem, quod pondus puer ferre non poteſt; ità & in faciendis miraculis: Tùm quia Apoſtoli non poterant facere miracula in ejiciendis Dœmoniis, & nihilominùs faciebant miracula alterius generis; ergò non eſt neceſſaria virtus infinita.

3 ℞. Neceſſaria eſt virtus infinita, quæ & omnipotentia dicitur. Ratio eſt, quia factio miraculorum excedit vires non ſolùm hujus, vel alterius creaturæ, ſed totius creaturæ, ex dictis Medit. 1. nu. 13. & 22. ergò ad ea facienda neceſſaria eſt virtus infinita. Hinc probatur, quod ſolus Deus facit miracula, ut dicebam, quia ipſe ſolus eſt omnipotens. Ità D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. & par. 3. q 13.

Ad rationes dubitandi reſpondetur, nam miracula quo ad illum exceſſum, ſuper quod nulla creatura poteſt, non habent rationem

tionem majoris, vel minoris virtutis, ſed talis exceſſus importat ſimplicitèr impoſſibilitatem ex parte creaturarum, ergò ſimplicitèr neceſſaria eſt virtus infinita, quam exigit ille exceſſus pro miraculis perpetrandis. Nec ratio adducta de Apoſtolis probat, quod non poterant ejicere Dœmonia, quaſi major poteſtas requireretur in eiſdem ejiciendis, ſed ideò non poterant, quia tunc erant increduli. Matth. 17. 19. fides enim eſt neceſſaria, ut probavi Medit. 1. 36. ad facienda miracula.

Quæres 2. An aliqua creatura facere poſſit miracula?

4 ℟. Præter Deum, ſola intellectualis creatura poteſt facere miracula. Ratio eſt, quia ad faciendum miracula requiritur fides ad minus credendi miraculum fieri poſſe. ex probatis Medit. 1. num. 36. ad 39. Apoſtoli enim non potuerunt ejicere Dœmonium, quia increduli erant: ut probat text. Matth. 17. 18. *Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram.* Sed nullus alius præter creaturam intellectualem, capax eſt fidei, ergò illa ſola eſt potens facere miracula; ideò in definitione miraculi pro 7. cond. poſui ſolam creaturam intellectualem poſſe facere miracula. Medit. 1. nu. 18. Et quoniam ſolùm duæ creaturæ ſunt intellectivæ, Angelus ſcilicèt, & Homo, ideò de illis videndum quomodo, & qualitèr poſſint facere miracula?

Quæres 3. An Angelus bonus poſſit facere miracula?

5 ℟. Affirmativè; quia Deus ex ſua omnipotenti virtute poteſt illum aſſumere uti inſtrumentum ad id faciendum, quòd tamquàm de fide colligitur ex Daniel. cap. 3. nu. 48. ibi: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & Sociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtavit, nec quidquam mali illis intulit.* Patet ex his miraculum ab Angelo factum, qui excuſſit flammam ignis, hoc eſt, ſuſpendit, ne combureret eos. Adduco præterea exemplum Angeli Raphaelis, qui Tobiæ 12. 3. tria fecit miracula, nam uxorem Tibioli filii ejus Saram à Dœmone liberavit; ipſum Tobiæ filium à devoratione piſcis eripuit, & ejus patrē Tobiam fecit videre lumen cœli; nam erat cœcus. Certum ergo eſt de fide Angelos facere miracula.

Quæres 4. An Dœmones, qui ſunt Angeli mali faciant miracula?

6 ℟. Dœmones proprio non dicuntur facere miracula, ſed mira tantùm, quæ reſpectu noſtri videntur miracula, & talia reverà non ſunt; ſed aut apparentia per illuſionem ſenſuum; aut veri quidem effectus tales, quales ſe ingerunt ſenſibus, ſed naturales, qui à nobis putantur miracula; quia ignoramus virtutes naturales, per quas mirabilia nobis operantur, quæ videntur excedere vires naturæ eorum, quòd tamen falſum eſt. Igitur eorum mirabilia opera, aut ſunt naturalia non excedentia eorum vires, & poteſtatem, aut ſunt fictitia, ac tantùm apparentia. Ratio autem cur non faciunt miracula eſt, quia finis miraculi veri eſt; ut fiat ad bonum finem, ut probavi

Meditat.

Meditat. 1. num. 19. Sed Dœmon operari non poteſt bonum, nec illud ordinare ad bonum finem hominis, cum ejus ſit capitalis inimicus; ergò miracula facere non poteſt, cum ſint ordinata ad utilitatem hominis. Ità omnes *cum D. Thoma par. 1. q. 110. art. 4. ad 2. Scoto in 1. q. 2. Prologi §. Contra ſecundùm, num. 11. tom. 5. par. 1. Fabro ibidem diſp. 1. n. 22.*

Quòd Dœmones decipiant homines ſuis falſis miraculis, referuntur plures eorum deceptiones in Hiſtoriis, apud Vadingum tom. 2. Annal. ad annum 1261. num. 13. Ad annum 1266. nu. 8. ad annum 1281. nu 8 ad annum 1293. num. 5. alias illuſiones diabolicas refert Marcus Uliſippon. par. 2. lib. 1 cap. 23. & lib. 4. cap. 13. in Cronicis Franciſcanis.

7 Sed quomodò diſcernuntur miracula falſa, & deceptoria à veris? Differant *primò*, quia ea, quæ nullam utilitatem præſeferunt, ſunt à Dęmone, non à Deo, cujus miracula ſemper fiant in commodum, & utilitatem proximi, ſecundùm D. Auguſt. apud Fabrum *in 1. ſent. diſp. 1. nu. 22. verſ. Prætereà lata eſt. D. Thom. in 3. ſent. diſt. 7. q. 2. art. 1. Secundò*, ſigna Dœmonis incutiunt timorem, & terrorem iis, quibus apparent, & cum evaneſcunt, illos relinquunt confuſos ſine ullo interiore gaudio, aut ſpirituali conſolatione: Miracula verò Dei, & Sanctorum ingerunt gaudium, & lætitiam ſpiritualem ea videntibus. *Tertiò*, miranda Dœmonis ſigna ſunt mixta ex malo occulto, & bono apparenti, ut homo decipiatur. Sanctorum verò miracula bona ſunt in omnibus, quia referuntur ad ſanitatem tum corporis, tum animæ. *Quartò*, miracula ficta Dœmonis verſantur circà res vanas, & inutiles, ut aliquid grave volare ſurſùm; Sanctorum verò utilia ſunt, & proficua. *Quintò*, illuſiones Diaboli ab hominibus miracula appellantur, quia ignoratur eorum cauſa occulta; Sanctorum geſta ſunt verè miracula, tam ex parte hominum, quàm ex parte rei, cum excedant vires naturæ. *Sextò* demum, miracula Dęmonum ordinantur ad malum finem; Sanctorum verò ad bonum, nempè ad glorificationem Dei, ad honorem Sanctorum, atquè hominum utilitatem.

Quæres 5. An, & quomodò Deus concurrat cum Dęmone ad mirabilia, quæ facit?

8 ℟. Deus non dicitur concurrere ad miracula, quæ fiunt à Diabolo eo modo, quo concurrit ad ea, quæ fiunt à Sanctis; nam ad illa concurrit permiſſivè reſpectu mali, ad hæc verò poſitivè, & ſpeciali modo tam ad materiale, quam ad formale miraculi; reſpectu verò Dęmonis ad materiale concurrit Deus uti cauſa prima, & auctor naturæ in genere entis; ad formale verò non concurrit, niſi permiſſivè. Rem declaro: in quolibet miraculo ſpectari poſſunt duo, materiale unum, formale alterum; materiale voco omnes illos actus phyſicos, in genere entis concurrentes ad conſtructionem ſigni, ut ſunt e.g. compoſitio Crucifixi ficti, motus localis illius, locutio &c. ad hæc omnia, quæ ſunt entia naturæ, concurrit Deus tamquàm cauſa prima, & univerſalis, atquè ut auctor naturæ, nequè id eſt inconveniens, licèt malum

malum intendatur à Dæmone; non tamen à Deo, quia illud materiale eſt opus naturæ, & artis, quod nullum malum eſt in ſe: Formale verò eſt quicquid malitiæ, & perverſi finis continet miraculum fictum, ut deceptio, mors, & quicquid mali intendit Dæmon in ſuo opere. Ad nullum horum concurrit Deus, quia hæc non intendit, nec ſequuntur, ex facto ipſius miraculi, cum talem connexionem non habeat cum deceptione; in his ergò formale ſoliùs Dæmonis eſt, cum ipſe tantùm deceptionem intendat.

9 Deus autem non tenetur ſuam impedire permiſſionem, quia de ratione ſuæ providentiæ non eſt non permittere mala, & falſa miracula, quæ eveniunt pro experientia, & probatione ſervorum Dei; ex eis enim proventum facit, dum talia dat remedia, quibus cognoſcere poſſunt illuſiones, & ſe eximere à periculis, & tentationibus.

Quæres 6. An miracula, quæ Antichriſtus eſt facturus, ſint vera, an ficta?

10 ℞. Sunt ficta, & falſa, non propriè talia, cum non ſint ordinanda ab eo in beneficium hominum. Ità definitur à S. Paulo 2. ad Theſſalon. 2. 9. *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satbanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis*. Miracula, quæ facturus eſt Antichriſtus ſimilia erunt ſignis Dæmonis, plenis mendaciis, & iniquitate, ergò non erunt vera, & propriè miracula, quæ prædictis carent, dum ſunt ordinata in beneficium hominum, & non in eorum deſtructionem; ut ſunt prodigia Dæmonis, & Antichriſti ejus diſcipuli. Confirmatur, quia miracula Antichriſti tendent in deſtructionem, & ſubverſionem fidei catholicæ, ergò non erunt vera miracula, quæ ex fine ordinantur ad confirmationem, & corroborationem ejuſdem.

11 Sed cur Deus ea tunc in fine mundi permittet, ſi tendent in ſubverſionem fidei, quæ tunc eo tempore extremo maximè neceſſaria erit? Ad comprobandam, & augendam fidem in ſervis ſuis, qui falſam Antichriſti doctrinam totis viribus deteſtabuntur conſtantèr perſeverantes in vera fide. Id etiam permittet in vindictam incredulitatis Judæorum, hæreticorum, & aliorum peccatorum.

12 Nota hac occaſione ſequentia de Antichriſto, qui ſic dicitur, quia prædicabit dogmata falſa, contraria doctrinæ Chriſti 2. ad Theſſalon. 2. 3. *Ne quis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſſenſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo ſedeat Dei, oſtendens ſe tamquàm ſit Deus*. Sancti Patres per diſſenſionem intelligunt deſtructionem Romani Imperii in decem Reges dividendi, quos Antichriſtus ſub ſua poteſtate rediget, ut legitur *Daniel. 7. à num. 11. ad 23. apud D. Hie-*
13 *ron. q. 11. ad Algaſiam*. Nomine templi Dei venit templum Salomonis reædificandum, ut in eo ſedeat ad docendam impietatem, & abominationem, *Daniel. 9. apud Suarez in lib. de defenſ. fidei cap. 16. ex illo Bonac. diſput. 2. de Incarn. q. 24. p. 2. num. 2.* Erit autem origi-

ne

ne, & profeſſione Judæus ex damnato coitu ſecundùm Damaſcenum lib.4.cap.17.

Quæres 7. An Chriſtus fecerit in vita ſua miracula?

14 ℟. Nulli dubium eſt, immò de fide certum, quòd Chriſtus, ſecundùm quòd homo infinita ferè fecit miracula: undè dicit Joan. extremis verbis ſui Evangelii. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcripturi ſunt libros*. Sed de hac re redibit ſermo in ſequenti Meditat. quæ erit de Miraculis Chriſti.

Quæres 8. An Apoſtoli fecerint miracula?

15 ℟. Affirmativè, & hoc eſt de fide expreſſum Matth. 10.1. *Et convocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Idem exprimitur Marci 3. 15. Et cap. fin. 18. ait Marcus. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, eis non nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*. Non ſolùm ergò Apoſtoli, ſed omnes alii, qui credunt, habent poteſtatem faciendi ſigna, & miracula. Et de eiſdem Apoſtolis ſignantèr dicitur Act. 2. 43. *Multa prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Jeruſalem fiebant*. Iterum cap.5.12. *Per manus Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia, multa in plebe*. Petrus autem Claudum rectificavit Act. 3. 7. Anania, & Saphira conjuges ad ejus increpationem perierunt ſtatim ad pedes ejus Act. 5. Tabitham Dorcas à mortuis excitavit Act. 9. à num.36. Itaquè de hac poteſtate, & exercitio miraculorum in Apoſtolis nullatenùs dubitandum eſt.

Quæres 9. An Servi Dei, & Sancti habeant poteſtatem, & virtutes faciendi miracula.

16 ℟. Affirmativè, tamquàm de fide credendum, ex illo Marci cap. fin. num. 17. *Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*. Servi autem Dei, & Sancti homines præ aliis credunt, ideò eiſdem Deus dedit virtutem faciendi miracula. Confirmatur ex illo Pſal. 67.36. *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. Ex eo, quòd per illos operatur miracula. Ità omnes Catholici, *cum D.Thom. par.1.q.110. art.4. ad 1. & part.3.q.13.art.2. ad 3. & q.78.art.4. ad2*. Contra Porphirium, Eunomium, & alios hæreticos tum antiquos, tum neotericos, Luterum Zuinglium, & Calvinum negantes interceſſionem Sanctorum, ac proindè eorum miracula, quibus apud Deum beneficia conferunt ſanitatis infir-
17 mis. Quare Tridentinum initio ſeſſ.25. excommunicat tamquàm hæreticos negantes invocationem Sanctorum, et eorum venerationem, atquè miracula, quæ Deus per ipſos facit. Non ſolùm id verum eſt de Sanctis novi Teſta-
18 menti, ſed etiam Veteris; nam multa ſigna, & prodigia fecit Moyſes in liberatione populi Judaici ex manibus Pharaonis, ut legitur

legitur in libro Exodi Elias mortuum reſuſcitavit 3. Reg. 17. à num. 17. ad 24. Eliſæus 4. Reg. 4. à num. 20. & ſeq. alium mortuum ad vitam excitavit. Iſaia 29. 14. ait: *Ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo*. Joſve quoquè Solem, & Lunam firmavit cap. 10 13. & quamplurima alia in ſacris literis leguntur facta à ſervis Dei.

19 Quæres 10. An aliqua gratia, virtus, ſeù poteſtas ſit neceſſaria in ſervis Dei ad facienda miracula? & quid ea ſit?

℟. Eſt neceſſaria, & ea vocatur gratia gratis data, quæ ſcilicèt à Deo cõfertur ad utilitatem magìs aliorum, quàm ejus, cui datur, ad differentiam gratiæ gratificantis, & juſtificantis receptorem illius, & non alius, de qua Paulus 1. ad Corinth. 12. ubi refert diviſiones operationum, inter quas eſt operatio faciendi miracula; ibi n. 9. *Alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum*, Scilicèt datur. Per hanc autem gratiam, ſeù virtutem, & poteſtatem ſervi Dei fiunt apti, & idonei ad operanda miracula, Coadiuvante etiam gratia juſtificante, ex quo ſervi Dei qua merentur à Deo exaudiri, dum pro proximo invocant divinum auxilium.

Quęres 11. An hæc gratia, ſeù virtus miraculizandi ſit quędã qualitas phyſica inhærens per modũ habitus in Chriſto, & Sanctis?

20 ℟. Non eſt aliqua qualitas phyſica, ſed tantùm moralis, qua homo ſit idoneus, & aptus ad miracula facienda, quandocunq; Deus voluerit producere effectũ ad poſitionem talium, & talium operationũ.

Primum probatur, quia ea qualitas vel eſſet quid infinitum, vel finitum, illud dici non poteſt,
21 quia ratio infiniti incommunicabilis eſt creaturę ſecundùm Theologos cum D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. Nec hoc poſteriùs, quia ea qualitas in virtute operandi coæquaretur effectui miraculoſo, ac proindè illum immediatè attingeret, & ſic non eſſet qualitas finita, cum excederet vires naturæ, & ſic cognoſceretur potiùs infinitum quid ex ſua operatione, quam quid finitum. Ita docet D. Thomas loco citato his verbis: *Sicut prophetia ſe extendit ad omnia, quæ ſupernaturalitèr cognoſci poſſunt, ità operatio virtutis ſe extendit ad omnia, quæ ſupernaturalitèr fieri poſſunt, quarum quidem cauſa eſt divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ, communicari poteſt. Et ideò impoſſibile eſt, quod principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitualitèr manens in anima.* Nam ea qualitas inhærens animæ, nihil aliud eſſet, quã omnipotentia in miraculizando, & ſic Servi Dei eſſent ęquales Deo in operatione miraculorũ, quod implicat.

22 Secundum, illam virtutem eſſe quid morale, probatur, quia finis miraculorum eſt cauſa moralis; ordinatur enim ad cultum Dei, & ad honorem Sanctorum, & utilitatem ſpiritualem animarum, quæ ad mores Theologicos ſpectant, ergò exigit factio miraculorum virtutem moralem, quæ proportionem aliquam habeat cum ſuo fine. Confirmatur, quia hæc virtus, & poteſtas faciendi miracula nihil aliud eſt, quàm promiſſio, qua Deus vult facere miracula ad poſitionem talis, & talis rei, per quam promiſſionem creatura Deo grata determinatur potens ad operandum moralitèr

miracula, poſitis per ipſum phyſicè illis rebus, ſcilicèt, actioni-
23 bus, ad quas ſequitur miraculũ, videlicèt, in ſuflatione, benedictione, unctione cum oleo lampadis, impreſſione ſigni Crucis, oratione, lacrimis, & hujus generis, his enim naturalibus effectibus, quia non excedunt vires naturæ, poſitis, ſequitur miraculum à Deo factum; exemplum do, S. Didacus oleo lampadis perungebat infirmos, & ſtatim ſanabantur perfectè à Deo; ulcera recedebant, dum ſervus Dei ea oſculabatur. Hæ præviæ diſpoſitiones ſunt effectus naturales, ac proindè cauſam habent naturalem, cum utrumque ſit intra ordinem naturæ, in quantum verò referuntur ad miraculum indè ſecutum dicuntur habere adjunctum ex diſpoſitione legis divinæ aliquid ſupernaturale, & ſic procedere ex virtute ſupernaturali in genere moris, ut agens miniſtralitèr dicatur attingere miraculum, quod à Deo non fuiſſet factum, niſi perceſſiſſet operatio ordinata ad illud. Et id magis patebit in ſequenti quæſtione de cauſa inſtrumentali.

24 Sotus apud Suarez de Incarnat. diſp. 31. ſect. 5. verſ. Secundus modus, dicit, virtutem miraculorum eſſe quendam motum artificioſum, quem Deus imprimebat actionibus humanitatis Chriſti, & Sanctorum conſequentèr, per quem illas actiones elevabat ad ſupernaturales effectus, & hunc motum appellavit virtutem inſtrumentariam. Id explicat cũ aliis Thomiſtis exemplo Serræ, & aliorum inſtrumentorum artificialium, quæ ab artifice elevantur per motum artificioſum ad proprium effectum producendum; hoc autem modo non repugnat Deum operari. Ipſe Suarez ſatis abundè reputat hujuſmodi motum ut quid impertinens ad præſens negotium. Tùm quia is motus eſt imperfectior qualitate, hæc non admittitur, ergò nec ille. Tùm quia talis motus Serræ, ſivè ſecuris artificioſus non dicitur elevare inſtrumentum ad opus excedens ejus naturam, cum non faciat inſtrumentum illud ſic motum opus ſibi non proportionatum, ſed conveniens tantùm naturæ ſuæ, Serra enim ſecat, non perforat, nec cudit clavum ſicut malleus. Motus ergò ille artificioſus non elevat inſtrumentum, ſed tantùm applicat ad exercitium operis ſibi proportionati. Virtus verò operandi miracula de ſe eſt elevata, cum ſit in ordine gratiæ gratis datæ, ac proindè quid ſupernaturale, nulla egens elevatione, quaſi tranſeat ab ordine naturali ad ſupernaturalem, cum ſemper ſit in ordine ſupernaturali, & nunquã in naturali.

Quæres 12. An dicta virtus, ſeù potentia in Chriſto, & Sanctis, ſit cauſa phyſica, an moralis ad faciendum miracula? Quod eſt quærere, an Chriſtus, & Sancti ſint cauſæ phyſicæ, an morales ad productionem miraculorum? Pro reſolutione explicandum eſt quid ſit utraque cauſa.

25 Cauſa phyſica eſt illa, quæ ex ſe prævia operatione attingit effectum ejus vires non excedentem ſibi proportionatum. V. g. ignis producit phyſicè ignem, homo loquitur, ſcribit, ambulat &c. ſunt effectus ab illis cauſis producti phyſicè, & naturalitèr,

quia

quia non excedunt virtutem ſuarum cauſarum.

26 Moralis verò cauſa eſt illa, ad cujus naturalem operationem ſequitur effectus, quem ipſa attingere non poteſt ſua virtute, productus à cauſa principali, quæ movetur ad operandum ad illius inſtantiam, & petitionem. Exemplum pono in aulico Principi grato, à quo petit gratiam, ut e.g. liberet à morte reum condemnatum. Aulicus eſt cauſa moralis, ad cujus preces Princeps excitatur, & movetur ad liberandum reum à morte. Ut vides liberare condemnatum à morte excedit vires Aulici, cum id ſoliùs ſit Principis, qui eſt cauſa principalis cujus vires, & poteſtatem condonatio rei non excedit, motus ad parcendum per preces Aulici; uterq; ergò Princeps ſcilicèt, & Aulicus ſunt cauſa ille quidem phyſica, iſte verò moralis, ut reus non moriatur. Cauſa autem moralis ex parte ſua operari debet effectus ſibi proportionatos, cujus modi ſunt precationes, inſtantiæ, ſolutio alicujus rei, ſeù pecuniæ, ut quis liberetur à morte, à carcere &c. Theologicè verò loquendo Sacramenta dicuntur cauſæ morales, ad quos, confectionem Deus confert gratiam, nam ablutio facta à Sacerdote infuſione aquæ ſuper caput baptizati, item abſolutio data ab eodem peccatori confeſſo, ſunt cauſa moralis, per quam Deus confert gratiam baptizato, & confeſſo. Quæ actiones abluendi, & proferendi verba abſolutionis, & ablutionis de ſe non excedunt vires naturæ operantis, reſpectu quarum agens dicitur operari phyſicè, non autem moralitèr, quia actio moralis refertur ad principalem effectum productum à majori cauſa, ut eſt gratia à ſolo Deo producta phyſicè, moralitèr verò, & miniſterialitèr à Sacramentis à Miniſterio confectis; itaquè cauſa moralis diſponit, & movet principalem cauſam ad augendum. Eodem modo merita, & bona opera ſervorum Dei verè, & propiè dicuntur cauſare præmium, & beatitudinem Sanctis ejus, non quidem phyſicè, quia nullus beatum ſe facere poteſt, cum id ſit opus ſoliùs Dei, omnem excedens poteſtatem finitam, poteſt nihilominùs beatitudinem mereri per bona opera facta in gratia Dei, & ſic cauſare ſibi moralitèr beatitudinem, ad poſitionem enim bonorum operum juſto Deus confert gratiam, & gloriam.

27 Applica hæc in materia miraculorum, Chriſtus, & Sancti ſunt cauſa moralis miraculorum, nam Deus ad poſitionem alicujus eorum operationis facit miraculum, nam increpatione facta à Petro Anania, & Saphira conjuges ob mendacium & defraudatam mercedem pretii agri venditi, ſubito perierunt ad ejus pedes, juſto Dei judicio. Poſitis ſigno Crucis, & unctione oleo lampadis per S. Didacum Deus ſanabat illicò infirmos. In omnibus autem actionibus, quæ à Sanctis fiunt, ſemper reperitur cultus divinus; oratio, & invocatio Dei, ut moveatur ad faciendum miraculum.

28 Notandum autem eſt, quod alitèr movet cauſa finalis, quam moveat cauſa moralis, nam finis exiſtens non in re, ſed in mente tantùm excitat agens ad productionem ſui ipſius executione mediorum. Moralis verò cauſa exi-

ſtit non in mente, ſed in re, & ſic movet agens ad operandum, undè hæc ſecundùm propriam exiſtentiam antecedit, & præcedit effectum, non autem finis, qui licèt ſit primùm in intentione, eſt tamen ultimùm in executione.

29 Cum autem cauſa moralis moveat principalem, tamquam illi inferior, & famulatoria, non poteſt dici cauſa principalis, ſed tantùm inſtrumentalis; de ratione enim inſtrumenti eſt ſervire

30 cauſæ principali. Eſt autem inſtrumentum triplicis generis. *Primum* naturale conjunctum cum agente principali, ut calor in igne, manus in homine. *Secundum* artificiale diſiunctum ab agente, ut gladius, ſerra, ſecuris, malleus, &c. Differunt autem

31 in eo, quod inſtrumenta prioris generis habenr in ſe propriam activitatem ex ſua forma; poſterioris verò generis nullam habent ex ſe activitatem, ſed per ſolum motum applicantur adſcindendum lignum, ut fiat arca. Scotus in 4. diſt. 1. q. 1. §. Nec illud exemplum. num. 10. & infrà per Hiquæum num. 26. probatur nulla activitas in inſtrumento ſejuncto applicato, iterùm diſt. 6. q. 5. num. 8. tom. 8. verſ. Præter hæc. Hæc non faciunt ad noſtrum inſtitutum, ſed ſequens tantum.

32 *Tertium* igitur inſtrumenti genus eſt illud, quod ex pacto cum agente principali operatur effectum; & à Theologis vocatur inſtrumentum morale. Et ſub hoc tertio comprænhenduntur merita, Sacramenta, Chriſtus, & Sancti in ordine ad miracula facienda; & ideò in definitione Miraculi dixi, ea fieri miniſterio creaturę intellectualis. His igitur præmiſſis.

33 ℞. Ad quęſtionem Chriſtus, & Sancti ſunt cauſæ inſtrumentales morales ad producenda miracula cum Deo eorum auctore. Quod ſint inſtrumenta, patet ex dictis, quia operantur non ex propria virtute, ſed divina famulantes Deo in ſuis operibus, quæ excedunt vires cauſarum ſecundarum.

Quod verò agant moralitèr, probatur, quia illa eſt cauſa moralis, quæ per ſuam operationem non excedentem proprias vires movet agens principale ad operandum aliquid excedens ejus vires; ſed creatura movet eum ad facienda miracula ejus vires excedentia, ergò cum Deo cauſat moralitèr miracula. Confirmatur, quia miracula à Sanctis fiunt præparatione quarundam actionum, quæ nulla ratione influere, nec imprimere poſſunt quicquam in effectum miraculi, in ordine ad quod, nec proportionem, nec inclinationem habent, dum ejus vires excedunr, immò aliquandò videntur adverſari factioni ipſius miraculi, ut mox patehit. Actiones autem hujuſ-

34 modi præviæ ad miracula ſunt, imperare, orare, rogare, lacrimare, ungere, benedicere, ſignare, & alia præmittere, ex quibus Deus movetur ad faciendum miracula. Quare cum hujuſmodi actiones non ſint naturalitèr proportionatæ ad productiones miraculi, & nihilominùs ſit de fide, quòd Chriſtus, & Sancti faciant miracula, ſequitur quod eorum factio ſit tantùm moralis, & non phyſica. Confirmatur iterùm, cauſa meritoria non eſt phyſica, ſed tantùm moralis; ſed Sancti ex propriis meritis impetrant miracula à Deo, ergò ſunt tantùm

cauſæ

cauſæ meritoriæ.

35 Adduco in exemplum miraculum Chriſti ad oſtendendum evidentèr Criſtum fuiſſe cauſam non phyſicam, ſed tantùm moralem ex improportione, immò contraria actione miraculo; nam lutum, quo Chriſtus linivit oculos cœci poſtea videntis, potiùs eſt deſtructivum viſionis, quam illius productivum, & conſervativum, & tamen ad illius poſitionem, cœcus recepit lumen oculorum, ex ea igitur actione contraria viſui Chriſtus à Deo impetravit miraculum, & ſic moralitèr tantùm, & non phyſicè.

36 Lege aliud miraculum S. Mennæ apud Surium ſatis curioſum, & mirabile, quod facit ad probationem cauſæ moralis pro Sanctis. S. igitur Mennas claudum maſculum, & fœminam mutam ſanavit hoc modo, ambo in Eccleſia ejus nomini dicata pluribus diebus in oratione permanſerunt, & nullus eorum à Sancto exaudiebatur, ità quòd claudus impatiens de Sancto conquerebatur. Mennas eidem dormienti apparens dixit: Sine cauſa de me conquererit; non poſſum te ſanare, niſi facias hoc, quod tibi præcipio; pergas eo modo, quo potes ad locum, ubi jacet illa mulier muta, atque dormias in eodem lecto cum illa, & ſtatim te ſanabo. Expergefactus miſer claudus, anceps quid eſſet facturus, tandem ex vehementi deſiderio recuperandi ſanitatem obedivit, & dum in lectulo mutæ ſe collocat, de repente muta cœpit clamare. Cur mihi vim inferre tentas? Claudus ad illum clamorem majus malum timens, rectificatus à S. Menna quaſi cervus aufugit. Ecce ex præmiſſa hujuſmodi collocatione claudi, & mutæ in eodem lectulo Deus motus utrumque mirabilitèr ſanavit ex meritis S. Mennæ, qui ſine dubio in miraculo fuit operatus non phyſicè, ſed moralitèr, & miniſterialitèr præcipiendo maſculo, ut ſe collocaret in lectulo mutæ. Surius tom. 6. apud Joannem Felicem de Aſtulphis in libro di cento Avvennimenti miracoloſi Deca. 1. Avvenim. 2.

Chriſtus ergò, & Sancti ſolùm moralitèr faciunt miracula, & & non phyſicè, quod alterius probatur. Tùm quia nulla creatura à Deo aſſumi poteſt ad operandum aliquid ſupernaturale excedens ejus vires, niſi per eam aſſumptionem acquirat aliquam formam, ſecundùm quam poſſit operari talem effectum excedentem ejus vires; ſed hujuſmodi 37
forma non eſt dabilis in Chriſto, & Sanctis ejus, ergò miracula phyſicè operari non poteſt. Minor ſuadetur, quia ea forma, vel eſt naturalis, & ſic non poteſt attingere effectum ſupernaturalem; vel eſt ſupernaturalis, & tunc effectum, vel attinget principalitèr, ac proindè creatura principalitèr, ſicut Deus facit miracula, quod eſſe non poteſt, cum ſcriptum apertè dicat, quod ſolus Deus mirabilia facit; vel minus principalitèr; quod fieri non poteſt, cum in entitate, & virtute nihil plus poſſit, quam ipſa creatura, alitèr communicata juſtus ſupernaturalis eſſet omnipotentia incommunicabilis creaturæ ex D. Thoma 2.2. q. 178. art. 1. Scoto in 3. diſt. 16. q. 2. Verſ. Ad primum principale dicitur, lit. E. Tùm quia inſtrumentum phyſicum

cum operatur per contactum,
& præſentiam cum paſſo ſecun-
38 dum Philoſophum; ſed Chriſtus
faciebàt miracula ſinè contractu,
& in abſentibus; nam quando re-
ſuſcitavit Lazarum illum non te-
tigit. Sanavit filium Reguli, &
puerum Centurionis, quos non
vidit, quia abſentes erant ab ejus
conſpectu. Et licèt imperaverit
Lazare veni foras; quaſi agens
principale, id non fecit, ut homo,
ſed ut Deus, Decan. cap. 10. de
Incarnat. num. 10. Tùm quia Re-
liquiæ Sanctorum ad contactum
dicuntur ſanare infirmos, qui ta-
men contactus nihil omninò in-
fluit in perſonam tangentem,
quòd ſit phyſicum, ſi enim in-
flueret, omnis tangens ab infir-
mitate liberaretur, quia tactus
ex ſua forma naturalitèr non poſ-
ſet non producere ſuum effectum,
& tamen experientià conſtat mul-
tos tangere, & non recipere be-
neficium ſanitatis; ſignum igitùr
eſt, quod operatio non eſt phy-
ſica, ſed moralis, quando quis
ſanatur ab infirmitate.

39 Patet ex hactenùs dictis, crea-
turam rationalem, Chriſtum ſci-
licèt, ut hominem, & Sanctos
ejus fuiſſe, & non eſſe cauſas non
phyſicas, ſed morales inſtrumen-
tarias ad facienda miracula. Et
hanc ſententiam communiorem,
& probabiliorem docent. *Scotus
in 4. diſt. 1. q. 1. 4 & 5. Hieronymus
Tamarit. Scotiſta tract. 1. de Gra-
tia q. 5. verſ. Adverte, S. Bonaven-
tura in 3. diſt. 13. art. 1. q. 3. Averſa
de Incarnat. q. 13. ſect. 3. verſ. oppoſi-
ta ſententia, Vaſq. ad partem 3.
diſp. 57. cap. 5. Becan. de Incarnat.
cap. 10. à num. 6.*

40 Contraria ſententia, quod Chri-
ſtus, & Sancti habeant potentiam
phyſicam ad facienda miracula;
*Cajetani, Valentiæ Bonac. diſp. 2.
de Incarnat. q. 9. p. 3. Suarez. diſp.
31. ſect. 3. & aliorum apud præci-
tatos.* Probant auctoritate ſacræ
Scripturæ, nam dicitur Lucæ 6.
*Virtus de illo exibat, & ſanabat
omnes*, Item cap. 8. *Ego novi vir-
tutem de me exiſſe.* Virtus ergò
hæc fuit phyſica, & non moralis.
Secundò Chriſtus, & Sancti plu-
ra fecerunt miracula imperando,
& non ſolùm deprecando, & im-
petrando, Matth. 8. *Imperavit ven-
tis, & mari, & facta eſt tranqui-
litas magna*. Joan. 11. *Lazare ve-
ni foras*. Pro Sanctis adducunt
Joſve 10. 12. *Sol contra Gabaon
ne movearis*. Imperare autem ſpe-
ctat ad cauſam phyſicam, non
ad moralem, cujus eſt deprecari,
& impetrare à cauſa principali.
Tertiò auctoritate Patrum, nam
in Concilio Epheſino can. 11. di-
citur, carnem Chriſti fuiſſe vivi-
ficatricem 1. factricem vitæ. Et
in 6. Synodo in Epiſt. Sophronii
ſcribitur, Verbum per carnem
effeciſse opera, quæ erant indicia
divinitatis. D. Gregor. lib. 2. Dia-
log. cap. 30. dixit, Sanctos facere
miracula, vel imperando, vel im-
petrando per orationem.

41 ℟. Ad auctoritates Sacræ Scri-
pturæ, ſi virtus ſumatur cauſali-
tèr eſse referendam in divinita-
tem, vel etiam in humanitatem,
& nihil prohibere, quin ſit ea
virtus moralis, ut in præceden-
tibus probatum fuit. Si verò ſu-
matur terminativè, & ſecundùm
rationem effectus eſt ipſummet
miraculum, ut colligitur ex 1.
Corinth. 12. 9. *Operatio virtutum*.
1. miraculorum, & cap. 6. Mat-
thæi num. 2. *Et virtutes*. 1. mira-
cula, *quæ per manus ejus efficiun-
tur*.

tur. Nomine ergò virtutis, quæ exibat à Chriſto ſunt ipſa miracula, vel poteſtas moralis ad facienda miracula.

42 Ad ſecundum reſpondeo, ex eo quod Sancti cum Chriſto imperantèr fecerunt miracula, non ſequitur illud imperium fuiſſe phyſicum, ſed ſemper fuit morale, nam quandoque famulus ad juſſionem domini ſui imperat aliis tamquam illius inſtrumentum intimando præceptum Domini. Quando igitùr Chriſtus imperavit ventis, & febri, illis quidem, ut quieſcerent, & huic, ut recederet ab infirmo, non fuit uſus imperio tamquam principale agens, quia imperabat nomine Dei, ſed ut inſtrumentum divinitatis. Et id apertè colligitur ex verbis Joſve ibidem, ubi

43 ſic ſcribitur. *Tunc locutus eſt Joſue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis -- obediente Domino voci hominis*. Nota miſterium verborum, Joſve eo die locutus fuit cum Domino, & Dominus eadem die, quo ſtetit, Sol, & Luna obedivit voci Joſve. Quid locutus fuit? Certè nihil aliud, niſi ab eo petendo, ut Sol non moveretur eo die, niſi finita vindicta, quam reportavit ex inimicis, ac proindè à Deo accepit mandatum tamquam famulus ad præcipiendum Soli, & Lunæ ne moverentur, & ſic Deus obedivit voci hominis, hoc eſt, ad præceptum Joſve à Deo acceptum fecit obedire Solem, & Lunam. Deus ergò firmavit utrunque planetam, ex deprecatione Joſve poſita illa juſſione externa, ſine qua non ſtetinent Sol, & Luna. Diſcipuli Domini imperabant Dœmonibus, ut exirent de corporibus vexatorum, & non poterant eos ejicere, tùm propter incredulitatem eorum, tùm quia Deus nolebat obedire voci eorum, imperium ergò non magis arguit cauſam phyſicam, quam moralem.

44 Duo ſpectanda ſunt in miraculis Chriſti, & Sanctorum, *primò* illa prævia diſpoſitio, ut tactus, oratio, imperium, unctio, &c. antequam appareat effectus miraculi. *Secundò*, ſpectatur ipſum miraculum; diſpoſitio ſpectat ad Sanctum, cum non excedat humanas vires, productio miraculi ad ipſum Deum, qui illud non facit, niſi præmiſſa diſpoſitione, Joſve diſpoſuit imperando, & Deus firmavit Solem. Id comprobatur auctoritate D. Damaſceni lib. incip. Quomodò ad imaginem Dei: his verbis: *Quandò divinitas tactu carnis ſanabat infirmum, alia erat propria actio divinitatis, altera humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extenſione, & tactu poſitus erat, divinæ autem naturæ in exortatione puellæ*. Chriſtus ergò diſponebat materiam, ut ita dicam, & Deus faciebat miraculum.

45 Ad tertium reſpondetur, carnem Chriſti eſſe vivificatricem meritoriè, & moralitèr, quia per ſuam Paſſionem meruit nobis vitam. Et S. Gregorius non eſt intelligendus, quod Sancti duobus modis faciant miracula phyſicè ſcilicèt, & moralitèr, ſed quod duobus modis poſſunt movere Deum ad miraculizandum imperan-

perando, & impetrando per deprecationem, quæ ſunt duæ diſpoſitiones ad miracula.

Queres 13. An virtus faciendi miracula fundetur in aliquo pacto, & promiſſione inter Deum, & Sanctos ejus?

46 ℞. Affirmativè, quia Deus Chriſto, & Sanctis fruſtrà, & inanitèr non dedit poteſtatem faciendi miracula; ergò cum pacto aſſiſtendi illis in deprecatione miraculorum, ne fruſtratoria eſſet illorum petitio. Id clarè deducitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, nam Marci cap. 11. poſtquàm dixit diſcipulis ſuis, quòd habentes fidem firmam ſinè hæſitatione poſſunt efficacitèr dicere huic monti, tollere, & mittere in mare, ſubjungit num. 24. *Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Promiſit ergò Deus facere miracula, quandocunque ejus ſervi orando, & deprecando cum firma fide credent obtinere, quod petunt. Beda relatus lect. 8. in feſto S. Gregorii Thaumaturgi 17. Novembris mentionem facit de hujuſmodi premiſſione, de qua in ſupradicto Marci Euangelio, his verbis *Venit nocte ad locum* ſcilicèt S. Gregorius, *& genibus flexis admonuit Dominum promiſſionis ſuæ, ut montem longius juxta fidem petentis ageret. Et mane facto reverſùs invenit montem tantum ſpatii reliquiſſe ſtructoribus eccleſiæ, quantum opus habuerant*. Mons ergò, qui impediebat ſtructuram eccleſię ad orationem S. Gregorii à Deo miſſus fuit in mare cedendo ſolùm pro fabricatione Eccleſiæ. Inanis ergò, & fruſtatoria non fuit petitio Sancti Gregorii, ſed efficax, quia Deus petentibus promiſit dare, quandocunque cum fide licita petunt, juxtà illud: *Petite, & accipietis*, Deus enim non eſt infidelis, ſed ſtat promiſſis ea adimplendo. Undè in reſuſcitatione Lazari Joan. 11. 41. idem teſtatur Jeſus cum dixit:

47 *Pater gratias ago tibi, quoniam audis me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*. Stat ergò Deus promiſſis, quæ Chriſto promiſit, dum à Deo ſemper auditur. Quod idem de Sanctis dicendum eſt Marci cap. fin. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c.* Sancti ergò in petitione miraculorum exaudiuntur, ut colligitur etiam ex Pſal. 33. num. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*. Deus igitùr præſtat aures ſuas petentibus, & exaudit preces eorum ordinatas ad facienda miracula. De hoc pacto Averſa qu. 13. de Incarnat. ſect. 3. §. itaquè.

Quæres 14. An Chriſtus, & Sancti per potentiam obedientialem operentur miracula? Quæſtio hæc difficilis eſt propter contrarias opiniones, undè ea eſt explicanda per ſequentem definitionem, & ejus diviſionem.

48 Potentia ergò obedientialis eſt ſubjecto creaturæ obedientis Deo in ordine ad effectus ſupernaturales. Creatura enim cum ſit finitæ, & limitatæ virtutis non poteſt attingere niſi effectus naturales ſibi proportionatos, & non excedentes ejus vires, non verò effectus ſupernaturales, quia excedunt ejus vires; undè à Deo elevatur per hujuſmodi potentiam obedientialem, ad eoſdem effectus

effectus. Eſt autem duplex, una dicitur paſſiva ad recipiendum effectus ſupernaturales. Altera activa ad eos producendos cum ipſo Deo. Paſſivam omnes admittunt; undè controverſia remanet tantùm pro activa, quam ponunt ex Societate Jeſu Svarez in Metaph. diſp.43. ſect.4. num.6. & diſp.31. de Incarnat. ſect. 5. de potentia activa obedientiali in Sanctis ad facienda miracula, *Hurtadus diſp.9. Phyſica ſect. 14. & de Incarnat. diſp. 57. ſect. 3. Ariaga diſp.9. Phyſica ſect.4.* Contra alios eam negantes cum Thomiſtis, & Scotiſtis, licèt non omnibus, qui ſunt *Faber in 4. diſp. 2. num. 36. cum aliis citatis à Meldul. diſp. 7. Phyſica q.6. art.5.* qui num. 125. in aliquibus admittit, in aliis negat. Potentia igitùr iſta obedientialis activa eſt quædam vis inſita rebus ad producendum aliquẽ effectum ſupernaturalem cum ſpeciali Dei concurſu. Quid autem ſit hæc vis, diſcrepant Doctores; nam aliqui dicunt eſſe quandam qualitatem ſupernaturalem, quæ creaturam elevat ad producendum effectum excedentem ejus vires. Alii dicunt eſſe ipſam rei naturam connotantem extraordinarium Dei concurſum. Et inter iſtos, aliqui nullam activitatem ponunt in natura rei, quam propterea volunt fieri activam per ſolam conjunctionem, & ſubordinationem divinæ omnipotentiæ, abſque eo, quòd aliquid novi in ſe recipiat. Alii cum Svarez admittunt in ea activitatem aliquam, & volunt conſtitui ſub genere cauſæ inſtru-
49 mentalis, ut refert idem Meldul. num.123. qui ſequenti num.124. dicit, hanc potentiam obedientialem activam eſſe partialem potentiam, quæ completur per ſpecialem Dei concurſum cum creatura obediente, cujus inſufficientia ſuppletur per dictum concurſum. Itaquè hæc obedientia formalitèr conſiſtit in potentia activa partialitèr ex parte cauſæ ſecundæ, cui eſt intrinſeca, conjuncta cum ſpeciali auxilio Dei; eſt ergò conjunctio utriuſque cauſæ ad producendum effectum ſupernaturalem, ad quem cauſa ſecunda elevatur auxilio ſpeciali primæ. Do exemplum. Intellectus beati per hujuſmodi potentiam obedientialem activam elevatur ad videndum Deum, & eliciendum actus beatificos, ex quo dicitur ipſe intellectus ex parte ſua agere; nam de fide eſt definitum ſeſs. 6. can. 4. liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non ſe habere merè paſſivè, ſed agere, & operari cum Deo. Cum autem obedientialis hæc potentia ſit partialis cauſa, non totalis, ſequitur per ſpecialem Dei concurſum compleri, & perfici ad eliciendos actus ſupernaturales viſionis beatificæ. Eſt autem hæc obedientia activa talis conditionis, quòd creaturam, cujus eſt, conſtituit in genere cauſæ principalis in ſuo ordine, & non in genere inſtrumenti; nam inſtrumentum non attingit terminum principalis agentis, & ſi attingat, id præſtat in actuali influxu, & non per virtutem in eſse quieto; & hæc differentia eſt neceſsaria, ut diſtinguatur cauſa principalis partialis ab inſtrumentali, *ex Scoto in 4. diſt. 1. q.1. ad ultimum, & diſt. 6. quæſt.5. apud Meldul. diſp.7.*

*Phyſica q.5 & q.6. nu.*124. §. *Tertiò*. Undè intellectus beati ad eliciendum actus viſionis cum Dei auxilio concurrit non ut inſtrumentum, ſed ut cauſa principalis licèt partialis in ſuo ordine. Potentia ergò hæc obedientialis activa relinquit creaturam obedientem in ordine ſuæ cauſæ, & cum ſit partialis neceſſe eſt, quòd elevetur, & compleatur per ſpecialem Dei concurſum ad operandum ſupernaturalem effectum.

Colligo ex dictis tria requiri
50 ad potentiam obedientialem activam. *Primò*, quòd ipſa eſt vis ipſæ rei congenitæ quæ cum ſit partialis, cauſa de ſe eſt inſufficiens ad producendum effectum; undè eſt cauſa in habitu tantùm, quæ non poteſt exire in effectum ſine alterius auxilio, ſicut exempli gratia puer non poteſt trahere grave pondus, licèt vim, & potentiam actu habeat in habitu ſinè exercitio, tamen accedente viri adjutorio trahit cum ipſo pondus excedens ejus vires. Itèm ſenex habet potentiam in habitu ad legendum v.g. tamen eam non poteſt deducere ad actum, niſi cum uſu perſpicilium. Eſt ergò potentia hæc naturalitèr inſita naturæ rationali, ſed ex ſua inſufficientia non poteſt exire in actû niſi elevetur, hoc eſt, ab alio ad-
51 juvetur. *Secundò* hæc potentia ordinatur non ſolùm ad actus naturales, ut patet in duobus allatis exemplis, ſed etiam ad actus ſupernaturales, cum hac differentia, quòd in ordine ad actus naturales impropriè dicitur obedientialis, quia adjutorium ſibi non ſubdit coadiutum, licèt id ab illo elevetur ad operandum, & quandoquè potentia, remoto impedimento, reducitur ad actum. Potentia verò reſpectu effectuum ſupernaturalium propriè obedientialis dicitur, quia reſpicit Deum coadiuvantem, cui creatura rationalis, ſeù intellectualis reddit obedientiam, dum ſimul cum ipſo elevata operatur, ità quòd ſine illo numquam poteſt operari effectum ſupernaturalem. *Ter-*
52 *tiò* demùm potentia hæc præter ſuam virtutem ſibi innatam in ordine ad actum ſupernaturalem, quem tamen uti cauſa partialis, & inſufficiens attingere non poteſt, niſi elevata à Deo ut agente ſupernaturali, dicit hunc reſpectum ad ipſum Deum, cui obedit operando cum ipſo. Conjunctio ergò hujus potentiæ cum ſpeciali Dei auxilio dicit formalitatem ipſius potentiæ obedientialis in actu; in habitu verò eſt ipſa vis ordinata ad Deum elevantem ad productionem effectus excedentis ejus vires. Sed hæc cum hujus non ſint loci, reliquum eſt, ut reſpondeamus quæſtioni.

53 ℟. Datur potentia paſſiva in materia, & ſubjecto, ſuper quibus fiunt, & recipiuntur miracula; activa verò non datur, ſed Chriſtus, & Sancti operantur miracula moralitèr ſinè potentia activa obedientiali.

Prima pars de potentia obedientiali paſſiva probatur ex Sacra Scriptura Matth. 8. 27. Marci 4. 40. Lucæ 8. 15. *Venti, & mare obediunt ei*. Marci 1. 27. *Spiritibus immundis imperat, & obediunt ei*. Lucæ 17. 6. *Mons obediet vobis*. Ex his auctoritatibus manifeſtè

niſeſtè colligitur potentia paſſiva, dum venti, mare, mons, & dæmones recipiunt in ſeipſis actionem Chriſti miraculoſam.

54 Secunda pars de activa excluſa, probatur, quia Chriſtus, & Sancti nullam potentiam naturalem ſufficientem, vel inſufficientem habent in ſe in ordine ad miracula, dum cum iſtis nullam connaturalitatem habent, ſicut habent ad gratiam, & gloriam, ſed inchoatam, & imperfectam, ergò nullam activam obedientialem, dum hæc dicit eam naturalitatem. Confirmatur, quia Chriſtus, & Sancti non ſunt cauſæ principales miraculorum neque totales, neque partiales, ſed tantùm inſtrumentales, ut patet ſupra q. 11. nu. 33. ergò eorum potentia non poteſt dici obedientialis activa, dum hæc non eſt in genere inſtrumenti, ſed cauſæ principalis, ut dictum fuit ſupra.

Quæres 15. An mali homines poſſint facere miracula?

55 ℞. Poſſe, quia ad miracula facienda ex parte hominis duo ſufficiunt fides, & gratia gratis data, ut colligitur ex prædictis; ſed mali homines, & peccatores poſſunt habere fidem, & gratiam miraculizandi, neutra enim perditur per peccatum, ergò mali homines poſſunt facere miracula. Et hoc de fide certum eſt Matth. 7. 22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine: Nonnè in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo Dæmonia ejicimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquàm novi vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatẽ.* Chriſtus ergò non negat eorum miracula, quæ in nomine ejus, ſcilicèt, virtute illius fecerunt, ſed ad æternum ſupplicium condemnavit; quia non perſeveraverunt in bonis operibus uſque ad finem. Marci 9. 37. & Lucæ 9. & 49. Idem probatur *Magiſter vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos; & prohibuimus eum. Jeſus autem ait: Nolite prohibere eum. Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.* Quaſi dixiſſet, id vobis prodeſt, quia ſi mali homines faciunt miracula, à fortiori ea vos facietis, & credunt malis hominibus, credent magis vobis, permitto iſtis miracula, ne dubitent aliqui de veſtris ſignis, quæ facturi eſtis. Actiones ergò bonæ malorum hominum probant uberiores ſervorum Dei. Mali ergò homines aliis prodeſſe poſſunt, & ſibi ſi volunt, miracula igitùr ab iſtis fiunt, nec à Deo repro-
56 bantur, quandò ſunt vera, & in nomine ejus facta, undè Magus ille, qui coram Petro volare tentavit, ſibi præcipitium præparavit, dum cadendo ſibi plantas confregit, Deus igitùr illa confractione cæptum miraculum; non in nomine Dei, ſed Diaboli, cujus nomine, & virtute cœpit aſcendere, reprobavit, non enim Deus
57 eſt teſtis falſus *D. Thom. in Epiſt. 2. ad Theſſal. cap. 2. Scotus in 1. q. 2. Prologi verſ. De octavo ſcilicèt.* Ità in terminis *D. Aug. lib. 83. q. 79. D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2.*

58 Eſt autem magna differentia inter bonos, & malos homines in faciendis miraculis, nam miracula bonorum fiunt non ſolum ad utilitatem aliorum, ſed etiam propriam, nam eorum ſanctitas comprobatur, & ad eorum

merita Deus movetur ad facien-
dum miracula, & eis utitur tam-
59 quàm inſtrumentis vivis cum
ipſo cooperantibus ad miracula.
Malorum verò miracula è contra
ſiunt tantùm ad utilitatem alio-
rum; nec Deus movetur ex illo-
rum meritis, cum illis careant, ſed
propter beneficium aliorum, qui
merentur exaudiri, & iſtis in fa-
ciendis miraculis Deus utitur
tamquàm inſtrumentis mortuis,
undè benedixit Spiritus San-
ctus de Coripha prophetante Jo:
11. 51. *Hoc autem à ſemetipſo non
dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni
illius prophetavit, quod Jeſus mo-*
60 *riturus erat pro gente:* Deus ergò
uſus fuit Caipha in illa prophe-
tia, ſicut homo utitur baculo,
qui eſt quid mortuum, mortuo
vita fidei, ex D. Thom. 2. 2. q.
178. art. 2. ad 2. Caiphas ergo
non fecit miraculum prophetiæ
à ſemetipſo, ſicut faciunt bo-
ni homines prophetantes à ſe-
metipſis per Dei ſpeciale auxi-
lium præveniens.

Queres 16. An Sancti poſſint
facere miracula in res à ſe
diſtantes? Ratio dubitandi
eſt, quia in omni agente phy-
ſico requiritur contactus in-
ter agens, & paſſum, ex ne-
ceſſitate potentiæ finitæ & li-
mitatæ, quæ non poteſt age-
re extra ſpheram ſuæ activi-
tatis.

61 ℞. Certum eſt Chriſtum, &
Sanctos ejus quandoque rogatos
fuiſſe operaſſe miracula ſuper
materia longè diſtante à ſe; nam
Chriſtus puerum Centurionis à
ſe loco diſtantem ſanavit Matth.
cap. 8. 8. & 13. & filium Regu-
li; qui incipiebat mori, Ioan. 4.
47. ad 52. Reſuſcitavit Lazarum
quatriduanum jacentem in ſepul-
chro. Joan. 11. 33. ad 45. in mor-
tuis enim anima infinitè diſtat à
corpore, & à reſuſcitante.

62 Ratio dubitandi tollitur di-
cendo, in operationibus morali-
bus non eſſe neceſſarium conta-
ctum, ſicut in phyſicis, ideò cum
miracula dicantur à Sanctis mi-
niſterialitèr fieri imperando, vel
deprecando, non eſt opus con-
tactu.

Queres 17. An Deus per ſe-
ipſum immediatè aliquando
faciat miracula, an ſemper
utatur miniſterio alicujus
creaturæ intellectualis Ange-
li ſcilicèt, aut hominis?

63 ℞. Quamvis id facere poſſit,
ità enim mundum creavit, ta-
men in illis faciendis ſemper uti-
tur miniſterio aut Angelorum,
aut ſervorum ſuorum hominum
ſibi famulantium; hoc autem alia
ratione non probatur, niſi quia
ex Scripturis Sanctis habemus,
ipſum omnia opera ad extrà fe-
ciſſe miniſterio creaturarum, ut
per hoc diſtingueret excellentiam
operum ad intrà, ad quas non
admittitur conſortium creatura-
rum, quia illa ſunt ab æterno,
creaturæ verò ab initio temporis.
Quòd autem in operibus ad ex-
trà, excepta prima mundi crea-
tione utatur creaturis demon-
ſtratur, nam hoc patet de Chri-
ſto, & Sanctis hominibus, ad
quorum miniſterium fiunt à Deo
miracula; paritèr Angelis utitur
Dominus ad facienda miracula,
ut docet S. Auguſt. tom. 5. lib. 10.
de Civit. Dei cap. 8. & 12. Et de
Aſina Balaam num. 22. cujus os
Deus aperuerat ad loquendum
humano more, per Angelum,
ut dicit D. Thomas 2. 2. q. 165. art.
2. ad 4.

Quæ-

Quæres 18. An in omni miraculo à Chriſto, & Sanctis facto præcedat oratio ad Deum, ſivè fiat imperando, ſivè alio modo? Obſervo autem, quòd præviæ operationes ad miracula ſunt multæ, & diverſæ, de quibus dixi ſupra hic nu. 23. & 34.

64 ℞. Quovis modo fiant miracula, ſivè imperando, ſivè quavis alia actione, ſemper neceſſaria eſt oratio, qua Deus obſecretur ad faciendum miraculum; ratio eſt, quia à Sanctis miracula impetrantur à Deo, ergò per orationem, ſinè qua nihil impetrari poteſt, eſt enim impetrare precibus aliquid obſire. Ità ex S. Thoma 2.2.q.178.art.1.ad 1. ubi ait: *Quod quandoque fit præcedente oratione, ſicut cum Petrus Tabitam mortuam ſuſcitavit, Act.9. Quandoquè etiam non manifeſta oratione, & Deo ad nutum hominis operante, Sicut Petrus Ananiam, & Saphiram mentientes morti increpando tradidit, Act.5.* Ex quibus habes, ſi ex Sacra Scriptura non habetur expreſsè oratio in faciendis miraculis, tacitè tamen, & implicitè colligitur ſemper præcedere orationem, licèt non exprimatur in narratione miraculi.

Quæres 19. An Sancti in precibus porrigendis Deo, & aliis præviis operationibus præſciant futura miracula? Videtur, quod non, quia Apoſtoli cæperunt exorcizare dæmoniacum, quem non potuerunt ejicere, Matth. 17.19. ergò ignorabant eventum miraculi.

65 ℞. Servi Dei dum deprecantur Deum præſciunt futurum miraculum inſpirantem in cordibus eorum veritatem ejus, quod eventurum eſt. Probatur ex miraculo facto à S. Petro contra Ananiam, & Saphiram Act. 5. ubi n. 9. habetur de Saphira. *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini: Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & expiravit.* Apoſtolus ea verba dixit, antequã expiraret, ergò præſcius erat hujus miraculi, prænuntiando illi mortem. Confirmatur, quia modus imperandi arguit præcognitionem futuri miraculi; nam idem Petrus præſcivit rectificationem claudi futuram, dum ei imperavit Act. 3. 6. *Surge, & ambula.* Et Tabithæ mortuæ Act. 9. 40. juſſit: *Tabita ſurge; & illa aperuit oculos, & reſedit.* Certò ergò præſcivit hæc miracula, alitèr ignorans ſe expoſuiſſet periculo, ut irrideretur à circunſtantibus, orare enim non ità manifeſtè arguit effectum futurum, ſicut modus imperandi.

Ad rationem dubitandi reſpondeo, Apoſtolos tunc temporis, dum Chriſtus vivebat, certam fidem non habebant, ſed titubantem circà miracula facienda, ut dicitur ibidem *Propter incredulitatem veſtram.* Ideò non fecerunt miraculum ejiciendi Dæmones, nec tunc præſciebant defectu credulitatis; ad hanc enim præſcientiam futurorum miraculorum neceſſaria eſt præter ſanctitatem certiſſima fides circa miracula, quam poſt Chriſti reſurrectionem obtinuerunt firmam, & ſtabilem, ideò præſciebant miracula antequàm fierent. Confirmatur prædicta reſolvendo quæſtionem hanc, cur ſcilicèt Joſue ante-

antequam firmaret ſolem, & lunam locutus fuit cum Domino? Perplexus erat tunc, an Deus vellet facere miraculum, ideò Dominum conſulvit ſe certificando de miraculo, & habita prævia de miraculo notitia imperavit: *Ne movearis ſol.*

Quæres 20. An S. Joannes Baptiſta Domini Præcurſor fecerit aliqua miracula?

66 ℞. Non, expreſſe Joan. 10. 41. *Joannes quidem ſignum fecit nullum.* Reddit rationem S. Thomas par. 3. q. 38. art. 2. ad 2. quia tota doctrina, & operatio Joannis ordinabatur ad Chriſtum, qui multitudine ſignorum confirmavit ſuam, & Joannis doctrinam. D. Aug. tom. 9. tract. 48. in Joan. propè finem idem docet expreſſius. Joan. Chriſoſt. in Matth. homil. 47. poſt med. & cæteri omnes ſancti Patres ſequentes Evangelii veritatem. Non enim erat conveniens, quod in lege nova præponeretur ſenſus Domino ſuo & magis honoraretur per miracula Præcurſor, quam Chriſtus, cui præcurrebat denuntians ejus mirabilia.

Quæres 21. An Rex Franciæ ſanando ſtrumas dicatur facere miraculum? Quòd ille habeat hanc virtutem ex alto virtute olei delati per columbam, quo Clodovæus primus Rex fuit inunctus, ſupponitur ferè ab omnibus, ut docent *Hormida Papa Epiſt. 1. ad Remigium Rhemenſem, Bonifacius in Canoniz. S. Ludovici Francorum Regis.* Vocatur autem hæc virtus gratia gratis data *à Genebrardo in Cronico anni* 498. *Leſſio lib. 2. de Juſt. cap. 43. & aliis apud Thomam Hurtadum Cleric. Min. part. 1. Reſol. moral. tract. 5. cap. 4. reſol. 29.*

67 ℞. Non eſſe miraculum, quia non eſt quid inſolitum, ſed ordinariè, id evenit, ſanat enim quotquot laborant hoc morbo. Profert autem hæc verba cum ſigno crucis. *Rex te tangit, & Deus te ſanat*, ut ſubjungit dictus Thomas.

Quæres 22. An apud hæreticos ſit poteſtas faciendi miracula.

68 ℞. Negativè, Tùm quia vera miracula fiunt tantùm intrà Eccleſiam ex probatis Medit. 1. nu. 44. Hæretici autem ſunt extrà Eccleſiam, cap. Si quis *69.* 1. q. 1. Tùm quia ad facienda miracula eſt neceſſaria poteſtas ſpiritualis faciendi ea, ut patet hic ſuprà, ſed hæretici, ea carent, cum ſpiritualitas tantùm ſit intrà Eccleſiam. Tùm quia poteſtas faciendi miracula fundatur in fide ex probatis Medit. 3. 25. Hæretici autem carent fide, ergò non poſſunt facere vera miracula.

MEDI-

MEDITATIO III.

De Miraculis CHRISTI.

1 CHRISTUS, & JESUS differunt in modo ſignificandi.
2 Chriſtus habet omnem poteſtatem, ac proindè faciendi miracula.
3 Teſtimonia inimicorum favorabilia ſunt fide digniora.
4 Unio hypoſtatica non eſt cauſa miraculorum in Chriſto.
5 Poteſtas Chriſti ad miracula non eſt infinita.
6 Suam poteſtatem communicavit Apoſtolis ad miraculizandum.
7 Miracula probabant Chriſtum eſſe Deum.
8 Apoſtoli virtute Chriſti faciebant miracula.
9 Quomodò Sancti poſſunt facere majora miracula, quàm Chriſtus?
10 Apoſtoli ſecuti ſunt Chriſtum propter vocationem, non miracula.
11 Primum Chriſti miraculum Converſio aquæ in vinum.
12 Prædicavit priùs, & poſteà miraculis prædicationem ſuã probavit.
13 Nuptiæ in Cana Galileæ quorumnam fuerunt.
14 Cæcos ſeptem illuminavit.
15 Prævie diſpoſitiones requiruntur ad miraculum.
16 Præſertìm fides ex parte ejus, qui ſanandus eſt.
17 Cæci omnes ſubitò præter unum ſanati.
18 Unus eorum erat cæcus à nativitate, de aliis non conſtat.
19 Miraculum ſupponit diſpoſitionem ſubjecti ex parte agentis.
20 Et etiam ex parte ipſius ſubjecti.
21 Quatuor mutis donavit loquelam.
22 Lacrimatus eſt Jeſus in curatione muti, & in morte Lazari.
23 Dæmones multos ejecit ab obſeſſis.
24 Chriſtus ut homo Dominus abſolutus univerſorum.
25 Fides neceſſaria ad miracula.
26 Sacerdos ejiciens Dæmonia facit miracula.
27 Sacerdos poteſtatem ejiciendi Dæmonia recipit in ordinatione.
28 Mortuos tres revocavit ad vitam.
29 Lazari reſuſcitatio explicatur.
30 Duo fecit miracula, quia vivus, & ligatus venit foràs.
31 Reſuſcitati faciunt aliquid in ſignum veritatis miraculi.
32 Reſuſcitatus debet permanere vivus, & operari.
33 Ambulavit bis ſuper aquas.
34 De aliis miraculis à Chriſto factis.
35 Mulier patiens fluxum ſanguis ſolo tactu fimbriæ ſanatur.
36 Cur Chriſtus voluit manifeſtari hoc miraculum?
37 Virtus, quæ ab illo exivit, quid ſit?

MEDITATIO III.

1 HÆc duo *Chriſtus*, *Jeſus* vocabula, idem ſignificant, nimirùm Verbum Divinum, quod eſt ſecunda perſona *Sanctæ* Trinitatis; in modo verò ſignificandi diverſa ſunt, nam *Chriſtus* dicit eandem perſonam ex duabus naturis, ſcilicèt divina, & humana in ea ſubſiſtentibus, juxtà Symbolum S. Athanaſii: *Qui licèt Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ità Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* Duæ ergò ſunt naturæ, divina, & humana, non duo tamen, ſed unus Chriſtus unitate ſubſiſtentiæ perſonalis ex duabus naturis, & in duabus naturis. *Jeſus* verò nomen eſt eadem perſona Verbi ſignificans præcisè humanitatem per eam ſubſiſtentem; qui terminus apud Evangeliſtas eſt uſitatior, quia opera, quæ faciebat, dirigebantur ad cognitionem Dei hominis, quia filius hominis eſt. Sed accedamus ad quæſtiones.

Quæres primò, an Chriſtus habeat poteſtatem faciendi miracula?

2 ℟. Affirmativè, Matth. cap. fin. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Non dicit ſimpliciter *poteſtas*, ſed *omnis poteſtas*, ad ſignificandum, nullam ſpeciem poteſtatis excludi, qui enim omne dicit, ex vulgatis juribus, nihil excludit; ergò ſub illa generaliſſima poteſtate comprænditur etiam poteſtas faciendi miracula. Subjungitur *in cœlo, & in terra*, quia in utroque loco miracula facit, in cœlo, quia januas Paradiſi apervit Sanctis Patribus, & bono latroni, quibus comitatus Paradiſum introivit. In terra, quia tremuit in ejus morte, & ſuper eam tenebræ factæ fuerunt, & infinita fecit miracula, dum cum hominibus converſabatur, ut probaret omnibus, ſe eſſe verum hominem, & verum Deum. Confirmatur Lucæ 5. 17. *Virtus Domini erat ad ſanandum eos.* cap. 6. nu. 19. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Virtus autem hæc nihil aliud eſt quàm poteſtas ejus humanitati à Deo conceſſa ad faciendum miracula. Vel etiam ſumitur pro ipſis miraculis, ut dixi præced Medit. nu. 41. Idem confirmant, & teſtantur ejus inimici Pontifices, & Phariſei Joan. 11. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit.* Inimici autem teſtes pro inimico prætenſo potiſſimùm probant, ſine ulla
3 exceptione, *ſecundùm S. Hieronymum Epiſt. 61. ad Pamachium. S. Joann. Chryſoſt. Homil 18. in Joan. S. Baſil. Homil. 21. de humana Chriſti generat.* dicentis: *Ex inimicis teſtimonia longè præſtantiora, fideque digniora.* Matth. 11. num. 5. paucis multa refert miracula his verbis: *Cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Jeſus ergò non ſolùm habuit poteſtatem à Deo faciendi miracula, ſed etiam fecit, & quidem infinita, Joan. cap. fin. hiſce extremis verbis: *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Id autem eſſe de fide nullus fidelis ambigit, quia id

expreſsè

expreſsè dicunt concorditèr Sancti Evangeliſtæ.

Quæres 2. An hujuſmodi poteſtatem habuerit ex unione humanitatis ad Verbum? Affirmat; Ricard. in. 3. diſt. 14. art. 5. q. 2. humanitatem Chriſti factam fuiſſe potentem ad operandum ſupernaturalitèr per ipſam unionem hypoſtaticam.

4 ℞. Negativè, quia unio hæc ineffabilis per ſe, & præcisè humanitati Chriſti non contulit eam poteſtatem, ſed tantùm effecit ut natura humana ſubſiſteret per ſubſiſtentiam Verbi, dùm humanitas Chriſti in ſua creatione facta fuit ſinè propria ſubſiſtentia, ut poteſt uniri Verbo, & ultimo terminari per ejus ſubſiſtentiam ulteriùs incommunicabilis. Unio ergò fuit præcisè ad terminandam naturam humanam per ſubſiſtentiam Verbi, & non ad operandum; humanitas enim Chriſti per propriam exiſtentiam creatam erat potens, ut elevaretur per potentiam, & gratiam gratis datam ad operandum miracula. Et unio hypoſtatica, atque divina ſubſiſtentia ſolùm id præſtabat, ùt digniori modo operaretur, quam alii Sancti. Ità Averſa q. 13 de potentia Chriſti, ſect. 2.

Quæres 3. Cum habuerit Chriſtus omnem poteſtatem numquid poterat facere quæcunque vellet? Juxtà illud Pſal. *Quæcumque volvit fecit.* Et videtur quod ſic, quia omnem poteſtatem habet, ergò omnia facere poterat, quæ volebat; habere enim omnem poteſtatem arguit omnipotentiam, ut patet ex conditione terminorum.

5 ℞. Chriſto datà quidem fuit omnis poteſtas, nòn tamen infinita, ſed tantùm finita, & talis efficaciæ, qua poterat facere omnia, & quæcumque poterant conducere ad finem incarnationis, & redemptionis generis humani; hoc enim debebat; quia venerat ſalvare hominem, ergò habebat à Deo omnem poteſtatem, quæ neceſſaria erat ad conſequendum hunc finem, inter quæ erat etiam poteſtas faciendi miracula, ut per ipſa cognoſceretur Deus, & homo; & ut infideles per ſigna ejus mirabilia, converterentur ad fidem. Et ex his patet ad rationem dubitandi, Deum ſcilicèt humanitati Chriſti contuliſſe omnem poteſtatem, quæ reſpiciebat redemptionem generis humani, propter quod incarnatus erat; non ergò ea poteſtas fuit infinita, nec omnipotentia, neque enim Chriſtus Jeſus poteſt creare, annichilare, nec Dæmones ſalvare, &c.

Quæres 4. An Chriſtus ipſe ut homo dederit poteſtatem ſuis diſcipulis, & aliis faciendi miracula?

6 ℞. Chriſtus non ſolùm ut Deus, ſed etiam ut homo dedit eis poteſtatem faciendi miracula. De fide Matth. 10. 1. *Et convocatis duodecim diſcipulis ejus, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Marci 3. 13. *Dedit illis poteſtatem ſanandi infirmitates, & ejiciendi Dæmonia.* Idem dicitur Lucæ 9. 1. Certum ergò eſt de fide, Jeſum ſuis dediſſe Apoſtolis hanc poteſtatem faciendi miracula, & illos eam exercuiſſe dando vitam mortuis, lumen cœcis, auditum ſurdis, loquellam mutis &c.

Quæres 5. An miracula, quæ
Chriſtus fecit, probarent il-
lum eſſe Deum?

7 ℟. Affirmativè, Joan. cap. 10.
15. *Opera, quæ dedit mihi Pater,*
ut faciam, ipſa teſtimonium perbi-
bent de me. Confirmatur per ea,
quæ dixit cęcus illuminatus Joan.
9. 32. *A ſęculo non eſt auditum quis*
aperuit oculos cœci nati, niſi eſſet
hic à Deo non poterat facere quid-
quam. Nec obſtat teſtimonium
ejuſdem cap. 14. 12. *Qui credit in*
me, opera, quæ ego facio, & ipſe
faciet, & majora horum faciet.
8 Quia Sancti miracula non fece-
runt virtute propria, ſed aliena,
nimirùm Chriſti, ut probatur
præcedenti quæſtione; Chriſtus
verò ea faciebat tali virtute, quæ
ab illo exibat, ut dicitur: *Virtus*
de illo exibat, & ſanabat omnes.
Sed quomodò credentes in Deum
faciunt majora miracula, quàm
9 fecerit Chriſtus? Reſpondet D.
Auguſt. apud D. Thomam par. 3.
q. 43. art. 4 ad 2. quòd umbra Apo-
ſtolorum ſanabat ægrotos, quòd
majus miraculum eſt, quàm quòd
fimbria Chriſti ſanaret eoſdem.
Iſte exceſſus refertur ad modum
ſanandi, non ad virtutem ope-
randi, cum in Chriſto excellen-
tior eſſet virtus ad ſanandum,
quàm in Apoſtolis ab eo deriva-
ta. Vide nu. 36.

Quæres 6. An Apoſtoli Chri-
ſtum ſecuti fuerint propter
miracula, quæ faciebat, quaſi
miracula fuerint cauſa con-
verſionis illorum?

10 ℟. Antè patrationem miracu-
lorum Apoſtoli ſecuti ſunt Jeſum
ad ejus ſimplicem, hoc eſt, ſine
ſignis, vocationem, ut colligitur
ex Matth. c. 4. à n. 17. Marci c. 1. à n.
14. *Jo: 1 à n.* 40. Nam diſcipuli jam
vocati erant cum Chriſto ad nu-
ptias in Cana Galilææ, ubi pri-
mum fecit miraculum, ut legi-
tur Joan. cap. 2. à nu. 1. ad 12. Nec
obſtat, quòd ibidem num. 11. di-
catur: *Et crediderunt in eum diſci-*
puli ejus ex illo miraculo. Quia ex
Sanctis Gregorio, & Chriſoſto-
mo D. Thom. part. 3. q. 43. art. 3.
ad 3. reſpondet, quòd diſcipuli
crediderunt in eum, propter il-
lud miraculum, non quia tunc
primũ crediderunt, ſed quia tunc
diligentiùs, & perfectiùs credi-
derunt; quod vult dicere Apo-
ſtolos per illud miraculum fir-
miùs in Chriſtum credidiſſe,
quàm faciebant antè. Dic, quòd
crediderunt in eum, hoc eſt quòd
poterat facere miracula, ex quo
anteà non viderant eum facere
miracula; dum illud ſupponitur
primum, in quo diſcipuli erant
præſentes, conſequentèr cum jam
eſſent diſcipuli, illius ſectatores
non incœperunt eſſe ex cauſa mi-
raculorum, ſed ex ſola vocatione,
quæ efficacitèr penetravit corda
diſcipulorum, quos ad ſui ſequel-
lam convertit.

Quæres 7. Inter infinita mira-
cula, quæ Chriſtus fecit quod-
nam illorum fuit primum?

11 ℟. Fuit converſio aquæ in vi-
num optimum in nuptiis Canæ
Galilææ. Joan 2. uſque ad nu. 11.
illis verbis: *Hoc fecit initium ſigno-*
rum Jeſus in Cana Galilææ, & ma-
nifeſtavit gloriam ſuam. Ratio-
nem, cur antea non fecerit mi-
racula, reddit S Thomas par. 3.
q. 43. art. 3. quia miracula ordinan-
tur ad confirmationem doctrinæ,
12 quam Chriſtus prædicabat, & ad
manifeſtationem ſuæ divinitatis;
debuit ergò priùs prædicare, &
poſteà miraculizare, ut confirma-

ret

rec utrumque, & veritatem ſuæ doctrinæ, & quòd erat Deus, & homo: unde Evangeliſta dixit: *Et manifeſtavit gloriam ſuam*, quia patrando illud miraculum, ſe hominem jam notum, fecit credere ſe quoque eſſe Deum; cum omnipotentia ad illud miraculum arguat eſse Deum, dum virtute propria illud perpetravit.

13 Sed quorumnam fuerunt hæ nuptiæ? Sancti Hieronymus, Auguſtinus, Albertus Magnus, Lytanus, & alii apud Antonium de Gislandis Ordinis Prędicatorum, dicunt, fuiſse Joannis Evangeliſtæ, & Anachiræ amborum virginum, qui numquàm matrimonium conſumarunt.

Quæres 8. Quot cœcos illuminaverit?

14 ℟. Septem, præter plures alios, de quibus non fit mentio in ſpecie, ſicut de ſeptem ſequentibus. Primi duo ſimul illuminati Matth. 9. à num. 27. *Et aperti ſunt oculi eorum*. Tertius refertur ab eodem cap. 12. num. 22. *Tunc oblatus eſt ei Dæmonium habens cęcus, & mutus, & curavit eum, itaut loqueretur, & videret*. Quartus, & quintus refertur Matth. 20.29. de duobus aliis illuminatis. *Et egredientibus illis de Jericho, ſecuta eſt eum turba multa; & ecce duo cęci ſedentes ſecùs viam, audierunt, quia Jeſus tranſiret &c. Tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum*. Sextum cœcum illuminavit teſte Marco 8. 22. *Impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cæpit videre, & reſtitutus eſt, itaut clarè videret omnia*. Septimum, & ultimum cœcum apud Joan. 9. 1. vocant cœcum natum. Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: *Vade lava in Natatoria Siloe; abiit ergò, & lavit, & venit videns*.

Marcus cap.10 num.46. narrat illuminationem cœci, qui vocatur Bartimæus filius Timæi, & erat mendicans in via; Lucas ſimilitèr cap. 18. 35 refert cœcum paritèr mendicantem à Chriſto illuminatum. Iſti autem duo ſunt quartus, & quintus, de quibus ſuprà dixi; ideò præter ſeptem, alios non legi expreſsè illuminatos à Chriſto, qui tamen multis aliis viſum reſtituit, Lucæ 7.21. ibi: *Et cęcis multis donavit viſum*.

15 Obſervanda ſunt duo in curandis hujuſmodi cœcis, *primò* prævia diſpoſitio, ut ità dicam, curationis, quæ non excedit vires naturæ Chriſti hominis operantis. *Secundò* forma viſionis inducta in oculo cœco, in qua conſiſtit formalitas miraculi; quod excedit vires naturæ, quæ lucem dare non poteſt carentibus.

16 Ratione primi hoc eſt, diſpoſitionis primi duo cœci Matth. 9. 28. ſic curati ſunt, interrogatione, ſcilicèt, illis verbis: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis. Dicunt ei: Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis, & aperti ſunt oculi eorum*. Tria ergò hic ſpectantur ex parte diſpoſitionis, interrogatio, & tactus oculorum, quæ ſe tenent ex parte Chriſti, & fides ſpecialis, quòd poſſent à Criſto ſanari, ſe tenens ex parte illorum cęcorum, ſinè quorum fide non fuiſſent ſanati; hęc enim omninò neceſſaria eſt ex parte ſubjecti, ſuper quod fit miraculum; irrationabile enim eſt, quòd quis petat beneficium ab

alio, & non eredat illum poſſe tale beneficium conferre, de qua fide dixi Medit. 1. num. 36. In illuminatione tertii cœci Matth. 12. 22. non apparet expreſsè, ſed tantùm implicitè diſpoſitio, illis verbis: *Curavit illum, itaut loqueretur, & videret*. Ad reſtitutionem viſus quarti, & quinti cœcorum præceſſerunt hæ diſpoſitiones Matth. cap. 20. nu. 29. nam Chriſtus vocavit eos, ut dicerent quid vellent, & reſponſo ab eis accepto, ut aperirentur oculi eorum, illorum tactis oculis, confeſtim viderunt, ex parte Chriſti fuerunt duæ actiones, interrogatio, & tactus oculorum, ex parte cœcorum petitio, ut ſanarentur à cęcitate. Ab iſtis illorum fidem non petiit, ſicut exegit à primis duobus, ſecundùm quorum fidem ſanatur. Nec à tertio fidem exegit; nihilominus ſinè fide non fuerunt illuminati, quia ex eorum deprecatione cum magna inſtantia ſatis nota erat eorum fides. Circà illuminationem ſexti multis uſus fuit, quia illum invenerat multum indiſpoſitum; undè neceſſarium fuit paulatim diſponere, ut tandem perfectam reciperet viſionem; nam apprahendit in primis manum ejus quaſi tangens pulſum ejus valdè irregularem invenit ex falſa doctrina, qua à Scribis, & Phariſæis erat imbutus; undè Chriſtus eduxit eum extrà vicum, & expuit ſuper oculos ejus, manibus impoſitis cępit videre aliquantiſpèr in confuſo, quia interrogatus à Chriſto, quid videret, reſpondit? *Video homines velut arbores ambulantes*. Hoc autem illi accidit, quia illis actibus expuendi, & imponendi manus, quibus Chriſtus intendebat eum priùs liberare à cœcitate infidelitatis, non conſentiebat: demùm firmitèr credens per novam manuum impoſitionem ſuper oculos cępit clarè videre, quia cępit perfectè credere; juxtà ergò menſuram ſuæ credulitatis videbat, cauſa ergò nec infidelitatis protraxit illuminationem. Ultimum cęcum remedio potiùs excęcativo, quàm illuminativo ſanavit; ideò neceſsè fuit, ut oculos expurgato luto lavaret, ut poſſet recipere viſum; aqua ergò ſordidos oculos exterſit, ſed lumen non dedit, in quo formalitas miraculi fuit à Chriſto miniſterialitèr, & à Deo efficientèr, qui ad poſitionem luti, & ejus lavationem dedit cæco viſum.

17 Hinc deducitur omnes cęcos in inſtanti fuiſſe illuminatos perfectè, quia ſtatim crediderunt, præter ſextum; qui ſicut paulatìm augebatur ejus credulitas, & fides, ità ſucceſſivè à Chriſto ſanabatur. Quarè verum cenſetur miraculum illius, qui per octo annos remanſit cœcus nihil videns, qui ſæpiùs, & cum magna fide petierat à Beata Virgine Maria illuminari. Cæpit autem poſt Salutationem Angèlicam veſpertinam videre in camera domus ſuæ duo lumina accenſa, & nihil aliud, quamvis ibidèm eſſent alia objecta viſibilia ex igne duarum Candellarum illuminante totam cameram, ſequenti verò die vidit omnia, ut cæteri homines. Quòd autem ſit hoc verum miraculum, & non tantùm gratia, patet, quia ad perfectionem viſionis non eſt neceſsè videre omne viſibile ſibi objectum, ſed ſufficit aliquid videre, dum antè

ré nihil per multum tempus vidit; maximè cum nullum fuerit adhibitum naturale, vel artificiale remedium, niſi frequens invocatio Glorioſæ Virginis, quæ ſervum ſuum exaudivit. Nequè aerem mutavit, ex quo poſset ſuſpicari in mutatione aeris obſtaculum receſſiſſe; & ſic naturalitèr videre cæpiſſe, cum nihil anteà vidiſſet.

18 Dubitari poteſt, an omnes præfati ſeptem cœci fuerint tales à nativitate, an aliqui eorum caſu poſt in lucem editi: De uno à nativitate cœco conſtat, & eſt ultimus ex ſeptem. Circà alios nulla ſit mentio de modo eorum excœcationis: Si ergò nati, ſivè poſteà facti, omnes miraculosè ſanati ſunt.

19 Ratione formæ hæc miracula cęcorum in eo conveniunt, quòd depulſo impedimento cęperunt videre per reſtitutionem viſus in ſubjecto, quod ſolus Deus ad miniſterium creaturæ facit; & in hoc tantùm conſiſtit formalitas miraculi, ut ſit à ſolo Deo, poſitis diſpoſitionibus, ut qualitercumque per Chriſtum, & alium Dei ſervum, qui dicitur facere miraculum miniſterialitèr per præparationem eorum, quæ ipſum ſubjectum diſponunt, utcumquè ad receptionem miraculi.

20 Creatura ergò Dei ſervus præparat, & quaſi diſponit ſubjectum, ſuper quod faciendum eſt miraculum; & ſi ſit homo capax rationis, & uſum habens rationis debet ſe diſponere non ſolùm per fidem credendo in Deum, & in Sanctum potentem impetrare à Deo beneficium miraculi; ſed etiam ſeipſum diſponendo, & rogando Sanctum, vel Deum, ut per illius intereeſſionem gratiam recipiat, ut patet in exemplis allatis de cœcis, qui fidem habebant, & rogabant Chriſtum, ut reciperent ab eo viſum. Et de his infrà ſuo loco.

Quæres 9. Quot mutos, & ſurdos ſanaverit?

21 ℞. Chriſtus loquelam multis reſtituit, in ſpecie quatuor, quorum primus Matt. 9. 32. *Ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem, & ejecto dęmonio locutus eſt mutus*. De ſecundo idem Matth. 12. 22. *Tunc oblatus eſt ei dęmonium habens cęcus, & mutus, & curavit eum, itaut loqueretur, & videret*. Tertium refert Lucas 11. 14. *Et erat ejiciens dęmonium, & illud erat mutum, & cum ejeciſſet dęmonium, locutus eſt mutus* Quartus habetur apud Marcum 7. 32. *Et adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum, & apprehendens eum de turba ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cęlum ingemuit, & ait illi Epheta, quod eſt adaperire, & ſtatim apertę ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè*. Iſti quatuor erant muti tantùm præter quartum, qui erat etiam Surdus, non verò vexatus à Dœmone, ſicut tres priores. D. Joan. Chryſoſt. ſuper Matth. dicit, hominem illum antequàm eſſet à Dœmone vexatum non carviſſe loquela, illis verbis: *Non enim naturæ erat hæc paſſio* ſcilicèt eſſe mutum, *ſed ex dęmonis inſidiis*. apud D. Thomam in Catena Aurea ad cap. 9. Matthæi, & in cap. 12. paritèr ait ex S. Chriſoſt. *Miranda autem eſt nequitia dęmonis utrumque ingreſſum*

*ingreſſum oppilavit, per quem ille
erat crediturus, ſcilicèt, & audi-
tum, & viſum*, loquens de quar-
to muto, cum Theophilato ab
eo relato ad cap 7. Marci de quar-
to muto, his verbis: *Quod rectè
poſt dęmoniaci liberationem ponitur,
ex dęmonio enim erit talis paſſio*.
Itaquè rectè dici poteſt, hos mu-
tos à Dęmone vexatos, non fuiſ-
ſe tales à nativitate, neque caſu
poſtmodum tales effectos, ſed
Dęmonium eorum linguam col-
ligaſſe, & aures obturaſſe, ne
Deum confiterentur, neque ejus
audirent verbum. Sed cur inge-
muit in curatione quarti muti,
qui etiam ſurdus erat, & non in
aliis? Ratio eſt, quia magis com-
paſſus fuit Chriſtus iſti, ut qui per
ſurditatem non poterat imbui in
22 rebus fidei, ſicut poterant alii,
qui auditu non carebant. In nul-
lis autem miraculis Jeſus flevit,
niſi in hoc, & in reſuſcitatione
Lazari, propter amicitiam, quam
cum eo, ſtrictam, habebat, ut
dicit ibidem textus Joan. 11. 37.
Ecce quomodò amabat eum. Lacri-
matus eſt Jeſus, & quia homo
erat, & quia Lazarum diligebat,
ideò à mortuis ſuo imperio divi-
no revocavit vivum.

**Quæres 10. Quot Dęmones
ejecerit è corporibus homi-
num?**

23 ℞. Jeſus multos ejecit, ut legi-
tur Marci c. 35. & 39. in ſpecie
autem liberavit à Dęmoniis tres
mutos, de quibus dictum fuit in
præcedenti quæſtione; quartum,
& quintum ſanavit, Matth. 8. 28.
Marci ca. 5. Lucæ 8. 27. Matthæus
ibidem numerat duos vexatos,
quorum Dęmonia intraverunt in
porcos: Marcus, & Lucas unum
tantùm referunt, qui fuit unus ex
illis duobus. Sextus fuit filia Ca-
naneæ, Matth. 15. 22. Septimus
habetur Marci 1. 23. & Lucæ 4.
33. Octavus. Marci 9 16. Nonus
eſt Maria Magdalena, ex qua
Jeſus ſeptem Dęmonia expulit,
Marci 16. 9. Joan. 20. 16.

24 Duo colliguntur hinc, unum
de abſoluto Chriſti dominio ſu-
per omnes creaturas, alterum de
præſtantia fidei. Abſolutum Je-
ſus dominium ut hominis infer-
tur ex ſuffocatione porcorum fa-
cta per immiſſionem Dœmonum
ejectorum à corporibus illorum
duorum obſeſſorum, Matthæi 8.
28. in porcorum gregem ſuffoca-
tum in mari; ſi enim Chriſtus
ut homo non eſſet univerſorum
dominus, non potuiſſet illos juſtè
mittere in porcos, & ſuffocare
illos in aquis, in notabile dam-
num illius, cujus erant. Confir-
matur idem exemplo ficulneæ
areſactæ, apud Matth. 21. 19.

25 Alterum eſt de præſtantia fi-
dei, nam ſi homo ille fidem non
habuiſſet, Marci 9 21. *Si quid
potes adjuva*, ejus filius à Dęmo-
ne vexatus, non fuiſſet liberatus,
& quia firmitèr non credebat, pe-
tiit adjutorium cum lacrimis:
*Credo Domine, adjuva incredulita-
tem meam*, & à Chriſto exaudi-
tus firmitèr credidit, & ſic obti-
nuit beneficium curationis pro
filio. Initium ergò credendi à
Deo provenit in nobis.

Sed numquid ejicere Dęmo-
nia eſt actus miraculoſus? Nam
quotidiè videmus Sacerdotes ex-
orcizare vexatos ab immundis
ſpiritibus, & quandoque eos li-
berare, & nemo de his miratur,
ergò non ſunt miracula.

26 ℞. Ejectiones Dęmonum eſſe
miracula. Tùm quia hujuſmodi
ex-

expulſiones excedunt vires exorcizantium, cum Dęmones ſint natura majores hominibus, juxtà illud Pſalmi. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*. Tùm quia diſcipuli Domini non poterant ejicere centum genus Dęmoniorum, alia verò utiquè. Lucæ 9. 44. & admirabantur, ergò ejicere Dęmonia eſt propriè miraculum.

27 Ad rationem dubitandi reſpondetur, Sacerdotes reverà habere poteſtatem ſpecialem exorcizandi ex vi ordinis Exorciſtatus, ac proindè exorcizando miracula facere, dum è vexatis expellunt Dęmonia. Nec refert admirationis negativa, quia opinio hominum non facit miraculum, ſed factum ipſum excedens vires naturæ, & cum admiratio ſit effectus ſequens ad miraculum non eſt cauſa miraculi. Non admirantur homines hæc, quæ paſſim vident, quia aſſiduitate vileſcunt, inquit D. Auguſt. ſerm. 147. de tempor.

Quæres 11. Quot mortuos Chriſtus reſuſcitaverit?

28 ℟. Plures reſuſcitavit, de tribus fit mentio tantùm in ſpecie. *Primus* fuit puella duodecim annorum. Matth. 9. 24. Marci 5. 35. Lucæ 8. 54. *Secundus* eſt filius unicus certæ matris. Lucæ 7. 15. *Tertius* demùm eſt Lazarus frater Martæ, & Mariæ. Joann. 11. 14.

29 Inter miracula reſuſcitatio mortuorum eſt maximum, & in primo gradu excellentiæ miraculorum, ad quod demonſtrandum, Chriſtus multis actionibus præviis pervenit tandem ad reſuſcitationem Lazari quatriduani, in qua operatione, & hominem, & Deum ſe monſtravit; ut homo ſeptem permiſit actiones, de quibus Joan. 11, à nu. 33. ad 43. *Primò*, infremuit ſpiritu, & ſeipſum turbavit. *Secundò*, quæſivit locum ſepulchri. *Tertiò*, lacrimatus eſt oſtendens dilectionem ſuam ergà Lazarum. *Quartò*, fremuit iterùm in ſemetipſo. *Quintò*, juſſit lapidem amoveri à monumento. *Sextò*, pronunciavit gloriam Dei credentibus. *Septimò*, demùm gratias egit Deo, qui illum exaudivit de reſuſcitatione Lazari. Hęc omnia arguunt Chriſtum hominem, cum prædictæ actiones ab aliis hominibus fieri poſſint; demùm quatenùs Deus juſſit, illum ſurgere vivum: *Lazare veni foras*. Per imperium ſuæ omnipotentiæ. Priores actiones ſucceſſivè acciderant, ut tandem Deus illis poſitis tamquàm cauſis moralibus, ſequeretur in inſtanti effectus miraculi Lazari reſuſcitati: *Et ſtatim prodiit*.

30 Sed cur Chriſtus reſuſcitavit priores duos mortuos per verbum; *Surge*, & Lazarum per verba *Lazare veni foras*, cum & ipſe ſurrexerit? Ut appareret duplex miraculum in Lazaro, primum eſt ejus reſuſcitatio, quia ſurrexit ligatis manibus, & pedibus ibi: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire*. Prodiit ergò ex ſepulchro adhuc ligatus manibus, & pedibus, quod eſt miraculum ſecundum. Non dixit ergò Jeſus: *Surge*, ſed uſus fuit illis verbis: *Veni foras*, ut circunſtantes utrumque viderent miraculum, & Lazarum exeuntem de ſepulchro ligatum, & à mortuis

tuis reſuſcitatum; nam ſi fuiſſet miraculosè intrà ſepulchrum à vinculis abſolutum, tale non appariſſet miraculum uti factum in loco non patenti oculis circunſtantium, qui forſan non erant propè ſepulchrum, ne fœtorem ſentirent quatriduani.

31 Poſt illorum reſuſcitationem, Chriſtus ſuper eos ſic reſuſcitatos aliquid operatus fuit, ad oſtendendum aliquod phantaſma non finxiſse, ſed verè eoſdem numero mortuos ad vitam revocaſse; nam puellæ juſſit ut manducaret; puero autem ut loqueretur, & Lazarum fecit ſolvere à vinculis, & abire, ut evidentia miraculi omnibus manifeſtè, & ſine ulla hæſitatione appareret.

32 Ex quo colligo ad veritatem miraculi reſuſcitationis requiri, ut reſuſcitatus permaneat vivus, & opera vitæ faciat, ne corpus mortuum videatur aſsumptum ab aliquo Dæmone, & non ab anima iterùm informante ſuum proprium corpus, quod anteà animabat. Poſsunt autem Dæmones, Deo permittente aſsumere corpus humanum alicujus defuncti, quod tunc videtur vivum, quod tamen tale reverà non eſt, quia non informatur à ſua anima, ut neceſsarium eſt ad hoc ut homo verè dicatur ex mortuo revocatus ad vitam.

Quæres 12. An Chriſtus ambulaverit ſuper aquas maris.

33 ℞. Affirmativè, & quidem bis. *Primò* Matth. 14. 25 *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare.* Marci 6. 48. *At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt; omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.* *Secundò* Joan. 6. 19. *Vident Jeſum ambulantem ſupra mare.* Aqua ergò pedibus Chriſti redditur ſolida, & calcabilis ſine ſubmerſione.

Quæres 13. de nonnullis aliis miraculis à Chriſto factis?

34 ℞. Chriſtus plures claudos rectificavit. Matth. 15. 3. cap. 21. 14. de nullo in ſpecie fit mentio. *Secundò* Lucæ 13. 11. mulierem curvam erexit. *Tertiò* Lucæ 22. 51. auriculam Malcho per Petrum præciſam reſtituit. *Quartò* Matth. 12. 17. Manum aridam homini vivificavit. *Quintò* Matth. 14. à num. 17 ad 23. Marc. 6. 43. Lucæ 9. 16. Joan. 6. 11. Panem multiplicavit bis, primò ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus ſatiavit quinque mille homines, præter mulieres, & parvulos, collectis ex fragmentis duodecim cophinis. Secundò Matth. 15. 32. ex ſeptem panibus, & paucis piſciculis ſatiavit quatuor mille homines, ultrà mulieres; & parvulos, & de fragmentis diſcipuli collegerunt ſeptem ſportas plenas. Marci 8. 1. ad 11. *Sextò* Joan. 2. convertit aquam in vinum in nuptiis, ut dixi hic num. 11. *Septimò*, tres ſanavit paraliticos, de primo puero Centurionis. Matth. 8. 7. de ſecundò. Matth. 9. 6. præſente Jeſu, reſpectu primi erat abſens. De tertiò Marci 2. 3. & Lucæ 5. 18. *Octavò*, Undecim leproſos ſanavit, unum Matth. 8. 3 de decem fit mentio Lucæ 17. 12. *Nonò* alios ſanavit à febri, nempè Socrum Simonis Petri. Matth. 8. 15. Liberavit filium Reguli à febri abſentem, Joan. 4. 46. Reſtituit ſanitati quendam hydropicum, Lucæ 14. 4. Sanavit à fluxu ſangui-

ſangui-

ſanguinis mulierem. Matth. 9. 20. quæ tetigit fimbriam ejus veſtimenti, de qua etiam Lucæ 8. 43. Referam verba, quæ miſte-
35 rio plena ſunt: *Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari. Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus. Et ait Jeſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit. Et dixit Jeſus: Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiſſe. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus, & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coràm omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.*

Duo hic faciunt difficultatem, *Primò*, cur Chriſtus quærit quis eum tetigerit, cum omnia ſciret, & mulierem eb eo fuiſſe ſanatam à fluxu ſanguinis ob magnam fidem, quæ habebat etiam in ſolo tactu fimbriæ? *Secundò*, quid erat illa virtus, quæ ex illo exiverat?

36 Reſpondetur ad primum, Chriſtum per illud quæſitum volviſſe ſuam manifeſtare divinitatem; nam ut homo nec tactum ſuæ fimbriæ, nec mulieris fluxum, nec ſanitatem à fluxu poterat intelligere ſenſibilitèr, & more hominum, quia mulier occultè tetigit, illo non vidente, nec cognitionem habebat illius morbi, quia nihil ei omninò dixerat, nec proindè notitiam habebat, quòd fluxus ſtetiſſet, & nihilominùs, manifeſtè dicit, ſe fuiſſe tactum, & virtutem ab illo exiſſe, quod tamen ſcire non poterat ſenſibilitèr, niſi Deus fuiſſet; per interrogationem igitùr, & miraculum notam manifeſtavit ſuam divinitatem.

37 Ad ſecundùm, nihil aliud eſt ea virtus, quàm ipſum miraculum, quòd fluxus ſanguinis ſteterit, & ceſſaverit, exiens à Chriſto i. ab eo factum, ut dixi etiam Medit. præced n 41.

Quæres 14. An Chriſtus per ſuum temperamentum ità præſtans, & excellens fecerit miracula?

38 ℞. Negativè, quia hoc temperamentum, quod eſt ſecundùm æquales gradus elementorum omnium, & qualitatum eorum, quæ exiſtant ad pondus, & in æquilibrio; itaut unus gradus contrà aliam pugnare nequeat ad deſtructionem corporis, quod ideò vocant temperamentum juſtitiæ, ſeù ad pondus, dicunt pleriquè medici, quod dabile non eſt, quia alias corpus naturale mixtum non eſſet corruptibile de facto, ſi illud temperamentum daretur, nam corpus præſervaret à corruptione. Quod ſi non eſt dabile in cæteris corporibus, nec in corpore Chriſti, qui aſſumpſit omnes corporis defectus, qui ſunt communes humanæ naturæ, nam eſuriit, fatigabatur &c. ergò per temperamentum, quo carebat, miracula non faciebat, ſed propter ſua merita illa perpetrabat, ut Dei excellens inſtrumentum. Confirmatur, quià eſto daretur tale temperamentum, adhuc per illud non operatus fuiſſet miracula, quia illud eſt quid naturale, ac proindè inefficax ad producendum effectum ſupernaturalem. Vide Fonſecam in par. 3.

diſp. 57. cap. 3. ubi plura de hac re.

Quæres 15. An Chriſtus per imaginationem fecerit miracula?

℞. Negativè, quia cum imaginatio ſit mentis facultas concipiendi aliquid, & quidem naturalis ejus vis, non niſi naturalia efficere poteſt, ergò producere non poteſt miracula, quæ ſunt opera ſupernaturalia; Chriſtus ergò miracula faciebat non per imaginationem, ſed per ſua merita, quibus Deo gratus erat, qui ideò per ipſum mirabilia operabatur. *Confirmatur*, quia eſto ex imaginatione plura procedant etiam mirabilia, ut docent Conymbr. 1. de Generat. cap. 9. q. 1. art. 2. cum aliis Meldul. diſp. 5. de Anima nu. 379. & 380. ubi quòd imaginativa non ſolùm circà proprium corpus, ſed etiam alienum producere poteſt varios effectus. Tamen vera miracula efficere non poteſt, cum tales effectus excedant ejus virtutem, quæ limitata eſt ad effectus naturales; palàm enim eſt, imaginationem non illuminare cœcos, non reſuſcitare defunctos, & alia hujus generis; quòd ſi aliquandò imaginatio videatur mirabilia facere, id ei tribuendum non eſt, ſed dœmoni, qui talia operatur faſcinando homines, nullam vim conferente imaginatione.

MEDI-

MEDITATIO IV.

An Miracula ſint neceſſaria.

1 *Neceſſarium ſimpliciter, & ex ſuppoſitione.*

2 *Neceſſarium abſolutè, & relativè.*

3 *Neceſſaria ſunt miracula quò ad eſſentiam, & eorum exiſtentiam.*

4 *De fide credendum eſt extare miracula.*

5 *Omnipotentia Dei miraculis probatur.*

6 *Effectus naturales non probant omnipotentiam.*

7 *Duæ operationes in Chriſto, ut eſt homo, & ut Deus.*

8 *Neceſſaria erant miracula initio Eccleſiæ.*

9 *Chriſti miracula probabant illum Deum.* 7.

10 *Signa ſunt data infidelibus, non fidelibus.*

11 *Definitio fidei non prærequirit miracula.*

12 *Beatificatio, & Canonizatio differunt.*

13 *Sola ſanctitas ſufficit ad Canonizationem.*

14 *Probata tamen per miracula.*

15 *Non neceſſaria pro martyribus.*

16 *Martyrium delet culpam, & pœnam totam.*

17 *Martyrium verè non eſt expertum ob malum finem.*

18 *Miracula ſunt neceſſaria poſt mortem.*

19 *Miracula fiunt etiam à malis.*

20 *Duo miracula ſufficiunt.*

MEDITATIO IV.

1 PRæmitto illud dici neceſſarium, quod aliter ſe habere non poteſt, e. g. Homo neceſſariò ità animal rationale eſt, ut alitèr ſe habere non poſſit. Miraculum eſt effectus excedens vires totius naturæ, ut alitèr ſe habere non poſſit; & hujus generis neceſſarium vocatur tale ſimplicitèr, & abſolutè; undè duplex eſt neceſſarium, nempè ſimplicitèr, ſeù abſolutè, quod ſcilicèt tale eſt ex ſeipſo ſine ullo ordine ad aliud; & neceſſarium ex ſuppoſitione finis, tale ſcilicèt in ordine ad aliud; ut motus eſt neceſſarius homini volenti currere, ſeù loqui; virtus enim, & locutio eſſe non poſſunt ſinè motu, ut experientia docet; ordinatur ergò, & ſpecificatur hæc neceſſitas à fine, in quem agens neceſſariò tendere debet, ex ſuppoſitione, quòd velit illum conſequi. Exemplum pono in homine; qui ex ſuppoſitione, quòd velit ſalvare animam ſuam, poteſt incedere per duas vias, quarum una eſt ſibi ſimplicitèr neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti, alia non, ſed tantùm utilis, & ſecurior ad obtinendum finem ſalutis intentum. Prima via ſimplicitèr neceſſaria eſt ſtatus Chriſtianitatis; nam extrà hunc nullus po-

Digitized by Google

teſt ſalvari, & is ſtatus à Theologis appellatur neceſſarius neceſſitate medii, ſinè quo nullus ſalvatur; & etiam præcepti, quia Deo vocanti obediendum eſt; vocat enim omnes homines ad fidem, & ſalutem, in ordine ad quam creati ſunt omnes. Alia via non neceſſaria ſimplicitèr, ſed ſecundùm quid, hoc eſt, valdè utilis ad conſequendam ſalutem animæ, eſt ſtatus religionis, qui tamen non eſt abſolutè, & neceſſitate medii neceſſarius ad ſalutem, cum manifeſtè pateat, homines non *religioſos*, ſed laicos, & ſęculares in eo ſtatu animas ſalvare, dum ſunt in ſtatu Chriſtianitatis, qui eſt ſimplicitèr, & abſolutè neceſſarius, & ſufficiens ad ſalutem.

2 Colligitur ex his, neceſſarium dici duplicitèr, abſolutè, & relativè; illud dicitur neceſſarium abſolutè, quod eſt tale ex ſua eſſentia, & exiſtentia, ut homo neceſſariò eſt animal rationale exiſtens in ſuis inferioribus. Miraculum excedit vires totius naturæ à ſolo Deo procedens principalitèr. Tale verò relativè dicitur, quod eſt neceſſarium in ordine ad aliud; clarum enim eſt, motum non eſſe neceſſarium ſimplicitèr homini, cum illi accidat, tamen ex ſuppoſitione, quòd velit currere, neceſſariò movetur; & dum vult conſequi vitam æternam neceſſariò debet fieri Chriſtianus, & ſervare mandata, ſi vult ad vitam ingredi.

Status ergò hujus Meditationis in eo conſiſtit an miracula neceſſaria ſint neceſſitate abſoluta quò ad eorum eſſentiam, & exiſtentiam; & quò ad neceſſitatem ſuppoſitionis conſequendi aliquem finem; & quò ad neceſſitatem utilitatis, & profectus, qui ex miraculis complectitur. Pro clariori hujus rei intelligentia.

Quæres 1. An miracula ſint neceſſaria quo ad eorum eſſentiam, & exiſtentiam?

3 ℞. Affirmativè, quia quò ad eorum eſſentiam neceſſarium eſt, quòd ea ſint effectus ſupernaturales ardua, inſolita, excedentia vires totius naturæ à ſolo Deo procedentia in genere cauſæ efficientis principalis, quæ ad poſitionem alterius rei factæ ab homine producit illud. Id totum patet ex dictis Meditat. 1. q. 2. & ſeq. Patet quoquè eorum neceſſitas quo ad exiſtentiam; quia certum eſt ea exiſtere, & patent ad oculum recenſita in ſacris literis; nam populus Iſraeliticus tranſivit mare Rubrum ſiccis veſtigiis, S. Franciſcus de Paula, tres pueri in fornace Babylonis, & multi alii ſervi Dei expenſi fuerunt ignem ardentem non nocuiſſe eis ſibi adhærentem, & ambientem, Deo ſuſpendente effectum ardoris, & combuſtionis, propter eorum merita. Extant ergò miracula, ac proindè neceſſaria in ſuo eſſe; quamdiù enim res eſt, neceſſè eſt, quòd ſit, ut dicit Ariſt in Prædic. ſubſt.

Quæres 2. An neceſſarium ſit de fide credere exiſtentiam miraculorum, ad evitandam hæreſim?

4 ℞. Neceſſarium eſt credere extare miracula tàm à Chriſto, quàm à Sanctis facta, de quibus in utroque teſtamento; aliter hæreticus eſt negans illa non ſolùm in genere, verùm etiam in ſpecie. Probatur, quia negans ea in

ſpecie

ſpecie diſcredit etiam illa in genere, cum genus extrà ſpeciem non exiſtat; ergò negatis miraculis utriuſque teſtamenti, deſtruerentur omnia miracula tàm in genere, quàm in ſpecie; ergò ea negans eſt hæreticus, cum non credat ea, quæ expreſsè narrantur in utroque teſtamento, de fide credenda. Inter errores Valdenſium iſte numeratur, quòd nulla vera miracula dantur in Eccleſia; hæreſis autem manifeſta hæc eſt, cum vera miracula recenſeantur in Sacra Scriptura, etiam ſub hoc nomine. Exodi 11. 7. *Ut ſciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægiptios, & Iſrael.* Numer. 26. 10. *Et factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent.* Neceſſarium ergò eſt credere miracula in genere, & in ſpecie, quæ exprimuntur in Sacra Scriptura. Alia verò miracula, quæ in vitis Sanctorum narrantur, non credens, non eſt hæreticus, quia Eccleſia non proponit ea credenda vinculo fidei; diſcredens tamen, & negans ea pro temerario habendus eſt, dum à communi opinione prudentum recedit; imò ejus negativa videtur ſapere hæreſim, quia id arguit, ipſum dubitare, an vera ſint, quæ communitèr à viris doctis traduntur de vitis Sanctorum. Vide quæſt. 10. Medit. 1. ubi de hac quæſtione credendi miraculis.

Quæres 3. An ad cognoſcendam Dei omnipotentiam ſint neceſſaria miracula?

5 ℞. Affirmativè, & probatur Exodi 6. 3. *Ego Dominus, qui apparvi Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Nomen *Adonai* ſignificat Dominum, ex D. Auguſt. tom. 6. lib. 15. contrà Fauſtum cap. 9. ille autem dicitur Dominus, qui habet dominium, & imperium ſuper alios; & ſi ſit infinitum, etiam potentia, ſinè qua non eſt imperium, & dominium, ac proindè uti infinita dicit omnipotentiam; Deus ergò illis Sanctis Patribus non indicavit dicti nomen *Adonai*, hoc eſt, ſuæ omnipotentiæ, ſed ſolùm occaſione liberationis populi Judaici, quem eduxit de terra Ægypti de potenti manu Pharaonis, perpetrando tot miracula cum virga Moyſis, qui per tot ſigna, miracula, & portenta neceſſariò cognovit Dei omnipotentiam, quæ ſola tot mirabilia facere poterat. Undè cap. 3. ibidem num. 20. dicitur: *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis meis, quæ facturus ſum in medio eorum, poſt hæc dimittet vos.* Per hæc igitùr ſigna, & miracula Moyſes, Populus, & Ægyptii cognoverunt Dei omnipotentiã, quia nullus poterat facere hæc mirabilia præter Deum. Et cap. 10. 2. dicitur: *Et ſigna mea fecerim in eis, ut ſciatis, quia ego Dominus.* Ex ſignis ergò, & miraculis Moyſes cognovit Dei omnipotentiam; undè ſubjunxit cap. 15. 3. *Dominus vir pugnator, omnipotens nomen ejus.* Omnipotentia ergò maximè demonſtratur per miracula, quæ ſolus Deus facit, ſicùt quilibet effectus à poſteriori neceſſariò ſuam demonſtrat
6 cauſam. Confirmatur id totum, quia in Deo duo ſpectantur genera effectum; alii enim ſunt naturales, ad quorum ſcilicèt productionem Deus cauſa prima uti creator naturalitèr concurrit,

quatenùs

quatenùs ſe accommodat cauſis ſecundis juxtà eorum naturam, & exigentiam, & in hoc non poteſt cognoſci omnipotens, quia non omnes effectus ſub hac conſideratione reſpiciunt ejus omnipotentiam, ſed maximè cum effectus, qui ſunt ſecundi generis, ſunt ſupernaturales à ſolo Deo effecti, dum excedunt vires totius naturæ, & hi præſertim ſunt miracula; ergò hæc neceſsariò hominem deducunt in cognitionem divinæ omnipotentiæ, quæ ſola eſt cauſa miraculorum. Quare D. Thomas 2.2.q.178.art.1.ad 4. ait, quòd miracula vobis conferunt commune beneficium, quia nos faciunt venire in cognitionem Dei.

Quæres 4. An miracula fuerint neceſsaria, ut Chriſtus cognoſceretur eſse Deus?

7 ℞. Affirmativè, & colligitur ex illo Joan. cap. 10. numer. 15. *opera, quæ dedit mihi Pater, ut faciam, teſtimonium perhibent de me*. Ideſt neceſſariò probant, me eſſe Deum, quia excedunt vires totius naturæ, ut quòd cœci videant, muti loquantur, mortui reſurgant &c. Et hoc probavi Medit. 3. qu. 5. num. 7. Miracula ſcilicèt, quæ Chriſtus faciebat, neceſſariò probaſſe ipſum eſſe Deum, quia, ut teſtatur cœcus natus 9. Joan. 32. *A ſeculo non eſt auditum, quis aperuit oculos cœci nati, niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam*. Hoc igitur miraculum probavit, Chriſtum eſſe verè filium Dei, quia ut homo Chriſtus infinitam virtutem non habebat illuminare cœcos; ergò ut Deus fecit illud miraculum, & ſic per illud manifeſtatus fuit neceſsariò Deus in illo. Et ità docent omnes cum D. Thoma

8 par. 3. qu. 43. art. 4. Confirmantur prædicta, quia in Chriſto apparebant duo genera operationum, unum earum, quæ non excedebant vires humanas communes cum cæteris hominibus, ut ambulare, loqui, manducare, &c. quæ neceſſariò probabant illum eſſe hominem, non verò etiam ſimul eundem eſse Deum; alterum ergò genus erat neceſſarium, ut per illas manifeſtaretur eſse Deus, & hæ erant ſupernaturales excedentes vires humanas, ut ſunt ejus miracula, quæ non feciſset, niſi Deus eſset; ergò ut Deus etiam cognoſceretur, neceſsarium erat, ut miracula faceret, quæ illum Deum probarent, omnis enim effectus ſuam demonſtrat cauſam.

Quæres 5. An initio Eccleſiæ miracula fuerint neceſsaria, tàm in Chriſto, quàm in ejus diſcipulis ad propagandam fidem, & informandam Eccleſiam?

9 ℞. Affirmativè, quia Chriſtus Dominus, poſtquàm dedit eis præceptum informandi Eccleſiam, & prædicandi omnibus ſuum Evangelium, ut proficere poſſent, & Eccleſiam propagare, neceſsariam judicavit perpetrationem miraculorum; undè eis dedit poteſtatem faciendi miracula, ut dixi Medit. 3. num 8. quæ explicantur cap. fin. Marci 18. *In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Eccleſia ergò, & fides propagabatur, & corroborabatur per miracula, ut etiam notavi Medit. 1. n. 19.

Nec

10 Nec his obſtat, quod dicit Apoſtolus 1. Corinth. 14. 22. Signa, & miracula dari infidelibus, non fidelibus, quaſi illa non fuerint neceſſaria initio Eccleſiæ, ſicut nec nunc, cum Dei gratia Eccleſia, & fides ſit firmitèr propagata; undè noſtris temporibus rara ſunt miracula, & ſolùm contingunt ad comprobandam ſanctitatem ſervorum Dei, qui illa faciunt; è contrà verò ab initio Eccleſiæ innumera fiebant miracula, quia tunc erant neceſſaria, non quidem fidelibus, ut dicit Apoſtolus, ſed infidelibus, ut per ea converterentur ad fidem; neceſſitas ergò miraculorum refertur ad infideles, ut illis mediantibus convertantur, non fidelibus, qui jam converſi permanent in fide.

Itaquè miracula fiunt ad corroborationem fidei, ut dicit *Gloſ. in cap. un. de Reliq. in 6. Hoſtien. in ſumma num. 3. verſ. Quartum eſt, Bellamera in cap. Nec mirum 26. qu. 5. num. 8. verſ. Ad quintum, D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2.* Intellige hunc fuiſſe finem neceſſarium initio Eccleſiæ, & etiam nunc in illis locis, ubi fides propagatur converſione infidelium.

Quæres 6. An ad definiendum aliquid de fide, neceſſarium ſit, quòd miracula præceſſerint?

11 ℟. Negativè, ut probavi Medit. 1. q. 14. num. 42. Nam licèt miracula ordinentur ad corroborationem fidei jam exiſtentis, ne evaneſcat, ſed magis conſervetur, ut docent Theologi *cum Malveſio dub. 3. de Canon. Sanct. num. 41. & Caſtellin. de Canonizat. q. 6.* non indè tamen ſequitur, quòd ea ſint neceſſaria ad definiendum aliquid de fide, cum nondùm facta ſit definitio, ut ex miraculo ſequatur illius corroboratio. Prætereà controverſię de fide nondùm exiſtente agitantur tantùm intrà Eccleſiam, cum illorum judex ſit ſolùm Romanus Pontifex, qui illius eſt ſolus caput, & judex, & non alius, conſequentèr cum intrà Eccleſiam exiſtentes ſint omnes fideles, non egent ſignis, & miraculis ſecundùm Apoſtolum, ad credendum.

Quæres 7. An in Canonizatione Servorum Dei neceſſaria ſint miracula ſivè antè, ſivè poſt
12 eorum mortem? Præmitto differentiam inter Beatificationem, & Canonizationem, quòd illa eſt primus actus ſervis Dei tributus, qui duobus modis contingere poteſt. *Primò*, cum Papa ad inſtantiam alicujus Religionis, Univerſitatis, aut Principis, præmiſſo examine diligentiſſimo per Sacram Congregationem Rituum de vita, moribus, & miraculis beatificandi, qui defunctus eſt cum fama ſanctitatis, concedit, ut ſervus Dei venerari poſſit publicè in tali loco, ut beatus, cum facultate ibidem celebrandi publicè miſſam, & divinum officium. *Secundò*, cum hujuſmodi venerationem tolerat in loco ex prædictis jam à fidelibus cœptam, propter magnam exiſtimationem, & devotionem, quam habent de ejus ſanctitate ob miracula, beneficia, & gratias, quas in dies ſolent fideles obtinere à Deo, ob ejus merita, & intercesſionem. Canonizatio verò à ſolo Pontifice fit ſolemnitèr de conſilio, & conſenſu Cardinalium, ſemper præmiſſis jis, quæ attinent ad præviam Beatificationem, per quem

quem actum tamquàm ultimum, Pontifex Romanus ſervum Dei cum fama ſanctitatis defunctum, & talitèr probatum, declarat Sanctum, deſcribendo illum in Cathalogo Sanctorum, cum facultate omnibus conceſſa celebrandi miſſam, & officium divinum de eo per univerſum orbem, & ædificandi Eccleſias in ejus honorem. Vide *Hoſt. Joan. Andr. & alios Canoniſtas in cap.* 1. *de Relig. Contelorum de Canon. Sanct. cap.* 2. Eidem quoquè tribuitur titulus honoris, nimirùm, Martyris, Confeſſoris, Pontificis, Virginis, aut Viduæ, juxtà exigentiam, ſtatus illius, ut officium divinum de eo regularitèr celebrari poſſit.

℟. Quamvis ſola ſanctitas ex natura rei ſufficiat, ut quis canonizari poſſit; tamen Eccleſia introduxit laudabilem, ac neceſſariam conſuetudinem neminem canonizandi Confeſſorem, Virginem, ac Viduam, niſi priùs per miracula ejus ſanctitas comprobetur. Martyres verò ſinè miraculis canonizantur, maximè quandò in eorum morte apparet aliquod prodigioſum; miracula autem facta antè mortem non ſufficiunt, ſed neceſſaria ſunt poſt mortem, & quidem plura, nimirùm duo, aut tria concludentèr, & legitimè probata.

13 Prima pars, quòd ſola ſanctitas ſufficiat ad canonizationem, patet ex natura rei, quia ea poſita inducit Pontificem ad declarandum Sanctum eum, qui illam habet. Sed quoniam ea nota non eſt, licèt homo exteriùs appareat bonam ducere vitam; tamen in occulto eam degere poteſt laxiorem, fingendo ſe bonum, cum alioquin hypocrita, ſit, & male vivere poſſit; ideò Pontifex Romanus certam notitiam de ſanctitate alicujus habere non poteſt, niſi per media exteriùs nota; Eccleſia enim non poteſt judicare de occultis, & homo intuetur, & novit ea, quæ apparent ejus oculis, & non quæ fiunt in abſcondito; ideò ad miracula recurrendum eſt. Contelorus de Canon. cap. 19. initio.

14 Secunda pars de neceſſitate miraculorum ad canonizandum, probatur, quia canonizare eſt certò judicare, & definire, hominem Dei eſſe ſanctum, & frui beatitudine, & vita æterna cum Deo in Paradiſo; ſed id fieri non poteſt, niſi ſuppoſita certa cognitione ſanctitatis ejus, qui canonizandus eſt, & beatificandus; in utroque enim actu hujuſmodi nota debet eſſe ſanctitas; ſed hæc notitia haberi non poteſt niſi per miracula; hæc enim ſunt ſigna, quæ prętter ſui cognitionem, inducunt in notitiam ſanctitatis ejus, qui ea fecit; ergò miracula ſunt neceſſaria ad Purificationem, & Canonizationem ſervorum Dei. Ità *lib.* 1. *Sacr. Cærem. ſect.* 6. *& probatur ex cap. Venerab.* 52. *de teſtib.* ubi, quòd teſtes pro canonizatione ſingilatim diligentèr ſunt recipiendi, & examinandi ſuper vita, & miraculis ejus, qui eſt canonizandus, ibi omnes Canoniſtæ, *Barb. allegat.* 97. *num.* 6. *Contelor. cap.* 19. *num.* 2. *Paſqualig. ad Francbum num.* 1236. ubi, quòd non ſufficit probatio miraculorum, ſed etiam neceſſaria oſtenſio bonæ vitæ, intellige antè mortem multo tempore, ut colligitur utrumque ex præfato capite *Venerabili*, dici-

& dicitur in Bulla Canon. S. Antonii de Padua, 4. in Bull. Novo §. 3. *Vt ſanctus babeatur apud homines in eccleſia militanti, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita ſcilicèt, & miracula, ut hæc, & illa ſibi, invicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis*. Ratio eſt, quia ſanctitas vitæ fingi poteſt ab hominibus, quæ fictio eliditur per miracula, quæ Deus per ſervos ſuos facit ad oſtendeudam, & commendãdam eorum bonam vitam, *D. Thom. par. 1. q. 110. art. 4. ad 2. & 2. 2. q. 178. art. 2. & par. 3. q. 43. art. 4.*

15 Tertia pars, quòd martyres Canonizentur ſinè miraculis, probatur; Tùm quia martyrium eſt efficax teſtimonium ſanctitatis ejus, qui mortem patitur pro amore Dei, pro defenſione fidei, & libertatis Eccleſiaſticę; patientèr enim mortem patiens propter
16 eam cauſam liber à culpa, & pœna evolat in cœlum fruens æterna gloria, ut docent omnes *cum S. Thoma par. 3. q. 68. art. 2. ad 2. & q. 87. art. 1. ad 2.* Ubi ait, quòd univerſalis abſolutio fit in perceptione martyrii, in quo omnia ſacramenta complentur in virtute paſſionis Chriſti, quantùm ad plenam liberationem à culpa, & à pœna aliis citatis *Bonac. de Sacram. diſp. 2. q. 1. p. 2. nu. 1.* Tùm quia maxima eſt dilectio, & charitas ponere animam ſuam pro Chriſto. Joan. 15. 13. *Majorem bac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro amicis*; ergò cnm martyrium demonſtret dilectionem, & charitatem, quam martyrizatus habet ergà Deum, non ſunt neeeſſaria miracula ad eam demonſtrandam, dum conſtat per martyrium. Tùm quia Matth. 10. 32. dicitur: *Omnis qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo*. Martyr ergò non eget alio teſtimonio de ſua ſanctitate, quàm ipſius Chriſti, qui per martyrium teſtatur de ejus Sanctitate ſinè miraculis. Ità docent *Auguſt. d'Ancona de Eccleſ. poteſt. q. 16. art. 3. in reſp. ad 2. Franc. Panvin. in relat. S. Bonav. part. 2. art. 2. Angel. Roccba de Canon. cap. 35. Aloyſius Turrian. de fide diſp. 17. dub. 2. Molfes. conſ. 46. num. 61. quos pro ſe citat Contelor. cap. 21. nu. 10. Caſtellinus de Inquiſ. Miracul. puncto 2. concl. 4. num. 26.*

Contrà Hoſt. *in ſum. tit. de Reliq. verſ. Et hac intelligas, & S. Antoninum part. 3. §. 1. apud Contelorum initio c. 21.* aſſerentes requiri miraculaadCanonizationem martyrum, quia ità colligitur *ex citato cap. Venerabili, & lib. 1. Cærem. ſect. 6.* Ratio eſt, quia etiam in martyre requiruntur ſigna ſanctitatis, quæ ſunt miracula; nam martyrium cum poſſit eſſe commune bonis, & malis, ex cap. Vide 1. q. 1. ſufficientèr non diſtinguit nobis bonos à malis, cum potuerit pati non ex bono zelo, nec ex charitate, & defenſione fidei, ſed ex aliis motivis impertinentibus ad finem martyrii.

17 ℞. Allegatum textum, & librum Cærem. ne verbum quidem de martyribus dicere; ideò illæ auctoritates ad martyres non ſunt extendendæ. Ad rationem dico, paſſionem, & tormenta eſſe quidem communia bonis, & malis, non tamen communem habere

cauſam finalem; nam bonus patitur ob amorem Dei, & defenſionem fidei; malus verò ex ambitione honoris, & venerationis affectat martyrium, quod illi non prodeſt, nec veram habet rationem martyrii, dum ſpecificatur à malo fine ambitioſi honoris, non ab amore Dei, & defenſione fidei catholicæ; mortem ergò ſubire ob malum finem martyrium non eſt, ſed mors peccatorum.

Nihilominùs eorum martyrum vita, qui nullum fecerunt miraculum diligentèr eſt examinanda, quæ ſi laudabilis, & irrepræhenſibilis probata fuerit per antecedens ad minus triennium, videtur probata ſanctitas per martyrium. Sicut & quando in morte martyrum apparet aliquod prodigium, vel radii, ſeù ſplendores circà corpus martyris, vel quòd alicui apparverit tempore ſuæ paſſionis, ut dicit Contelor. cap. 21. num. 11. A fortiori, ſi cruciatus fuit diuturnus unius, vel alterius diei; hæc enim diuturnitas arguit paſſionem tam crudelem aſſumi præcisè propter amorem Dei, & defenſionem fidei.

18 Quarta pars, quòd non ſufficiant miracula facta antè mortem, ſed requirantur facta poſt mortem, probatur, quia etiam mali homines, qui nullum habent meritum apud Deum, faciunt miracula viventes in hoc mundo; nam Magi Pharaonis faciebant miracula ſimilia miraculis Moyſi; nam virgas in ſerpentes conver-
19 terunt, & aquam in ſanguinem, ex cap. Teneamus 56. 1. q. 1. Et Saul Rex prophetavit, dum perſequebatur Sanctum David, cap. Prophetavit 7. ibid. Poſt mortem verò ſi quis facit miracula, id ſignum eſt, Deum illa operari ob ejus merita, & ſanctitatem; quare ſolùm facta poſt mortem ſunt neceſſaria, & ſufficiunt ad Canonizationem. Ità omnes *cum S. Thom. 2. 2. q. 178 art. 2. Cathalog. Glor. M. par. 3. conſod. 50. cum aliis Contelor. cap. 20. num. 4.* Confirmatur, quia accidere poteſt, quòd Deus faciat miraculum ob merita alicujus, & poſteà is vanagloria illectus decipiat proximum, & deviet à recta ſemita, fingendo ſe benè facere, & reverà in occulto malè agere; homo enim in hac vita, licèt ſit Dei amicus, cadere tamen poteſt ob libertatem ſuæ voluntatis. Ità Malvet. dub. 3. num. 73. apud Contelor. cap. 20. num. 8.

20 Quinta pars, quòd duo miracula ſufficiant, docetur ab Auditoribus *Rotæ in Relat. Sanct. Hyacinti, de Miraculis verſ. Sed hic eſt advertendum fol. 36. Contelor. cap. 20. fine*. Ratio quia quodlibet negotium expediri poteſt duobus teſtibus, juxtà illud Evangelium: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*; hoc eſt, probari poteſt veritas cujuslibet negotii, conſequentèr, & ex duobus miraculis ritè probatis demonſtrari poteſt ſanctitas alicujus Servi Dei, qui ea fecit poſt ſuam mortem. Non eſt improbabile, unicum etiam miraculum poſt mortem factum ſufficere ad Canonizationem, ſi ſit primi gradus, ut reſuſcitatio mortui, locutio reddita muto, & viſio cœco, ambobus à nativitate talibus. Et id probatur de cœco nato, qui dixit Joan. 9. 32. *Niſi eſſet hic à Deo, non pote-*

poterat facere quicquam. Licèt mihi ſermo ſit de Chriſto, qui ex miraculo illuminationis cœci probatur eſſe à Deo, hoc eſt, à Patre per generationem æternam, tamen applicari poteſt etiam ſervis Dei facientibus miracula hujus generis, qui illuminantes cœcum, &c. probantur eſſe à Deo ſecundùm Sanctitatem, perſpectis etiam eorum laudabili vita, & virtutibus.



MEDITATIO V.

De Miraculis in Elementis.

1 *Elementa Deo præſtant obedientiam.*
2 *Sunt quatuor cum ſuis qualitatibus.*
3 *Quæ exprimuntur combinatè in ſingulis.*
4 *Alia Simbola, alia diſſimbola.*
5 *Terra immobilis ſecundùm ſe totam.*
6 *Mobilis verò probatur ex locis Sacræ Scripturæ.*
7 *Quæ interpretantur, quòd ſit mobilis ſecundùm partem.*
8 *Terra mota fuit miraculosè in morte Chriſti.*
9 *Et ſuper eam tenebræ factæ ſunt.*
10 *Petræ ſciſſæ in morte Chriſti.*
11 *Mortui cum Chriſto ſurrexerunt.*
12 *Obſcuratus eſt Sol in morte Chriſti.*
13 *Quatuor miracula in ejus obſcuratione.*
14 *Sol obſcuratus per totum mundum.*
15 *Core, Dathan, & Abiron terra deglutivit.*
16 *Gedeonis vellus madefactum, & non terra.*
17 *Terra ſicca miraculosè madefacta in Gaza Paleſtinæ.*
18 *Aqua quid, & ejus proprietas.*
19 *Cur aliqua ſubmergit, & alia non.*
20 *Cadaver cur ſupernatat.*
21 *Aquæ craſſiores ſuſtentant.*
22 *Quia ſunt graviores re ſuſtentata.*
23 *Gravitas, & pondus ſunt diverſa.*
24 *Aquæ tres effectus, fluere, ſubmergere, & ſuſtentare.*
25 *Contrarii effectus ex aqua arguunt miraculum.*
26 *Diviſio maris Rubri facta à Moyſe.*
27 *Diviſio aquæ Jordanis facta à Joſue.*
28 *Diviſio aquæ Jordanis per Eliſeum.*
29 *Comparantur inter ſe præfatæ aquarum diviſiones.*
30 *Modi, quibus, eveniunt miracula non ſubmerſionis.*
31 *Jeſus ambulabat ſuper mare.*
32 *Petrus cœpit ambulare ſuper aquas.*
33 *Miracula Sanctorum ambulantium ſuper aquas.*
34 *Cur Moyſes cum populo non transfretavit ſuper aquas?*
35 *Cur ſolus Chriſtus ambulat ſinè pallio ſuper aquas?*
36 *Ferrum natans ex meritis Eliſei prophetæ.*
37 *Lapis pendens in aqua minùs gravitat, quam in aere.*
38 *An ambulans ſuper aquas leviget, an non dividatur, & fiat ſolida.*
39 *Aqua tunc non ſolidatur, ſed Deus ſuſpendit effectum ſubmerſionis.*
40 *Aqua Piſcina miraculoſa.*
41 *Aer humidus, ſiccus, ac fluxibilis.*
42 *Pondus in aere magis gravitat, quàm in aqua.*
43 *Armatorum exercitus in aere viſus.*

44 *Ecta-*

44 *Ecſtaſis quid ſit?*
45 *Raptus Pauli ad tertium cœlum.* 46.
46 *Raptus Pauli non fuit violentus.*
47 *In raptu, ſeù ecſtaſi duo conſiderantur.*
48 *Aſcenſio Chriſti, & Aſſumptio Mariæ in cęlum miraculoſa.*
49 *Cometa eſt effectus naturalis.*
50 *Stella Magorum fuit miraculoſa.*
51 *Ignis ſummè calidus, & ſiccus.*
52 *De ejus proprietatibus, & effectibus uſq; ad* 59.
60 *Ignis obliviſcitur, & aqua ſuæ virtutis.*
61 *Ignis deſcendens de cęlo devoravit quinquagenarium cum ſuis.*
62 *Devorare arguit actum momentaneum.*
63 *Ignis deſcendit de cœlo pluries.*
64 *Rubus à Moyſe viſus ardebat, ſed non comburebatur.*
65 *Ignis inferni qualis.*
66 *Quomodò cruciet animas damnatorum.*
67 *Actionem habet duplicem ad cruciandum.*
68 *Ignis noſter ab infernali in multis differt.*
69 *Ignis fornacis tribus pueris non nocuit.*
70 *Excutere flammam eſt ejus ardorem ſuſpendere.*
71 *S. Franciſcus de Paula ab igne non urebatur.*
72 *De Sanctis extinguentibus ignem.*
73 *Miraculum Senis pro Immaculata Conceptione.*
74 *Bulla Alexandri VII. pro ea citatur.*

MEDITATIO V.

1 Elementa ſunt Dei creaturæ, quam agnoſcunt in ſuum Creatorem, & auctorem; ac proindè in omnibus, non ſolùm quæ ſpectant ad eorum naturam, ſed etiam in aliis, quæ ſunt contrà, vel ſuprà eorum naturam, obedientiam ſuo creatori præſtant, quam Theologi appellant obedientiam tùm paſſivam in recipiendis circà ſe effectibus, tùm activam in operando, & producendo effectus quoſcumque. De utraque potentia obedientiali ſatis dixi Medit. 2. num. 48. cum ſeq. quantùm ſpectat ad præſens inſtitutum. Hæc autem obedientialis potentia præſertìm paſſiva, eſt ipſummet elementum, cui non repugnat recipere omnes illos effectus, quos Deus vult in eo producere, ſivè ſint ſecundùm naturam ejus, ſivè contrà, aut præter ejus naturam.

2 Unum autem præmitto, quòd unicuique quatuor elementorum aſſignantur duæ qualitates, ex quatuor primis; quarum una communis ſit duobus elementis proximis, & altera propria unicuique in ſummo, per quas elementa inter ſe poſſint altercari, uti contrarias ad faciendum mixtum;

3 ſic autem combinantur. Terra igitùr eſt ſicca, & frigida. Aqua frigida, & humida. Aer humidus, & calidus. Ignis demùm calidus, & ſiccus. Quarum prior qualitas dicitur in ſummo ineſſe ſuo elemento; poſterior verò ineſſe eidem in gradu inferiori citrà octavum gradum, & ſuprà quartum. Dividuntur in

ſimbola,

Digitized by Google

4 ſymbola, & diſſymbola. Symbola unam habent communem qualitatem, ut ignis, & terra ſiccitatem; Aqua, & Aer humiditatem. Diſſimbola verò ex binis qualitatibus nullam habent communem, ut Ignis, & Aqua; Terra, & Aer. Id docent ferè omnes cum *Ariſt. de gener. com.* **16.** *Scoto in 2. diſt.* 15. *& in 4. diſt.* 49. *q.* 13. *Meldul. de Gener. diſp.* 1. *num.* 64. & 65. qui reſpondet objectis, quæ quia non faciunt ad præſens negotium prætermitto.

De Miraculis in Terra.

5 TErra primum elemetum eſt in ſummo ſicca, & in gradu remiſſo frigida; undè Deus in Geneſi cap. 1. 10. Eam appellavit aridam. Eſt autem terra immobilis, ſtabilis, & permanens, ut clarè colligitur ex variis locis Sacræ Scripturæ, præſertim Eccleſ. 14. *Terra in æternum ſtat.* Pſal. 92. 1. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Et hoc eſt de fide, undè oppoſitum, quod docuit Nicolaus Copernicus, tamquam falſum, & hæreticum, conſtituerunt Em. Cardinales, nimirùm terram ſtare, & nullatenùs moveri.

6 Videtur, quod terra ſit mobilis, nam in Pſal. 17. 8. dicitur: *Commota eſt, & contremuit terra.* Pſal. 45. 7. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* Pſal. 59. 4. *Commoviſti terram, & conturbaſti eam.* Pſal. 67. 9. *Terra mota eſt.* Et alibi ſæpiùs; & id patet etiam experientia ex Terremotu, qui jam innumeras obruit urbes, ſecundùm D. Gregorium in Homil. 1. Dom. Adventus lect. 9. movetur ergò terra, & ſic immobilis non eſt.

7 ℞. Terram moveri ſecundùm aliquas ejus partes, non ſecundùm ſe totam; nam primò, & per ſe exhalatio ſicca in ea incluſa coacta exire excitat motum terræ. Venti quoquè intrà eam incluſi in anguſtiis ſufflantes, eandem per vim movent. Ipſa quoquè terra ſui motum cauſat, dum aliquæ ejus partes, vel ob ſiccitatem, vel ob nimiam humiditatem decidunt in profundum cavernarum, & aliis modis in ea poteſt cauſari motus; nulla tamen cauſa ità efficax eſſe poteſt, ut eam movere poſſit totam; id enim excedit vires naturę. Itaq; illę auctoritates intelligendæ ſunt de motu ſecundùm partem, & non ſecundùm totum.

8 Miracula autem recenſeo, nam in morte Chriſti tota terra mota fuit, & tremuit, ut docent Evangeliſtæ, Matth. 27. 51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſquè deorſùm, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.* Item Marci 15. 33. *Tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram.* Et Lucæ 23. 44. *Et tenebræ factæ ſunt in univerſam terram.* Quinque hic referuntur miracula, ſciſſio veli; motus terræ; Sciſſio petrarum; reſurrectio plurium mortuorum; & obſcuratio terræ. Quòd autem ſint miracula, patet

ex

Digitized by Google

ex eo, quòd hæc ſigna fuerunt inſolita cauſam habentia incognitam, quæ non potuit eſſe, niſi ſolus Deus, quia hi effectus excedunt vires naturæ; nam quantùm ſpectat ad diviſionem veli, quamvis viribus humanis potuiſſet ſcindi; tamen nulla poterat aſſignari cauſa nec naturalis, nec artificialis, ſed id accidit ex juſſione Dei, qui per talem ſciſſionem ſeparavit legem veterem à nova, cum ea enim cœpiſſet eſſe mortifera; & nova obligare tamquàm viva in æternum permanſura; neceſsè fuit, ut nova ſepararetur à veteri, tamquàm viva à mortua.

9 Terra in morte Chriſti mota eſt ex omnipotentia Dei; nullus enim præter ipſum in ea motus cauſare poterat, ex quo eſt contrà ejus naturam, cujus eſt quieſcere non moveri; accidit ergò hoc illi præter ejus naturam, ut tota moveretur. Dico *ut tota moveretur*, quia ad conſtitutionem hujus miraculi non erat ſufficiens motus alicujus partis terræ, quia is motus non excedit vires naturæ, cum ex ſupradictis detur terremotus effectus naturalis ex cauſis naturalibus tactis ſuprà; ſed ut ejus motus verè eſſet miraculoſus, neceſsè fuit, ut tota moveretur, ut credendum eſt, ità accidiſſe; ſicut enim totum velum fuit ſciſſum, & tenebræ ſuper totam terram; ità, & tota terra contremuit, quia non una pars terræ, ſed omnes, & tota terra erat creatura Dei; ergò tota ſuum creatorem agnovit patientem pro tota terra, quod eſt genus humanum.

10 Sciſſio petrarum fuit paritèr miraculoſa, quia fuit inſolita, & ardua; non enim ità facile lapides ſcinduntur propter eorum duritiem, & eo maximè, quia nullum aſſignatur agens eos dividens, & conterens; fuit ergò ſciſſio ex ſola Dei voluntate, ut ſuum agnoſcerent creatorem. Sciſſura viſu terribilis, quæ uſq; ad hæc tempora videtur in monte Alverna in Tuſcia, ubi Sanctus P. Franciſcus ſacra recepit ſtigmata refertur facta in morte Chriſti, ut ex Baronio ad annum 34. Chriſti, recenſet Lucas Vadingus tom. 1. Annal. Minor. ad annum 1224. num. XVI. & de Promontorio Cajetę propè Campanum littus, ex eodem Baronio apud Svarez diſput. 39. de Incarnat. ſect. 2. Verſ. Tertium; ex traditione enim incolarum illorum locorum habetur illos montes fuiſſe diſruptos in morte Chriſti, & talis eſt eorum apertura, & ſciſſura, ut non alitèr, quàm miraculoſa exiſtimari poſſit.

11 Reſurrectio mortuorum ibidem clarè exprimitur Matth. 27. 53. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis*. Ex his patet, hos mortuos reſurrexiſſe poſt reſurrectionem ejus idest Chriſti reſurgentis, quod miraculum aperiendi monumenta, & reſurrectionem defunctorum provenisse à Deo ſpecialiter, ut oſtenderet, Chriſtum per ſuam mortem, & reſurrectionem dediſſe vitam omnibus, ut docet *S. Thomas par. 3. q. 45. art. 4. ad 3. cum eo Suar. diſp. 39. de Incarnat. ſect. 2. Verſ. quartum*. Quamvis apertio ſepulchrorum non excedat vires humanas; videmus enim

enim quotidiè per homines aperiri ſepulchra ad ſepeliendos mortuos, non autem ut de mortuis exeant vivi, niſi quis miraculosè revocetur ad vitam, ut fecit Chriſtus cum Lazaro, qui miraculosè non amovit lapidem, ſed juſſit aperiri. Ioan. 11. 39. *Tollite lapidem*; tamen in præſenti caſu non conſtat, quis aperverit monumenta, ſed ſimpliciter dicitur Matth. 27. 52. *Et monumenta aperta ſunt*, ad indicandum miraculum ex occultatione agentis; Deus enim ex ſua ſpeciali providentia, hoc volvit eſſe miraculum, ſicut & alia fuerunt talia, ne unum eſſet ab aliis diverſum, ſed omnia eodem modo ſpecialiter à Deo procederent, ſicut ordinata erant ad demonſtrandam Salvatoris mortem pro genere humano, pro quo elementa à Deo creata erant. Undè veriſimile eſſe non videtur, apertionem monumentorum proveniſſe à terremotu, ut vult Baronius, ſed ex ſpeciali providentia Dei, ut ex Sanctis Patribus docet Svar. cit. diſp. 39. ſect. 2. verſ. quartum. Et id confirmatur, quia ſolus Deus ſciebat, qui cum Chriſto aſcenſuri erant in Cœlum, ergò viribus naturæ apertà non fuerunt, ſed miraculosè.

Obſcuratio ſolis ſinè dubio fuit magnum miraculum. Matth. 27. 45. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam.* Marci 15.
12 33. *Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, uſque in horam nonam.* Lucæ 23. 44. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam, & obſcuratus eſt ſol.* Obſcuratio ergò ſolis accidit uſque ad ejus mortem ab hora ſexta uſque ad nonam, in qua emiſit ſpiritum. Cætera miracula evenerunt poſt ejus mortem, nempè terremotum, ſciſſio veli, & petrarum, atque apertio monumentorum cum reſurrectione multorum Sanctorum. Vide de hac ecclipſi ſolis infrà ſeq. Medit.

Circà hanc ſolis obſcurationem varia occurrunt dubia, quæ proponenda, & ſolvenda ſunt, ut clariùs pateat ratio miraculi. Nam *primò* dubitatur, quomodò, & per quam cauſam facta ſit hujuſmodi obſcuratio? *Secundò*, an acciderit in plenilunio? *Tertiò*, an tenebræ factæ ſint ſuper totam terram, an ſolùm Jeroſolymis, ubi Chriſtus patiebatur?

13 Primò reſpondetur, tenebras accidiſſe ſuper terram, quia Dei juſſione ſol ceſſavit illuminare eam, non ſolùm pro ea parte, quia luna ab Oriente retroacta fuit versùs occidentem, & ſuppoſita Soli in plenilunio, ut D. Dionyſius teſtis oculatus fatetur, *apud D. Thomam par. 3. q. 45. art. 4. ex eo Svarez diſp. 39. de Incarnat. verſ. Dicendum eſt ergò.* Ubi ex eodem in ecclipſi lunari quatuor ponit miracula. *Primum*, quod luna ſuppoſita fuit Soli in plenilunio, contrà ordinem naturæ, quia luna ſolùm conjungitur Soli in novilunio, *Secundum*, quia in Oriente à proprio ſitu diſceſſit, & maxima celeritate ſe ſuppoſuit Soli, ut illam obumbraret, ne ſuos radios profunderet in terram obtenebratam, & finitis tribus horis à ſexta ad nonam, reverſa eſt eadem celeritate ad ſuum locum naturalem, ac ſi continuò ſinè ulla interruptione ſuum or-

dinarium

dinarium peregiſſet curſum. *Tertium*, luna jam ſuppoſita cœpit obſcurare Solem ex parte orientali, à qua receſſit, contrà ordinarium ſuum curſum; nam luna naturalitèr ecclipſando primò obſcurat ſolem à parte occidentis, à qua tendit verſus orientem. *Quartum*, in naturali ecclipſatione, pars Solis, quæ primò obſcuratur, priùs incipit apparere, quia non firmatur, ſed ſuum proſequitur curſum; in hac autem prodigioſa ecclipſi luna quieſcebat per illas tres horas; poſt quas recurrit in ſuum ſitum, ad quem perveniſſet ſuo naturali motu. Quatuor ergò miracula hìc aſſignavit D. Dionifius, recurſum ab Oriente ad meridiem ſub Sole; ecclipſationem ex parte contraria ecclipſi naturali; conjunctionem lunæ cum ſole in plenilunio, & quietem lunæ ſub ſole ad reverſionem ad ſuum locum. Iſti omnes motus, & quies interpoſita ſunt contrà naturam lunæ excedentes ejus vires, ideò tot ſunt miracula, quot in ea ſpectantur. Itaquè cauſa productiva obſcurationis ſolis componitur ex ecclipſatione, & ſuſpenſione illuminationis Solis extrà ſpheram lunæ ecclipſantis Solem. Tenebræ ergò ſuper univerſam terram cauſabantur partim à lunæ Soli ſuppoſita in illis locis, in quibus luna ſuum effectum producere poterat, & partim à ſuſpenſione illuminationis Solis reſpectu aliarum partium mundi.

Secundò reſpondetur, hujuſmodi ecclipſim accidiſſe in plenilunio, hoc eſt, decima quinta luna, in qua ætate ex diametro apponitur Soli, ex quo patet clarè ratio miraculi, dum ferè in inſtanti ſupponitur, & conjungitur Soli ad illum ecclipſandum. Quod acciderit in plenilunio certum eſt, quia præcedenti die Paſchatis erat luna decima quarta, nam comederat eo die Paſcha cum ſuis diſcipulis. Ità omnes locis citatis.

14 Tertiò, Sol retentione ſuorum radiorum totum mundum obtenebravit, ut manifeſtè dicit textus Evangelii *Univerſam terram, totam terram*. Quod prophetavit Amos cap. 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet vobis Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Defectio igitur Solis fuit ſuper univerſam terram; nam Dionifius ſanctus narrat ſe eam vidiſſe Heliopoli in Ægypto, & Tertullianus teſtatur, viſam fuiſſe etiam Romæ, ut refert Suarez. diſp 39. ſect. 1. Verſ. Dicendum vera.

Quid ſi quis diceret terram obtenebratam unico miraculo, ſuſpenſione ſcilicèt illuminationis à Deo facta, ſinè ulla ecclipſi lunæ, non obſtante, quòd Dionifius loquatur de ea, intelligendus de ecclipſi ſecundum effectum obſcurationis ex retractione radiorum non ſecundum cauſam ex luna, ſic locutus, quia ut Gentilis aliam non habebat cognitionem per interpoſitionem lunæ.

15 Miraculum quoque grande accidit Core, Dathan, & Abiron, qui erant contrarii Moyſi, & Aaron, propter ſacerdotium uſurpatum ab eis; nam aperta eſt terra, & deglutivit eos in infernum, ut legitur. Num. 16. 31. *Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, ſcilicèt Moyſes, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens*

os ſuum, devoravit eos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo. De quibus mentionem facit David in Pſal. 105. 17. *Aperta eſt terra, & deglutivit Dathan, & Abiron.* Apertio terræ fuit miraculoſa, tùm ex celeritate aperturæ, tùm ex abſorptione illorum comminata à Moyſe, niſi recederent à populo Dei, tùm ob deſcenſum in infernum cooperti humo.

16 Gedeon ut liberaret populum Iſrael ab inimicis, juxtà promiſſionem ſibi factam, à Deo petiit ſignum, ut poſſet ſe certificare deliberatione ejus, ut legitur Judic. 6. 36. *Dixit Gedeon ad Deum, ſi ſalvum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es. Ponam hoc vellus lanæ in area; ſi ros in ſolo vellere erit, & in omni terra ſiccitas, ſciam, quòd per manum meam; ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumque eſt ità. Et de nocte conſurgens expreſſo vellere concham rore implevit. Dixitq; rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero ſignum quærens in vellere: Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa, ut poſtulaverat, & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.* Gedeon demonſtrat ſe incredulum, dum petit ſignum de madefactione unius ſinè altero. Id eſſe miraculum certum eſt, quia ros ex ſua natura continuè madet quodcumque, & non unum alio prætermiſſo, dum ambo ſunt ſub eodem rore cadente; effecit ergò Deus, ut primò madefaceret vellus ſinè terra in circuitu, & ſecundò terram, vellere non madente, quod contingere non poteſt ſinè miraculo, cum de ſe ros continuè madefaciat quodcumque ſub ſe exiſtens.

17 Territorium Gazæ, quæ eſt Civitas Paleſtinæ, per multum tempus remanſit aridum defectu ſolitæ pluviæ; undè infideles ejus idolatræ publicas Diis ſuis expoſuerunt ſupplicationes, & nequaquàm fuerunt exauditi, quia in his recurrendum eſt ad verum Deum, & non ad ſimulacra muta, & inania, quæ nihil prodeſſe poſſunt, ſed tantùm ex eis ſequi damnum invocantibus; Sanctus Porphyrius, quem illi ægreferebant murmurantes, & contrà Servum Dei obloquentes, quaſi eſſet cauſa tantæ ſiccitatis damnoſæ, cum nonnullis paucis Chriſtianis ſolemni proceſſione Deum deprecantibus, & oratione nondùm finita magnos imbres à Domino obtinuerunt; itaut terra de arida fieret madefacta, & fertilis omnibus, etiam idolatris, quos non exaudivit, quia Dominus non exaudit peccatores, ſed juſtos, & ſervos ſuos. Apud Surium tom. 1. fol. 339.

De Miraculis in Aqua.

18 AQua ſecundum elementum eſt frigida in ſummo, & humida propè ſummum, ratione hujus madefacit, quod attingit, ratione illius frigidum facit illud, ſuper quod infunditur, & ſi igne calefiat, reparat poſtmodùm frigus qualitatem ſibi innatam, ut experientia patet. Ejus natura eſt fluere, & non conſiſtere, ut facit terra, quæ quodlibet pondus ſuſtentat; è contrà aqua conſiſtentiam, nec ſoliditatem habet, ſed fluit, ità quod pedibus conculcari, nec calcari poſſit, undè prementem ſubmergit. Vide *Meldul. diſp. 1. de Generat. nu. 64. & 65. Pitigian. de Generat. cap. 3. q. 1. & in lib. 1. Pyſic. Scoti q. 12. num. 32. in operibus ejuſdem Scoti collectis à Vadingo.*

Aqua igitùr ex ſua fluxibilitate quædam gravia ſui diviſione ſubmergit in profundum, ut lapides, metalla, & homines ignorantes artem natandi, alia verò ſuſtentat quantumvis gravia, dum eorum pondere non dividitur, ſed manet continua ſuſtentans ſuper ſe grave pondus, ut lignum, plantas, herbas, & homines peritos in arte natandi, undè hæc omnia dicuntur natare ſuper eam. Horum itaque pondus non excedit vires aquę ſuſtentantis, ſicut illorum, quæ demerguntur in profundum.

Sed cur aliqua gravia deſcendunt ſub aquis, alia verò ſupernatant aquas? e. g. lapis parvus, & minus gravis ligno magni ponderis deſcendit, lignum verò natat. Paritèr cadaver ſubmergitur quidem, ſed poſteà aſcendit ſupernatando?

19 ℞. Major, & minor exceſſus gravitatis non eſt attendendus in eo, quòd majus, vel minus cauſatur, hoc enim ſe habet per accidens, & provenit ab extenſione gravitatis; ſed ex eo, quòd unum grave ponderat in pluribus corporibus, quam ponderet aliud, & illud erit ſimplicitèr gravius; cum ergò paululùm terræ, ſeù parvus lapis nonquàm excedatur ab aqua multa, vel magno ligno, nam lignum, lapis, & terra gravitant in aere, & terra, & lapis etiam in aqua, non autem lignū, hinc fit, quòd gravitas ligni, & aquæ non poſſunt excedere gravitatem terræ, & lapidis, nec gravitas ligni gravitatem aquæ; ideò lignum ſupernatat, & lapis deſcendit, cum ſit gravior ipſa aqua.

20 Cadaver non deſcendit ad terram ſub aquis merſum, ſed aſcendit, & ſupernatat aquas, quia non eſt ità grave ſicut terra, ſed minus; ideò in terra non remanet, ſed aſcendit, quia in cadavere ſunt partes aereæ, quæ impediunt perfectum deſcenſum ad quietem; ſiquidem cum homo ſubmergitur aquis, calor naturalis non poteſt reſpiratione refrigerari, ſed magis accenditur, & alterat omnes humiditates corporis, reſolvendo eas in vapores aereos, qui à principio ſubmerſionis nequeunt à corpore exire, & ideò naturalitèr elevant cadaver ſuper aquas, ut ad ſuum locum ſurſùm tendant.

21 Aquæ autem aliæ ſunt craſſiores, limoſæ mixtæ materia terræ, quæ ideò faciliores ſunt ad ſuſtentandum corpus, ut ſunt aquæ maris, quæ ideò ſuſtentant ova, & quædam alia corpora, quod efficere nequeunt aliæ aquæ puræ, quæ carent terreis admixtionibus; & ideò cum ſint ſubtiliores, & faciliùs diviſibiles non valent ſuſtentare gravia, ſicut aquæ maris, & paludarum. Vide Magiſtrium diſp. 3. de Cœlo num. 16. & 20.

22 Colligitur ex his aquam ſubmergere graviora ſe, non verò minùs gravia ſe, nec levia, ea ratione, quia quælibet res nata eſt tendere in ſuum centrum, & ibi quieſcere; & ſicut terra inter elementa eſt gravior aqua, & ſinè comparatione reliquis duobus elementis, quæ ſunt levia, & ignis levior aere, ità inter ſe ſervant hunc ordinem ſitus, quòd terra infirmam tenet ſpheram, ſubſequitur aqua, quæ minùs gravis eſt, tertium ſitum obtinet aer ex ſua levitate, & quartum ignis ex minori levitate. Aqua ergò inter mixta gravia aliqua ſuſtentat, quæ nimirùm ſunt minus gravia ipſa aqua, loquendo per ſe, & intènſivè, non extenſivè, & in ratione effectus ponderoſi, ut lignum, herba, pumex &c. quæ cum exiſtant ſuper terram, & in aere, quaſi in ſphera ſui ſitus, nata ſunt pernatare, & quieſcere in ſuperficie aquæ, ad aquam ſequitur ſphera aeris. Quæ verò graviora ſunt ipſa aqua, petunt ex ſua natura profundum aquæ ſuperficiem terræ, ad quam tendunt, ut ibi quieſcant in ſuo centro, dum ulteriùs tendere non poſſunt propter ſoliditatem terræ, ut lapides, ferrum, metallum &c. quæ generantur in viſceribus terræ.

Nec his obſtat, quòd una libra plumbi minùs ponderet, quàm mille ligni, ac proindè plumbum deberet natare, & lignum ſubmergi, dum plumbum minùs grave eſt, quàm lignum. Et magis ad rem, ſi ponderentur duæ libræ aquę cum una plumbi, gravior erit aqua plumbo, quod tamen ſuſtinere non poterit; ergò non facit ad rem, quòd minus grave ſuſtentatur.

23 Primum argumentum non facit ad rem, quia in ſupradictis comparatio facta fuit inter aquã, & mixtum gravius aqua, quod infrà eam deſcendit, & eadem minùs grave, quod ſuper natat. Lignum ergò ſuſtentatur, quia minus grave aqua; metallum verò ad ima tendit, quia gravius aqua. Nec obſtat majus, vel minus pondus, quia id accipitur extenſivè, major verò, vel minor gravitas ſpectatur per ſe, & in ſua ratione formali abſoluta, & non ex pondere conſequente; & ſic parùm refert quòd plus ponderet lignum mille libras, & plumbum ſit tantùm unius libre, quia hoc deſcendit ex ſua majori gravitate ipſa aqua, lignum verò ſupernatat aquam majoris gravitatis ipſius ligni. Aliud ergò eſt gravitas, aliud pondus.

24 Sed calamum convertamus ad miracula, in quorum gratiam juxtà præſens inſtitutum ſupradicta diſcuſſimus de aqua elementari, cujus effectus ex prædictis tres aſſignamus connaturales ipſi, nempè fluere, ſubmergere, & ſuſtentare, noti enim ſunt de ſe tales effectus connumerati, nam aqua

aqua ex ſua fluxibili natura continuò tendit deorſùm, occupando terram, undè ab hoc effectu ejus alveus appellatur flumen, ſeù fluvius, quia aqua labitur, & fluit per ſuum alveum decurrendo. Propter eandem fluxibilitatem, quæ ſuprà ſe retinere non poteſt, ut lapides, & metalla ſui diviſione ſubmergit, & ſinit abire in profuudum, ex quo ſunt graviora ipſa aqua. Tertius denique effectus dicitur ſuſtentatio non ſolùm levium, ſed etiam gravium, ſed minùs ſeipſa, ut eſt lignum, quod dicitur ſupernatare, & frui aere centro ſui ſitus, ſeù loci, nam in terra radices figit, & reliquum ſui exponit ſpheræ aericæ, quæ etiam eidem favorabilis eſt, dum ſnpernatat aquam.

25 Quandocunquè ergò in aqua apparet effectus ex diametro oppoſitus uni ex illis tribus, neceſsè eſt inferre ibidem adeſſe miraculum; quia talis effectus licèt in ipſa aqua appareat, ab ea tamen non provenit quamvis in ipſa recipiatur, & ſit ſubjectivè ex potentia paſſiva obedientiali, quia talis effectus ut oppoſitus, & contrarius connaturali illius effectui excedit vires ipſius aquæ; ergò ab alia cauſa occulta ſenſibus procedit, & ſic à Deo, dum nulla alia creatura talem effectum producere poteſt, mare enim, & venti obediunt Deo. Matth. 8.27.

26 Exempla ponam, quorum primo ſe offert miraculum à Deo factum in mari rubro, dum Moyſes populum Dei de manu Pharaonis extractum deduxit per mare ſiccis veſtigiis, ut legitur Exodi 14.16. *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum.* Et infrà num.21. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in ſiccum, diviſa eſt aqua, ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris, erat enim aqua quaſi murus à dextris eorum, & læva.* Et infrà nu.26. quia Ægyptii perſequebantur Hæbreos jam mare prætericos, Dominus ſuper eos reduxit aquas præcipiendo Moyſi. *Extende manum tuam ſuper mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios ſuper currus, & equites eorum; cumque extendiſſet Moyſes manum contrà mare, reverſum eſt primo diluculo ad primum locum, fugientibuſque Ægyptiis, occurrerunt aquæ; & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare, nec unus quidem ſuperfluit ex eis.*

Hoc miraculum accidit die decima Martii in ſero, ut ex Adriano refert Hieronymus de Bocchiis Florent. Capucin. in ſuo Monopanthon. lib. 1. Prælud. 12. num. 23. anno Mundi 2484. ex eodem lib.2. fol.182. Moyſes ergò, & Deus miraculum hoc grande fecerunt; poſito enim ligno diviſionis, aquę ſuperiores ſtatim greſſum firmarunt factę quaſi murus ex ea parte, & inferiores ab illis ſeparatę confeſtim ablatę fuerunt decurrentes in unam mollem inferiùs, ſpatio novem milliarium, ex eodem Bocchio lib. 4. tract. 8. num. 6. relinquentes illud ſpatium alvei exicatum per ventum tota nocte flantem. Pars ergò ſuperior aquarum contra ſuam naturam fluxibilitatis ſtetit,

& cur-

& curſum ſuum repreſſit Deo jubente, inferior verò in momento decurrit ſpatium novem milliarium, & ultrà non proceſſit oblita ſuæ fluxibilitatis. Aquas à lateribus habebant Hebræi tamquàm duos muros, ne ab aquis obruerentur, de fluidis factæ ſolidæ, & duriores ipſis parietibus. Tranſacto mare, ne Ægiptii ulteriùs perſequerentur populum Dei, Dominus aliud monſtravit miraculum, dum aquæ, facta per Moyſen extenſione manus, & virgę ſuper mare, contrà ſuam naturam confeſtim reverſæ ſunt ſurſùm, & conjunctæ cum ſuperioribus ſubmerſerunt omnes Ægyptios. Influxibilitas igitùr, firmitas aquarum, conſiſtentia, & recurſus arguunt miraculum, cum aqua de ſe hæc efficere non poſſit.

27 Similis diviſio aquarum facta fuit per Joſue, quandò traduxit populum Dei per medium Jordanem, ut dicitur Joſue 3. 13. *Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum Sacerdotes, qui portant Archam Dei univerſæ terræ in aquis Jordanis; aquæ, quæ inferiores ſunt, decurrent, ac deficient; quæ autem deſuper veniunt, in una molle conſiſtent. Ingreſſis eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, Jordanis autem ripas alvi ſui tempore meſſis impleverat, ſteterunt aquę deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom uſque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt.*

Miraculum hoc Jordanis ſimile eſt prælibato maris Rubri, quantùm ſpectat ad diviſionem, & reductionem aquarum ſecundùm ſuperiorem, & inferiorem locum earum, & recurſum inferiorum ad conjungendum ſe cum ſuperioribus, de quo recurſu dicitur cap. 4. 18. *Et reverſæ ſunt aquæ in alveum ſuum, & fluebant ſicut antè conſueverant. Populus autem aſcendit de Jordane decimo die menſis primi.* Sed cur Deus non dimiſit aquas ſuperiores currere per alveum vacuum, ut cum inferioribus conjungerentur, ſinè hoc novo recurſus aquarum miraculo? Ea fuit ratio, ut omnia ordinatim abſolveret redactione in priſtinum ſtatum; nam Lunam in morte Chriſti reduxit ad priorem locum, à quo receſſerat, & Solem ſtantem reduxit ad illum locum, ad quem naturali curſu fuiſſet tunc, ac ſi non quieviſſet ad imperium Joſue, de quibus dixi ſuprà.

Itaque tranſitus populi Dei per mare Rubrum ſiccis veſtigiis, & per Jordanem tinctis parùm aquæ pedibus, accidit eodem die, ſcilicèt decimo primi menſis, ſed non eodem mundi anno, nam mare Rubrum tranſierunt anno 2484. à conſtitutione mundi, & Jordanem anno 2524. referente eodem Bocchio dicto lib. 2. Centur. 26. fol. 187. col. 1.

28 Subjiciamus modò miraculum Eliſei, quod fecit cum pallio Eliæ, à cujus dorſo cecidit, dum curru raperetur in Cœlum, ut legitur 4. Reg. 2. 13. *Et levavit pallium, quod ceciderat ei, reverſuſque ſtetit ſuper ripam Jordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diviſæ. Et dixit: Ubi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitque aquas, & diviſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſiit Eliſeus.*

ſeus. Aquæ igitùr diviſę tantum ſpatium reliquerunt ſiccum, per quod Eliſeus poſſet tranſire flumen Jordanis.

Dubitari poteſt, cur Dominus ex prima percuſſione Jordanis aquæ non ſunt diviſę, ſicut in ſecunda? Ea eſt ratio, ut Eliſeus ſciret, Dominum feciſſe illud miraculum ex meritis Eliæ, non ipſius Eliſei, qui hæres fuerat pallii, non meritorum Eliæ.

29 Numquid diviſio aquarum pro Eliſeo tranſituro Jordænem ſiccis pedibus fuerit eodem modo facta, quo pro filiis Iſrael in eodem Jordane, & mari Rubro, nempè per conſiſtentiam ſuperiorum, & decurſum inferiorum? Videtur, quòd non quia textus utitur aliis verbis: *Diviſæ ſunt aquæ huc, atque illuc*, quæ ſignificant, utraſque aquas ex æquo receſſiſſe à linea diviſionis, ſuperiores quidem retrocedendo, inferiores verò paululùm proſequendo ſuum curſum, reliquendo conveniens ſpatium, per quod poſſet tranſire ſiccis veſtigiis ultrà flumen.

Eſt alia difficultas, an aquæ ſuperiores, & inferiores tunc currerent ſuo curſu ordinario, ſuperiores quidem uſque ad terminum alvei ſicci ex parte ſuperioris aquæ; inferiores verò decurrendo protraherent continuò alveum ſuo curſu, an verò conſiſterent in termino ſibi aſſignato, itaut ulteriùs non fluerent?

Aquæ deſcendentes à parte ſuperiore non ceſſarunt à ſuo curſu, ſed fluxerunt uſque ad terminum ſuum non ultrà progredientes, ſed illum terminum extulit, & levavit in altitudinem montis, ut colligitur ex textu Joſue, ibi: *Quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe*. Superiores ergò aquæ non ceſſarunt à ſuo fluxu uſque ad terminum, ſuper quem montabant, ut dicit S. Auguſt. tom. 3. lib 2. de mirabil. Sacræ Script, initio. *Superiorque aquarum molles, quæ de fontibus augebatur, ſurſùm in aera montabat*. Aquæ verò inferiores à Deo ablatæ in momento à termino inferiori deſcenderunt in mare mortuum. In mari Rubro alitèr ſe habuerunt aquæ inferiores, nam ſe intumeſcentes cum aliis in termino inferiori intervierunt pro muro Hebræis, dum tranſibant ſiccum alveum maris, ut dicitur Exodi 14. 29. *Filii autem Iſrael perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris, & à ſiniſtris*. Quod etiam dictum fuerat antè ſub nu. 22. Erat neceſſaria aquarum conſiſtentia ex parte inferiori, ne earum defectu opprimerentur ab inimicis.

Exempla miraculorum hactenùs adducta referuntur ad oppoſitum effectum fluxibilitati aquarum, quæ ſui oblitæ decurſus ad divinam juſſionem conſiſtebant, qui eas in ſolidos muros converterat pro filiis Iſrael contrà exercitum Pharaonis, quem aquæ recurſu ſibi contrario ſubmerſerunt juſto Dei judicio.

30 Sed accedamus ad miracula, per quæ aqua gravia non ſubmergit, ſed ſuſtentat, quod accidere poteſt duobus modis; primò, dum ſe reddit calcabilem pedibus ambulantium ſuper eam, Deo ſuſpendente effectum ſubmerſionis; ſecundò dum ſupernatantia ſe graviora ſuſtentat contrà ſuam naturam, quæ eſt ſe dividere ad illo-

illorum ſubmerſionem.

31 Unicam Jeſus ambulationem miraculoſam ſuper aquas lego in Matth. 14.25. *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare. Et videntes eũ ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt; & præ timore clamaverũt. Statimq; Jeſus locutus eſt eis, dicens: Fiduciam habete: Ego ſum, nolite timere.* Ambulavit Chriſtus ſuper mare cum pondere ſui corporis, quod unda maris ſuper ſe ſuſtentabat, ut appareret miraculum in aqua, quæ non dividebatur, nec ſubmergebat ſuum Creatorem, ſed ejus pedibus ſe calcabilem reddebat; nam qui imperabat mari, & ventis illi obedientibus Lucæ 8. 29. poterat eidem præcipere, ut ſufferret pondus ſui corporis, quo ſuper illas gradiebatur.

32 Petrus petiit à Chriſto ſimile miraculum, dum ibidem dixit: *Domine, ſi tu es, jube, me ad te venire ſuper aquas. At ipſe ait: Veni, & deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam, ut veniret ad Jeſum, videns verò ventum validum, timuit, & cum cæpiſſet mergi, clamavit dicens: Domine ſalvum me fac. Et continuò Jeſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modice fidei, quare dubitaſti, & cum aſcendiſſet in naviculam ceſſavit ventus.* Fides ergò ergà talem ambulationem ſibi futuram ſecuram, & ſalutarem, qua carebat, ut dixit illi Jeſus, in cauſa fuit, ne ſuper aquas ambularet, ſicut gradiebatur paulò antè Chriſtus, nam certa fides ad hæc neceſſaria eſt, ut dixi Medit. 1. num. 36. & Medit. 3. num. 26. Non eſt dubium, Salvatorem præſciſſe ejus modicam fidem, ſuper quam illum increpavit; & ideò ei petenti ut faceret eum ambulare ſuper aquas, reſpondit ſolùm *Veni*, & non dixit *Veni ſuper aquas*, faciendo illi gratiam ſecundùm ejus fidem, quæ quia erat modica, modicum quoque iter ſuper aquas illi præbuit; ad menſuram ergò fidei ambulavit ſuper aquas, & cœpit mergi, quia non ampliùs credebat; undè petiit à Chriſto auxilium, ne in totum ſubmergeretur, & illi manum porrexit, ſinè quo efficaci auxilio initium habente à Deo Chriſto ſublevari poterat. Alia non novi Chriſti miracula ambulandi ſuper aquas, ea relinquendo ſervis ſuis, quibus viam fecit per ſuprà prælibatam ambulationem.

33 Sanctus Raymundus Ordinis Prædicatorum vir inſignis doctrina, & ſanctitate à Jacobo Rege Arragoniæ, cujus mores depravatos ex libidine ferrè non poterat, licentiam abeundi obtinere non valens, cum Jacobus ejus præſentia, & conſilio in cæteris uteretur, ex quo capitali edicto prohibivit omnibus nautis, ne eum trajicerent, proprium pallium ſuper aquas maris extendit, & ſuper illud ſtans, ſigno crucis munitus, relicto ſocio modicæ fidei, & extrema parte pallii pro velo alligata ſuo baculo loco malli ſuæ artificioſæ, & prodigioſæ naviculæ, ſpatio ſex horarum perfecit ſexaginta milliaria, & appulit feliciter, & glorioſè Barcinonem, ubi ejus ſacrum corpus veneratur. Refertur in Bulla 77. ejus Canonizationis num. 31. factæ à Clem. VIII.

Non minoris admirationis eſt aliud ſimile miraculum, quod legitur

gitur

gitur in vita S. Hyacinthi Confeſſoris ejuſdem Ordinis Prædicatorum die 16. Auguſti, lect.6. his verbis: *Inter quæ illud inſigne, quod Vandalum fluvium propè Viſogradum aquis redundantem nullo navigio uſus, ſociis quoque expanſo ſuper undas pallio traductis*.

Simile miraculum occurrit S. Franciſco Minimorum Fundatore, ut legitur in ejus officio lect. 6. his verbis: *Multis miraculis ſervi ſui ſanctitatem Deus teſtari voluit, quorum illud in primis celebre, quod à nautis rejectus Siciliæ fretum ſtrato ſuper fluctibus pallio cum ſocio tranſmiſit*.

Sanctus quoque Bernardinus Ordinis Minorum pergebat Mantuam prædicaturus verbum Dei; & cum nauta recuſaſſet eum tranſmittere Dei amore in eam urbem, in Domino confiſus, in ſuo palliolo ſuper aquam extenſo genuflexus cum ſocio, ſinè metu, ſiccis pedibus, & palliolo cum magna videntium admiratione ſe tecepit per medium aquarum in terram. *Surius ad 20. Maii, & ex eo Vadingus ad annum 1420. num.4. tom.5. Annal. Minor.*

Beatus Joannes de Capiſtrano cum F. Jacobo Picenſe à Nicolao V. pto expeditione contrà Turcas, nauta nolente eum trajicere per Padum conſedit cum ſociis ſuper pallium, & tranſmeavit cum magno ſtupore avari nautæ. *Bonfinius lib. 8. Decad. 3. Theatr. Vitæ hum. V. Miraculum.*

Et hæc ſufficiant allata miracula ſervorum Dei, qui pro navigio ſuo utebantur pallio in tranſeundo mare, & flumina, in quibus certè magna fides erat.

34 Quęri autem poteſt, cur Deus populum Iſrael non tranſmiſerit ſuper aquas maris Rubri, & Jordanis, ſicut fecit transfretare Sanctos Raymundum, & Franciſcum de Paula. Ea eſt ratio, quia maxima fides fuit in his Sanctis, qua Deus miraculosè fecit abire ſuper aquas ſine eorum ſubmerſione, & quanta erat eorum fides, tanta fuit eorum transfretatio, & tranſmigratio per undas, & fluctus maris, & fluminum, ſinè ullo periculo; eorum quoque Deus reſpiciens merita ſalvos, & incolumes tranſvexit extrà aquas. Cum Hebręis hoc uſus non fuit itineris genere propter eorum incredulitatem, eorum infinitus quaſi erat numerus, undè impoſſibile erat, quòd eorum una eſſet fides credendi poſſe transfretare ſuper aquas, in eis deficiente fide; imò ſi Moyſes eis viam ſtraviſſet ſuper fluctus maris, noluiſſent obedire, proteſtantes ipſum decepturum illos, & morti traditurum per ſubmerſionem aquarum, ut ergò populus ſecurè tranſmitteretur, Deus pręcepit Moyſi ut aquam virga percutiendo, divideretur mare, per cujus alveum exſiccatum ſiccis pedibus filii Iſrael tranſirent.

35 De rebus gravioribus ipſa aqua, quæ ſupernatant aliquod adducamus exemplum. Legitur 4.Reg. 6.6. quòd filij Prophetarum habitabant in anguſto loco, undè de licentia Eliſei cæperunt ædificare ſibi tabernacula propè Jordanem locum ampliorem, & dum unus cęderet ligna, ferrum ſecuris à manubrio ſejunctum cecidit in aquam, & ei clamanti amiſſionem ferri, quod alienum erat mutuo acceptum providit de remedio miraculoſo, ut appatet his verbis: *Ubi cecidit? Et ille mon-*

ſtravit ei locum, præcidit ergò lignum, & miſit illuc, natavitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit. Eliſeus ergò à profundo aquæ revocavit ad ejus ſuperficiem ferrum, contrà illius naturam, quæ non valet ſuſtentare ferrum, ut notum eſt; miraculum ergò fuit videre ferrum natans ſuprà vires aquæ, quæ graviora ſe non ſuſtentat, ſed ſinit abire in profundum. Eliſeus præciſum à ſe lignum *miſit illuc*. Sed quo miſit? Puto, miſiſſe in profundum aquæ, ubi erat ferrum, cum quo fortaſſis conjunctum uti novum manubrium aſcendit ſuper aquam natans.

D. Auguſtinus tom. 3. lib. 2. de mirabil. ſacræ ſcripturæ, videtur illam ferri ſupernatationem tribuere naturæ aquæ, ac proindè non eſſe miraculum; ejus ſunt verba, quæ ſequuntur: *Gravem verò ferri naturam tenuis aquæ ſubſtantia ferrè non valet. Sed tamen qui poſtmodum ſub Petri pedibus maris ſolidaverat naturam, antè illam de profundo ferrum levare jubet. Aquæ enim natura quamvis terra fragilior, tamen aere ſolidior videtur; hoc enim à terra minùs habere virtutis oſtenditur, quòd ab ea metalla, & lapides ſufferruntur; aptè verò illud plus retinet, quàm hominum, & cæterorum animalium cor-*
36 *pora, & ligna ſupernatantia ſufferre valet. Undè & ſi metallum ad integrum aqua non ſupportat, ex parte eum portantibus tolerat, quoniam lapidem, ut ſæpè probatur, quem vix duo viri in aere poſſunt levare, in aqua cum de fune pependerit, unus homo poterit retinere. Undè apparet aquam & ſi non per totum, ex parte tamen ſufferre poſſe, & quòd ex parte res habet, Deum per totum, ut ſequatur naturalitèr, impetrare. Propter quod aquæ natura natans ferrum ſufferre poterat, quia Deus quod ex parte per ſemetipſum creatura conceſſit, ut ad integrum faceret, imperabat.*

Ex his ſolùm colligitur, aquam reſpectu metallorum, & lapidum habere aliquam eorum ſufferentiam, dum experientia conſtat, lapidem grandem duos non poſſe elevare à terra in aerem, quem tamen unus eorum fune retinere poterit ſuſpenſum in aqua, ne cadat in profundum. Miraculum ergò in eo conſiſtit, quòd ferrum natura ſua ſubmergibile natat in aqua, ut apparet in ferro ſupernatante ad juſſionem Eliſei, quod in profundum aquæ ceciderat ex manibus cædentis ligna, qui tanti meriti non erat apud Deum, ſicut Eliſeus, qui Deo operante ferrum fecit ſupernatare.

37 Quæri poteſt, an Chriſtus cum ſervis ſuis ambulans ſuper aquas, facti ſint levigati, hoc eſt leves, an verò aqua de fluida ſolida, ut eſt terra, quæ ſuſtinet quodlibet pondus? Vel an Deus tunc aquæ remanentis adhuc fluidæ ſuſpendat diviſionem, ne ſui apertione ſubmergat ambulantem, aut ſtantem ſuper eam?

Divus Auguſtinus tom. 3. lib. 3. de mirabil. ſacræ Scripturæ cap. 8. ad utrumque reſpondet his verbis: *Quamvis ergò utrumque hoc faceret, non contrà naturam, Domino præcipiente, eſſet, ſi aut aquam ſolidaret, aut humanam Domini juſſio carnem levigaret. Ubi militantes inſtitorum foris, ut antiqui ferunt, & ſuper equorum auribus proludant; natandi quoque arte imbuti, merſo medio in profunda vix ſubeunt.*

ſubeunt. Hominibus ergò illud valentibus, quid mirum, ſi Domino imperante, caro levigaretur, præſertim cum reſurrectionis corpora in tantùm levigabuntur, ut non ſolùm craſſa aqua, ſed etiam nubibus, & aere ſuſtineantur, ut Apoſtolus ait: Rapiemur ad occurrendo Chriſto in aera.

Ut vides Sanctus Auguſtinus docet, corpus alias grave ex natura ſua, Dei juſſione, fieri leve, ut incedere poſſit ſuper aquas, quæ illud ſuſtinere valent, quia levigat, ſicut ſuſtinet eum, qui habet artem natandi; Et confirmat, quia per corpora glorioſa ferret, & ſuſtinebit propter eorum levigationem, ergò à fortiori aqua, quæ gravior, & craſſior eſt.

Hoc reſponſum plerique rejiciunt, undè S. Thoma in Catena Aurea ſuper cap. 14. Matthæi, inquit: *Denique Theodorus ſcripſit, corporale pondus non babuiſſe Dominum ſecundùm carnem, ſed abſque pondere ſuper mare ambulaſſe; ſed contrarium fides catbolica prædicat. Nam Dionyſius dicit, quòd non infuſis pedibus corporale pondus babentibus, & materiale onus deambulabat ſuper undam.*

Undè ea opinione relicta refert ſecundam, nempè, aquam miraculosè à Deo factam eſſe ſolidam, ut poſſet ſuſtinere ſuper eam ambulantes, vel ſuper eam ſtantes, nam Chriſtus ambulabat ſuper eam, & alii ſtabant, & pallium ferrebat Dei ſervos, inquit ergò D. Auguſt. *Illa ſoliditas Domino imperante facta, nec mirum, ſi etiam Petrum diffidentem non ſuſtinet, cum infideles Domino volente, etiam terra non ſuſtentabat, ut Datban, & Abiron.* Hęc ergò poſterior fuit ſententia Auguſtini, nam ex duabus opinionibus relatis auctor præſumitur ſequi poſteriorem, ſecundùm Sayrum lib. 1. cap. 6. num. 14.

38 Ego autem ſum ejus opinionis, quòd corpus ambulans ſuper aquas tunc non leviget, nec aqua fiat ſolida, ſed quòd Deus tunc ſuſpendat effectus fluiditatis, ne ſcilicèt aqua calcata dividatur, ut indè non ſequatur ſubmerſio ambulantis, ſeù alteriùs ſubjecti ponderantis ſuper aquas.

Primùm probatur; nam hic duo ſpectanda ſunt, perſona amambulans, & ſubjectum, ſuper quod fit progreſſio itineris. Ratione primi, cum perſona quantùm eſt ex ſe, & in ſeipſa potens ſit ambulare, cum ex parte ſua nullus reperiatur defectus ad ambulandum, nihil prohibet, quin ambulet, ergò ex parte ſua non eget, quòd mutetur de pondere in non pondus, nec quòd exuatur gravitate demergente ad fundum; videmus enim experientia, quòd homo graditur ponderoſus ſuper terram, & non mergitur, quia terra non eſt fluida, ſicut aqua, cum ergò nihil ſe teneat ex parte perſonæ impediens ejus iter, non eſt opus aſſignare aliquid miraculi ex ejus parte, nimirùm, grave onus ponderoſi corporis. Confirmatur id, quia miraculum recipitur in ſubjecto, nempè, in aqua, quæ cum ſit fluida, & labilis, tamen non ſinit fluere, & labare pedes ambulantis, qui dicitur facere miraculum, & non pati illud, cujus ſubjectum eſt ipſa aqua; igitùr non eſt neceſſe, quod corpus leviget in ambulando, ſed cum ſuo pondere graditur, ſicut facit

iter agendo ſuper terram.

Secundùm, quòd nec ſit neceſſè, quòd aqua in ambulatione miraculoſa de fluida à Deo fiat ſolida formalitèr, & in ſeipſa, probatur; quia poſita ſoliditate in aqua, ſequitur ambulatio naturalis, nam ad hanc præter perſonam ambulantem requiritur via ſolida non mergibilis, quæ ſecundùm hanc opinionem, à Deo ponitur in aqua; ergò tunc ambulatio erit naturalis, & non miraculoſa, dum utrumq; progrediens, ſcilicèt, & via ſe habent naturalitèr quò ad motum progreſſivum, ergò ex hoc capite nullum apparet miraculum. Nec mihi dicas, viam eſſe ſupernaturalem ex illa ſoliditate. Quia reſpondeo, ſoliditatem in aqua eſſe quidem miraculoſam non reſpectu ambulantis, quia naturale eſt ambulare ſuper ſolidum ſubjectum; ſed reſpectu aquæ tantùm, quæ naturalitèr eſt fluida; ergò contrà ſuam naturam facta eſt ſolida; ac proindè miraculosè, cum ſolus Deus eam talem reddere poſſit. Quare cum non reſpiciat perſonam ambulantem, nec ejus ambulationem, non eſt opus hac ſoliditate ad oſtendendum miraculum. Confirmatur id in ſequentibus.

Tertiùm, quòd Deus ſuſpendat effectus ipſius fluxibilitatis aquæ probatur, quia ſicut motus naturalis in aqua eſt fluere, dividere, & ſubmergere mobile progreſſivum, & poderoſum, ità & ſupernaturalis ac miraculoſus eſt ſuſpendere fluxum, diviſionem, & ſubmerſionem, quod ſinè dubio Deus facere poteſt, ergò facit in his miraculis; non eſt igitùr neceſſarium, quòd in aqua miraculosè producat ſoliditatem, ut ſervi Dei poſſint ſuper eam ambulare quando opus erit. Confirmatur, quia in miraculis factis ſuper elementis apparet ſola ſuſpenſio effectuum naturalium, qui ab ipſis provenire poſſunt; nam tres pueri in fornace projecti ab ea miraculosè exierunt incolumes, quia Deus ſuſpendit vim urendi ignis, non autem illum extinxit, nec novam in eo qualitatem oppoſitam virtuti comburendi impreſſit, ne illi pueri comburerentur. Terra tremuit, & mota eſt in morte Chriſti, ſinè impreſſione alicujus qualitatis, adeò quòd in ea ratio miraculi accipitur à motu mirabili excedente ejus vires, quæ ſunt, ut naturalitèr in æternum ſtet. In aere apparvit armatorum exercitus per quadraginta dies, ut legitur 2. Machab. cap. 5. etiam equorum, qui cum hominibus per aerem diſcurrebant, & aer erat idem omninò ſinè ulla impreſſione ſoliditatis, ſicut erat antè illud prodigium; & cum aer ſit magis fluxibilis aqua, cum hæc ſit denſior illa; idcircò ſi exercitus ille armatorum ſuſtentabatur in aere non mutata ejus labilitate in ſoliditatem, à fortiori poterat aqua, quæ eſt minus fluxibilis, ſuſtinere deambulantem, & calcantem illam, & in hoc apparet ratio miraculi, quod ſubjectum operetur contrà vires ſuæ naturæ.

39 Prædictis addamus miracula ſanitatis in aqua piſcinæ probaticæ, de qua Joan. 5. dicitur: *Eſt autem Jeroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur hebraicè Betſaida quinque porticus habens; in his jacebat magna multitudo languentium,*

guentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Hujus miraculi tres aſſignantur cauſæ, nempè deſcenſus Angeli, motus aquæ, & deſcenſus ipſius infirmi in aquam: infirmus ergò per talem deſcenſum, & aquæ contactum diſponebatur ad recipiendam gratiam ſanitatis; motus verò aquæ cum deſcenſu Angeli tamquàm duæ partiales cauſæ morales cauſabant miraculum ſanitatis in continėti; poſitis igitùr his requiſitis ſequebatur miraculum Dei producėtis ſanitatem in infirmo. Angelus non videbatur ab infirmis, ſed ejus deſcenſus cognoſcebatur per motum aquæ, quæ nonquàm movebatur, niſi Angelo deſcendente. Virtus ergò ſanandi à ſolo Deo erat ad motum aquæ, ſinè quo, & ſinè qua miraculum non fiebat, & ſic aqua mota Angelo deſcendente erat cauſa moralis, & conditio ſinè qua non conferebatur ægrotis ſanitas.

De Miraculis in Aere.

40 AEr tertium elementum eſt in ſummo humidus, & infrà calidus, ac proindè ex natura ſua labilis, & fluidus magis, quàm aqua, quæ ſicut craſſior eſt, ità minùs fluida, aer autem facile labilis, & terminabilis, proptèr rationem humidi, quod ſecundùm Ariſtotelem facilè figuratur termino alieno, omnibus exiſtens pervius. Ità ferè omnes Philoſophi cum Maſtrio diſp. 1. de generat. num. 66. Addo exemplum
41 probans experientia majorem, & faciliorem fluxibilitatem in aere, quàm in aqua; nam S. Auguſtinum ſuprà citatum, unus per ſe ſolus grave pondus fune ſuſtinebat in aqua, quod duo in aere ſuſpenſum fune non poterunt ſufferre. Quandocunque ergò in aere apparet aliquis effectus contrarius labilitati ipſius, ut ſuſtentatio alicujus rei gravis, & ponderatæ, tunc cum manifeſtum ſit, talem effectum non provenire ex natura ipſius aeris, inferendum eſt, illum eſſe prodigioſum, & ut miraculum à ſolo Deo provenire, ut apparet in ſequentibus exemplis.

42 Libro 2. Machab. cap. 5. legitur prodigioſum, & ſola fide miraculum credibile, his verbis: *Eodem tempore Antiochus ſecundam profectionem paravit in Ægyptum. Contigit autem per univerſam Jeroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes armatos, & currus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri comminùs, & ſcutorum motus, & gladiatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monſtra converti.*

In hoc terribili facto, cui ſimile alterum non legitur, duo contemplor miracula, unum ſe tenet ex parte aeris, quæ non obſtante ejus fluiditate mirabilitèr ſuſtentabat tàm ponderoſum, & formidabilem exercitum; alterum reſpiciens equites armatos diſcurrentes, & ad invicem digladiantes in aere, ut fit in terra, res quidem ardua, inſolita, & portentoſa hominibus incognitis maxima cohors munita; mirabilis ergò fuit exercitus in aere pendens, & genus hominum cum armis intèr ſe ſinè intermiſſione dimicantium.

Hebræi Deum rogabant, ut monſtra in bonum converterentur, ſed non fuerunt exauditi, quia erant increduli; ideò in malum ea monſtra fuerunt mutata; nam ea civitas maximas calamitates, detrimenta, & infortunia perpeſſa eſt, quæ ſub eodem capite leguntur.

In novo Teſtamento habemus, quòd Deus imperavit ventis, qui Chriſto Domino obedierunt, Matthæi 8. 26. *Imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna; Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* cap. 27. 45. dicitur, quòd aer in morte Chriſti obtenebratus eſt. *Et ſexta bora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam*

verſam terram. Hæc duo ſunt miracula, nam quantùm ad primum inſenſibilia ſoli Deo præſtant obedientiam;ac proindè cum venti tales ſint, ad imperium ſolius Dei ceſſant confeſtim à motu, licèt autem ventus non continuò moveatur, ſed ſolùm quandò exhalationes graves deſcendunt, & leves aſcendunt inter ſe tumultuantes, quibus ſedatis ventus ceſſat, tamen alia eſt ejus ceſſatio naturalis, & ab intrinſeco, quandò ſcilicèt exhalationes non ampliùs ad invicem ſe agitant; alia verò ceſſatio ſupernaturalis proveniens ſcilicèt ab extrinſeco, & imperio divino, à quo procedit miraculum, quandò ventus deberet ſuum proſequi motum ex ſua naturali cauſa, & ſubitò ceſſat ad imperium divinum.

Non ſolùm terra, ut dixi in præcedentibus, tenebris cooperta fuit in morte Chriſti, ſed etiam aer, & obductio earum fuit miraculoſa, quia quandocunque Sol eſt ſuper terram, & non eſt eclipſis ſecundùm naturalem curſum lunæ, nec terra, nec aer obtenebratur; in morte autem Chriſti curſus lunæ non fuit naturalis ſub Sole, ſed ſupernaturalis, juxtà ſuperiùs dicta; ergò talis obtenebratio fuit ſupernaturalis, & ſic miraculoſa, maximè cum fuerit ſuper univerſam terram, de ſe luna efficere non poteſt.

43 An ecſtaſis ſit effectus miraculoſus? Eſt autem abſtractio mentis à ſenſibus, per quam ſervi Dei independentèr à ſenſibus elevantur ad contemplanda divina myſteria. Contingit ergò ecſtaſis, cum anima abſtrahitur ab apprehenſione ſenſibilium ſupernaturali virtute Dei, ad intelligenda divina myſteria, nullis concurrentibus phantaſmatibus, & in hoc conſiſtit etimologia hujus verbi *Ecſtaſis*, ideſt extrà ſenſum ſtans, ſcilicèt ille, qui divina contemplatus extrà ſe; ideſt independentèr à ſenſibus; homo enim intelligit quodcumque; dum naturalitèr mente operatur dependentèr à ſenſibus; exiſtens verò in ecſtaſi, tunc non intelligit cœleſtia naturali lumine, & dependentèr à phantaſmatibus, ſed ſinè illis contemplatur. Eſſe ergò in ecſtaſi eſt contemplari cœleſtia independentèr à ſenſibus. Dicitur prætereà in ecſtaſi quis eſſe, hoc eſt, eſſe quaſi extrà corpus anima ejus, qui abſorbtus eſt à contemplatione, quia tunc Dei ſervus non movetur, non ſentit, nec interpellanti reſpondet, quia corpus tunc apparet, ac ſi eſſet alicujus mortui, extrà quem eſt anima: Dum ergò quis in ecſtaſi contemplatur, anima remanet ſinè dubio unita corpori, quod ſinè dubio informat; ſed anima tunc nullas in eo præſtat operationes ſenſibiles, cum ſit occupata in contemplatione divinorum, quæ non ſinit animam operari naturalitèr ſecundùm ſenſum, de quo tunc non curatur, cum meliori pabulo mens nutriatur. Anima igitùr in hoc ſupernaturali exceſſu contemplationis ignorat ea, quæ ſunt corporis, nec de illo curat, quia meliori fruitur objecto. Undè S. Paulus in ecſtaſi raptus 2. Corinth. 12. 3. benè dicebat de ſe:
44 *Et ſcio hujuſmodi hominem, ſivè in corpore, ſivè extrà corpus, neſcio, Deus ſcit; quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba, quæ non licèt homini loqui;*

Igno-

Ignorabat ergò Paulus in illa hora, quomodò ſe haberet anima ejus, an ſcilicèt eſſet in corpore, an extrà corpus. Reverà anima tunc corpus informabat, licèt operaretur independentèr ab eo, ut notant omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 175. art. 5.

Mens igitùr ſervorum Dei in contemplatione rerum cœleſtium elevatur à Deo, dum abſtrahitur à ſenſibilibus ad inſenſibilia; & quandoq; cum anima etiam corpus mirabilitèr aſcendit ad aerem ſtans in ea immobilitèr, & in hac elevatione potiſſimùm cognoſcitur ecſtaſis, & non in elevatione ſolius mentis; quia contemplatio cum ſit actus merè ſpiritualis, non poteſt nos conducere in cognitionem ecſtaſis, ſicut elevatio corporis ob ſuam ſenſibilitatem, & materialitatem, quod etiam præſtat, quandò corpus remanet inſenſibile, & immobile deſtitutum operatione ſenſuum.

Colligitur ex his, ecſtaſim eſſe effectum miraculoſum non tàm ex elevatione corporis, quàm ex mentis exceſſu; & quidem reſpectu primi patet, nam à Deo ſpecialitèr corpus elevatur, dum ſeipſum extollere non poteſt per proprias vires, & paritèr ejus ſuſtentatio in aere, & per aerem miraculoſa eſt, quia aer ſe dividit ad corpora gravia, & ſinit ea deſcendere quaſi in præcipitium, quia violentèr detinentur; undè Simon Magus, finxit ſe filium Dei tentando per aerem magicis artibus aſcendere ad Patrem, cadens collidendo ſuper ſaxum ſibi crura confregit, quia nullum grave in aere pendere poteſt, niſi ſpeciali Dei auxilio ibi detineatur, ut miraculosè elevantur ſervi Dei in contemplatione cœleſtium; modus autem hujus elevationis corporis gradatìm, & paulatìm fit, & non per volatum repentinum, ut volucres volitantes, quia arguit aſcenſum moderatum, & regulatum, ſicut eſt operatio contemplativa. Finita mentis contemplatione corpus elevatum non repentè, nec præcipitantèr deſcendit, ſed paulatìm, & regularitèr, eo modo, quo fuerat miraculosè elevatum; uterque enim motus ab eadem divina cauſa procedit, quæ nonniſi regularitèr operatur.

Ratione poſterioris, ſcilicèt exceſſus mentis contemplatio eſt miraculoſa, quia anima tunc in ſpeculando divina, naturalitèr non operatur intelligendo dependentèr à ſenſibus, ut dictum fuit, ſed mediante Dei ſpeciali auxilio præter naturalem intelligendi modum percipit divina myſteria.

45 Raptus Pauli non fuit violentus contrà ejus voluntatem, nec præcipitantèr, & velociſſimè factus, ſed ſic nuncupatus fuit; quia in contemplatione divinæ eſſentiæ, & ejus arcanorum raptus fuit, hoc eſt, abſtractus à ſenſibus, qui nihil contulerunt ad intelligenda divina myſteria. Fuit ergò raptus ille idem quod ecſtaſis; in utroque enim anima operatur extrà ſenſus, & ſinè illis.

46 In ecſtaſi miraculoſa hæc ſpectantur, primò contemplatio divinorum; & quia hæc percipi poſſunt per intellectum naturalitèr operantem cum dependentia à ſenſibus, ideò contemplatio naturalis differt à contemplatione ſupernaturali, quæ dicitur ecſtaſis, per intellectionem à Deo ſpecialitèr habitam per abſtra-

ctionem

Digitized by Google

ctionem à ſenſibus, quod eſt ſecundum requiſitum. Quandò verò accidit cum elevatione corporis tunc motus aſcenſus, ſtatio, & deſcenſus regularitèr fiunt, & paulatim ad oſtendendum, quòd ſervorum Dei intellectus paulatim illuminatur, & non ſubitò, ut commodè frui poſſit cœleſti contemplatione, & eam pari modo deſerere ad præſcriptum divinæ voluntatis, quæ dignatur hoc modo conſolari ſervos ſuos.

47 Hinc colligitur Chriſti aſcenſionem in Cœlum, nec aſſumptionem Mariæ Virginis in Paradiſum, nec Eliæ aſcenſum per turbinem in cœlum fuiſſe in illis ecſtaſim; quia hi motus nullam includunt cœleſtium contemplationem, neque eis correſpondet aliqua ſtatio, & deſcenſus, cum aſcenderint, & non deſcenderint paulò poſt; ecſtaſes enim non diù durant, ſed tantùm, quantùm ipſa contemplatio, per horam, per diem, plùs, & minùs juxtà tempus à Deo præfixum. Nihilominùs illæ actiones aſcendendi fuerunt miraculoſæ ex ſua raritate, & quia inſolitæ, procedentes quoque ex ſpeciali Dei voluntate, & præter ordinem naturæ, quæ non permittit gravia aſcendere.

48 Quæritur, an Cometa ſit effectus miraculoſus? Eſt autem Cometa exhalatio terreſtris tenax, unctuoſa, elevata ad locum, in quo apparet inflammata per virtutem, vel ſuperioris aeris, aut ignis, aut alicujus planetæ, aut ſtellæ, ſeu conſtellationis cœleſtis. Ità communior Philoſophorum ſententia cum Ariſt. 1. Meteor. cap. 17. Scotus ſatè lib. 1. Meteor. q. 17. & 18. Pontius diſp. 6. de Meteor. Reſponſio deducitur ex allata definitione, cometas non eſſe effectus miraculoſos, ſed naturales, dū proveniunt à cauſis ſecundis, cum quibus concurrit prima generali, non ſpeciali concurſu; generantur ergò per terream exhalationem, quæ in aere uti pinguoſa, & craſſa accenditur, & duratquouſque ejus alimentum permanet. Confirmat id Scotus, quia paulatìm fit, & ſenſim deficit; effectus verò miraculoſi à Deo ſolent fieri incontinenti; cum enim Deus tunc operetur per ſe ſolùm, & ſpeciali modo, non ſe accommodando cauſis ſecundis, in inſtanti efficit opus, quod cum cauſis ſecundis produxiſſet ſucceſſivè accommodando ſe illarum virtutibus.

49 De ſtella, quæ apparvit Magis, quos duxit ad novum Regem adorandum, dicendum eam fuiſſe à Deo miraculosè productam ex materia elementari in aere valdè reſplendentem, non ſolùm de nocte, ſed etiam de die, ut Magis rectam præberet viam ad Præſepium nati Salvatoris. Vide *S. Thomam part. 3. q. 36. art. 7. & ſeq. Bonac. diſp. 3. de Incarnat. q. 1. p. 4. num. 4. Suarez. de Incarnat. diſp. 13. ſect. 5.*

De Miraculis in Igne.

50 IGnis in ordine eſt quartum elementum, ſecundùm Scotum *lib.1.Meteor. q.7.& lib.2.ſent. diſt.14.q.3.* collocatum in concavo lunæ, ubi non eget pabulo, quia ibi non habet contrarium ſui deſtructivum, *ut ibidem inquit Poncius relatus à Vadingo ibidem tom. 6. par.2. num. 7.* Ignis autem ex ſua natura eſt in ſummo calidus, & propè ſummum ſiccus, ex diametro oppoſitus aquæ ex contrariis qualitatibus frigore, & humiditate conſtantis, quibus ideò illum deſtruit, & extinguit, juxtà illud Eccli. 3.33. *Ignem ardentem extinguit aqua*, etiam calida, ut experientia docet.

51 Proprietas autem, & effectus ignis, quantùm facit ad præſens inſtitutum, referendi ſunt, ut ejus naturales effectus cogniti deducunt nos in notitiam effectuum ſupernaturalium, & admirabilium.

52 Primò namque notum eſt, ignem eſſe cauſam naturalem, ac proindè naturalitèr, & neceſſariò operantem, dum proximum ſibi habet ſubiectum, & materiam, circà quam agat, ut contingit aliis agentibus; lucet ergò & illuminat ignis, calefacit, & exſiccat, comburit, &c. Et ab his operationibus deſiſtere non poteſt, dum neceſſariò operatur, cum ſint illi connaturales.

53 Secundò, ignis ex ſua natura levis eſt, imò leviſſimus reſpectivè ad aerem; undè ſuper illum aſcendit naturalitèr aſpirans ad ſuum naturalem locum, qui eſt ſuprà aerem, & infrà concavum lunæ, ut dixi ſuprà, quamvis id nonnulli negent, dum volunt remanere ſuper terram ad uſum hominum, & non eſſe ibi, cum ad nihil deſerviat in concavo lunæ; ſed hoc latiùs diſcutere hujus loci non eſt, quo quærimus notitiam miraculorum, & non effectuum naturalium, & earum rerum, atque cauſarum.

54 Tertiò ignis ſibi coævam habet lucem, ſplendorem, & illuminationem, quare quò ad hæc ſervit potiſſimùm ad illuminationem in nocte, ut dicitur Pſal. 104.39. *Expandit ignem, ut luceret eis per noctem.* Ubi ſermo eſt de populo Judæorum fugiente de Ægypto, cui de nocte ignis reſplendebat, ut viam; per quam pergebant, ſpeciali Dei gratia viderent etiam de nocte, quæ illi dies erat.

55 Quartò, ignis producit calorem, ſiccitatem, & alium ignem, coquit cibos, exſiccat madefacta, lutum, & cætera præſtat ad utilitatem hominum.

56 Quintò, ardet, comburrit, & deſtruit, quod incendit, devorat efficacitèr, & conſumit omnia, nonquàm ſatiatur juxtà illud Proverb. 30. 16. *Ignis verò nonquàm dicit: Sufficit.*

57 Sextò, ignis examinat, probat, & purgat metalla, & quidem naturalitèr, ut dicitur num. 31. 22. & 23. *Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne, quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur.* Et id quoquè experientia patet.

Ignis ergò plures habet effectus, alios quidem bonos, & in utilitatem, & commodum hominis, ut illuminare, calefacere, exſiccare, coquere cibos, &c. alios verò malos, & hominibus incommodos, atque pernicioſos, ut comburere, conſumare, & deſtruere. Ignis ergò eſt utilis, & incommodus, ut notat D. Auguſt. tom. 5. lib. 12. de civit. Dei cap. 4. fine, qui ſecundùm eundem tom. 10. ſerm. 1. de verbis Apoſtoli, tria habet, motum, lucem, & fervorem, quæ in eo dividi non poſſunt; quod dicit ad probandum Trinitatem in Unitate eſſentiæ divinæ; per motum, & lucem nobis bonus, & utilis eſt, per fervorem, & ardorem incommodum, & nocumentum affert.

His præmiſſis naturalibus effectibus ex ſe manifeſtè cognitis, facilè erit cognoſcere effectus ſupernaturales ſpeciem habentes miraculi, cum ſcilicèt ignis operatur aliquid contrarium ſuæ naturæ, vel quandò habens ſubjectum ſibi debitè approximatum, & in eo nihil operatur alioquin combuſtibile, quod tamen non conſumitur non obſtante contiguitate inter ipſum ignem, & ſubjectum incendibile, & deſtruibile alias per ignem; ignem enim ceſſare à combuſtione ſubjecti combuſtibilis arguit aliquid contrà ejus naturam impediens operationem ſibi connaturalem ardendi, & ſimul comburendi; conſequentèr in eo latere cauſam, per quam impeditur, ne ſuam operationem exequatur, quod proprium eſt cauſæ miraculoſæ, ut effectus mirabilis appareat cum ſuis circunſtantiis, & cauſa illum producens lateat noſtris ſenſibus; ea autem cauſa eſt ſolus Deus; qui rerum, & cauſarum ſecundarum vires pro ſuo arbitrio movere, vel impedire poteſt à ſuis operationibus, undè Salomon de hac re loquens Sapient. cap. fin. num.
59 19. inquit: *Ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, & aqua extiguentis naturæ obliviſcebatur*. Certum eſt majorem virtutem habere aquam contrà ignem, quem extinguit, quam ignis, qui ab ea vincitur, & extinguitur, ut ſuprà dictum fuit, quod verum eſt, ſecundùm ejus connaturalem virtutem. Nihilominùs Deus ex ſua omnipotentia, quæ legibus naturæ, cum illius ſit auctor, non tenetur, præcipere poteſt, ut ignis agat contrà aquam; & eam deſtruat, infirmando ejus virtutem, cujus tunc aqua dicitur obliviſci, cum ab igne ſuperatur. Sequitur textus. *Flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec diſſolvebant illam, quæ facilè diſſolvebatur, ſicut glacies, bonam eſcam*. Flamma ignis carnes ſervorum Dei non vexat, nec comburit, quamvis ignis eſca ſint, quia Deo mandante, ignis obliviſcitur ſuam virtutem combuſtivam ſuſpenſam, ne operetur ſecundùm propriam naturam. Sed referamus exempla effectuum contrariorum, ut colligamus ex eis miracula in igne, qui neceſſariò operatur in ſubjectum ſibi approximatum combuſtibile, ità quòd à nulla alia cauſa impediri poteſt, poſitis ejus requiſitis ad operandum.

60 In primis ſe offert exemplum ex Ochozia Rege lib. 4 Reg. cap. 1. qui ex caſu per cancellos ſui cœnaculi cœpit ægrotare, & re-

lictis Domino, & Elia ejus ſervo, conſulvit per ſuos ſervos Beelzebub Deum Accaron ſuper ſua infirmitate, Dominus id ægreferens, ut ità loquar, miſit Angelum ſuum ad Eliam, qui nuntiaret mortem Regi, qui iratus præcepit per ſuos nuntios, ut iret ad eum Elias; Dominus autem hanc injuriam ſuo ſervo factam, vindicavit combuſtione duorum quinquagenariorum cum quinquaginta aliis pro ſingulo, igne de cœlo deſcendente per duas vices, quibus ſic reſpondit Elias requiſitus à Quinquagenariis præcipientibus, ut accederet ad Regem indignatum, quia ei prædixerat mortem, *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcenditque ignis de cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant, cum eo.* Miracula hìc duo notantur, deſcenſus ignis è cœlo, & devoratio ſubitanea quinquaginta unius hominum; nam de natura ignis eſt aſcendere propter ejus levitatem, deſcendit verò contrà ſuam naturam; ergò hic deſcenſus fuit miraculoſus à ſolo Deo, poſita juſſione Eliæ, qui hujus miraculi fuit cauſa moralis. Et licèt ignis de ſua natura comburat, & devoret, & ſic ex hoc non colligatur miraculum, tamen ex modo devorandi benè colligitur miraculum, quod fuit repentina devoratio; impoſſibile enim eſt igni, ut talem materiam tot hominum de repente abſumat; cum manifeſtè conſtet carnes non ità facilè conſumi, ſed requiri multum temporis, ut ſubjectum fiat proximè combuſtibile. Notum autem eſt, quòd verbum
61 *devorare* importat celeritatem in operatione; qui enim devorat, ità rem affectat, ut velit eam conſumere in inſtanti. An ignis iſte de cęlo deſcendens fuerit de novo à Deo creatus, an è concavo lunæ deſcenderit? Qui negant ignem morari in concavo lunæ, reſpondebunt de novo creari à Deo. Alii verò à Deo miſſum ex concavo lunæ, ne ignis multiplicetur ſinè neceſſitate.

62 Alii ignis deſcenſus de cælo miraculoſi narrantur in Sacra Scriptura, Geneſ. 19. 24. *Igitur Dominus pluvit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo. Deſcendente igne in Pentapolim*, inquit Sap. 10. 6. erant enim quinque Civitates igne incenſæ; deſcendit ergò ignis de cælo à Domino, qui illum pluvit ſuper eas civitates. Simile ergò eſt hoc miraculum præcedenti, & ratione deſcenſus contrà ejus naturam, & ratione momentanei incendii, & ſubmerſionis, ex illo Threni 4. 6. *Et major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non cæperunt in ea manus.* Sicut enim in inſtanti igne ſubmerſa fuit Sodoma, ità anima in momento ſubvertitur. Salomone poſt templi conſumationem, orante in eo, deſcendit de cęlo ignis, & devoravit gratioſè holocauſta, & victimas, ſignificans Dominus per hoc ſibi fuiſſe acceptam ejus orationem, & ſacrificia; & in hoc apparuit miraculum ignis deſcendentis contrà ſuam naturam.

63 Moyſes Exodi 3. 2. *videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Duo hìc conſideranda ſunt, actio, ſeù actus ardendi, & combuſtionis negatio, & quam-

vis

vis communitèr pro eodem accipiantur ignem ardere, & comburere, hoc eſt, deſtruere eam rem, quæ infocata dicitur, tamen ex allata auctoritate manifeſtè diverſi ſunt ex illa negativa; undè rubum ardere ſignificat illum circà ſe habere candorem ignis ſine ſecundo actu, ſcilicet combuſtionis neceſſario conſequentis ad candorem; nam e. g. ferrum candens exurit, & conſumit per ignem quicquid combuſtibile tangit; cum igitùr rubus arderet ignis ſplendore ſine preſſura flammæ, & ſui conſumptione, ſequitur miraculum in rubo infocato, & accenſo, ſuſpendente Deo effectum combuſtionis, quæ aliàs neceſſariò ſequitur ad arſionem; non enim alter ab altero naturalitèr ſeparatur, ſed tantùm Deo jubente.

64 Ignis verò Inferni, qui ejuſdem eſt naturæ cum elementari, caret utroque effectu, ſplendoris ſcilicèt, & combuſtionis, ut dicit rei combuſtæ conſumptionem, & in hoc apparet grande miraculum divinæ juſtitiæ in ejus omnipotentia, per quam ſuſpendit in eo ſplendorem, & conſumptionem, remanendo ſolùm in eo dolor, & cruciatus ad punitionem peccatorum; hæc enim tria ſplendor, dolor, & deſtructio combuſti experitur animal aduſtum per ignẽ ſibi applicatum; in inferno autem ignis carens ſplendore, & deſtructione ex divina virtute immenſo dolore afficit animas peccatorum, & poſt diem judicii ſimul cum illis etiam corpora inevitabilitèr cruciabit in æternum; ex his ergò habetur miraculum, quod ignis contrà ſuam naturam operatur ex ſpeciali imperio divinæ voluntatis, oblitus ſui ſplendoris, & deſtructionis. In modo etiam cruciandi reſpectu animarum ſpectatur miraculum, quia corpus de ſe, ut eſt ignis etiam infernalis, non poteſt agere in ſpiritum, ut eſt anima rationalis, & tamen agit, & efficacitèr agit cruciando animas divina virtute, cujus eſt inſtrumentum ad pœnam animarum. Patet ergò ex his miraculum, dum in igne inferni reperiuntur ea, quæ conſtituunt miraculum, nam revera hujuſmodi cruciatus eſt ſignum ſenſibile, arduum, dum agit in animam, inſolitum, dum ad ignis naturam non ſpectat ſic agere, excedens illius vires, conſequentèr habens ſolùm Deum pro cauſa efficiente, & ignem pro cauſa inſtrumentali, per quam Deus punit animas peccatorum.

Quòd autem cruciatus infernales ſint miraculoſi, & admirabiles, docent Sancti Patres, nam S. Auguſt. lib. 21. de Civit cap. 10. ait: *Cur non dicamus quamvis miris, veris tamen modis ſpiritus incorporeos poſſe pæna corporalis ignis affligi?* S. Gregorius 4. Dialog. cap. 30. inquit: *Si Diabolus, & ejus Angeli cum ſint incorporei corporeo ſunt igne cruciandi, quid mirum eſt, ſi animæ antequam recipiant corpora, poſſint corporea ſentire tormenta.* Refert Scotus in 4. ſent. diſt. 44. q. 2. verſ. Oppoſitum. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 9. cap. 12. *Ne mireris, opus Dei eſt hoc opus, mirum eſt, ſed non ideò falſum, quia mirum, &c. Verum eſt, nec tamen ſit mirum, quia opus Dei eſt. Non mirum, ſi mirabilis mirabilia operatur.* Cruciantur ergò animæ, & Angeli in inferno miraculosè, ex quo ignis de ſe

in

in ſpiritum agere non poteſt.

65 Sed gravis eſt difficultas cognoſcere modum, quo dœmones, & animæ damnatorum in Inferno crucientur. Quod crucientur de fide eſt, Matth. 25 71. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*. Et in fine ejuſdem capituli dicitur: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Quæ fides declaratur in Decreto Unionis factæ in Concilio Florentino, ubi dicitur, illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel cum originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Modus autem cruciandi relinquitur diſputationi Theologorum, de qua re latè *S. Thomas, & Scotus in 4. diſt.* 44. *ille in ſumma part.* 1. *q.* 64. *art.* 4. Difficultas autem in eo conſiſtit, quia cum ignis inferni ſit corporeus, & materialis, ſicut ille, qui eſt pro uſu noſtro, & corpus non agat in ſpiritum, nempè in ſubſtantiam Angeli, & Animæ, qui ſunt ſpiritus, difficile eſt divinare, qua actione torqueat dictos ſpiritus?

66 Pro hujus intelligentia Theologi diſtinguunt duas actiones in igne; unam vocant intentionalem; alteram phyſicam qualitatem, ambas in ſubſtantiam ſpiritus impreſſas, ad quas ſequitur cruciatus, & triſtitia in damnatis: Tomiſtæ, & Scotiſtæ tenent ſpiritus cruciari per actionem intentionalem; alii cum Suar. *lib.* 8. *de Angelis cap.* 15. *reſp.* 4. & *Peſantio par.* 1. *q.* 64. *art.* 4. *diſp.* 5. vexari per qualitatem phyſicam eis impreſſam, & quidem ſpiritualem, ut aliquo modo ſubjectum proportionetur cauſæ crucianti; ignis enim elevatur ad producendam eam qualitatem diſconvenientem ſpiritui, qui ideò triſtatur ob ejus deformitatem, & diſconvenientiam. Sicut enim gratia in eſſentia animæ dicit pulchritudinem, qua homo juſtus, & Angelus boni delectantur, ità hæc ſpiritualis qualitas deformitatem, & turpitudinem dicit in ſubſtantia ſpiritus mali, qui ideò triſtatur, & cruciatur.

Dabilis autem non eſt hujuſmodi qualitas. *Primò*, quia non explicat quomodò ignis cruciet ſpiritus; cum enim de ſe ignota ſit, nos inducere non poteſt in cognitionem modi, quo ſpiritus ab igne crucientur. *Secundò* hæc qualitas materialis non eſt, ſed ſpiritualis; ac proindè inutilis, quia ſubjectum pœnarum per eam non poteſt proportionari igni agenti corporeo. *Tertiò*, hæc qualitas, ſi datur, à ſolo Deo eſt producibilis, Deus autem nullum deforme, nullum turpe producit. *Quartò* hæc qualitas aliud non poteſt eſſe niſi peccatum, dum opponitur gratiæ, quod tamen dicendum non eſt, quia peccatum peccato non cruciatur. Vide Hiquæum Commentatorem Scoti loco citato, qui rem fusè proſequitur contrà Svarez. Remanet ergò primus modus explicandus, quo ſpiritus in Inferno crucientur.

Intentionali ergò actione ignis cruciat ſubſtantias damnatorum: hoc declaratur, & ſimul probatur latè à Scoto in 4. diſt. 44. Cruciantur ergò per actionem intentionalem, quatenùs apprehendunt ſe detineri alligatos igni contrà eorum voluntatem.

In

In hac autem intentionali actione plura conſiderantur. *Primò*, quòd ignis, Deo mandante, circundat, & ambit ſpiritum, quem etiam totum penetrat, atque ità alligat ſicut in carcere, ut nullatenùs ab eo ſe eximere poſſit; undè D. Gregor. 4. Dialog. cap. 29. ait: *Teneri autem ſpiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis videndo, atque ſentiendo puniatur*. Et Cyprian. ad Demetriad. in fine dicit: *Manet poſtmodùm carcer æternus, & ignis flamma, & pœna perpetua*. Iſta autem detentio ad tempus non eſt, ſed perpetua, & æterna, quam meretur peccatum, quo homo infinitè Deum offendit; undè benè dicitur, quòd in inferno nulla eſt redemptio, quia ejus pœnæ finem non habent. *Secundò*, iſta detentio nihil eſſet, nec triſtitiam cauſaret in damnatis, ſi ab eis ignoraretur, ſicut non triſtatur, ſed gaudet, qui ſplendidè epulatur in loco, quem ignoret eſſe ſibi carcerem conſtitutum; neceſsè ergò eſt, ut apprehendat eam ignis detentionem tamquàm objectum ſibi diſconveniens, ut ſequatur in eo triſtitia, & ab hac apprehenſione actio appellatur intentionalis, dum intellectus tendit in eam intelligendo ſe detineri perpetuò illo igne. *Tertiò* demùm, cum ea detentio ſic apprehenſa ſit objectum diſconveniens nolet ità detineri, & alligari ad pęnandum perpetuò. Ex his ergò tribus conſtat actio intentionalis conflata ex alligatione, apprehenſione, & nolitione ignis perpetuò cruciantis, ex quibus ſequitur triſtitia in ſpiritu damnato.

67 Collige ex dictis, noſtrum ignem, quamvis ſit ejuſdem elementi, & ſpeciei cum igne in inferni, in multis tamen ab eo differre; nam *primò* licèt ambo urant, non tamen noſter ligat, ſicut infernalis. *Secundò*, noſter eget pabulo, quo ſucceſſivè nutritur conſumendo, & deſtruendo materiam combuſtibilem; infernalis verò non eget ſucceſſione pabuli, quia licèt urat, non tamen conſumit, nec deſtruit damnatos, quos perpetuò cruciare debet. *Tertiò*, noſter ignis lucet, & reſplendet, nos lętificando, ſed ignis Inferni caret luce, & ſplendore & eſt fumoſus, ut nihil delectationis afferat damnatis, ſed confuſionem, & perpetuam triſtitiam. *Quartò*, noſter ignis æqualitèr omnes comburit, quia non habet majorē vim reſpectu unius, quàm alterius, dum naturalitèr operatur; infernalis verò, cum operetur ex divina virtute, omnes cruciat inæqualitèr juxtà exigentiam culparum damnatorum, qui differunt in culpis, cum alii alius ſint magis, vel minus peccatores. *Quintò*, noſter ignis conſumit, & deſtruit; infernalis verò non, quia perpetuò urere, & conflagrare debet, ſic divina diſponente juſtitia, *Sextò*, ardor noſtri ignis eſt naturalis non tendens in infinitum, infernalis verò per ſuum ardorem extenſivè in infinitum torquet. *Septimò* denique ignis terrens corrumpitur, & deſinit eſſe, quando deficit ei pabulum, & videmus flammam converti in aerem, dum deſinit ei materia; ignis verò infernalis eſt incorruptibilis, quia eſt in materia incorruptibili, & æterna à parte poſt, nimirùm in ſpiritu damnatorum, qui nunquàm moriuntur. Dices,

Dices, ex allata doctrina de modo, quo ſpiritus in inferno cruciantur, ſcilicèt per actionem intentionalem, non ſalvatur miraculum; nam ea tria in actione intentionali ſpectata ſunt naturalia tùm in igne, tùm in ſpiritibus; ergò miraculum in illis locum non habet, ſiquidem detentio ſpiritus per ignem alligantem damnatos, eſt naturalis, ſicut naturalis eſt detentio animæ in corpore; apprehenſio deindè, & nolitio objecti diſconvenientis ſunt ſpiritui connaturales, cum etiam homo in hac vita tales conceptus naturalitèr facere poſſit, & indè in ipſo ſequi triſtitiam; undè cum hæc omnia ſint connaturalia ipſi ſpiritui damnato, excluditur miraculum, quod melius ſalvatur per ſecundùm modum cruciandi nimirùm per impreſſionem qualitatis ſupernaturalis.

℞. Salvari benè miraculum in actione intentionali, quæ eſto rationem habeat naturalis quò ad apprehenſionem, & nolitionem, tamen ratione defenſionis, & ligaminis cognoſcitur miraculum, quia ea alligatio, & quidem perpetua excedit vires ipſius ignis, & naturam ipſius ſpiritus, qui alioquin liber eſt, detentus tamen, & alligatus igni ex imperio divinæ juſtitiæ, ità exigentibus illorum ſpirituum culpis. Itaque anima in corpore eſt naturalitèr tamquàm illius compars ad perfectionem totius, à quo exire non poteſt, niſi poſita intemperie contrariorum; Spiritus verò in igne eſt violentèr tamquàm in ſuo offenſivo, & cruciativo, non tamquàm pars in comparte ad complendum, & faciendum unum per ſe. Ignis ergò ille infernalis quia eſt vinculum divinæ juſtitiæ cruciat animas, & dæmones, ultrà ſuas vires, à Deo elevatus ut inſtrumentum ad torquendum.

Dices 2. Ignem eo modo, quo ſuprà dictum fuit, cruciare ſpiritus damnatos, non videtur miraculum, quia ignis Inferni regularitèr, & modo ordinario torquet, & quidem continuò ſinè intermiſſione dœmones, & animas à corporibus ſeparatas; non eſt ergò id inſolitum, nec rarò contingens, ſed ordinarium, & regularitèr, atque continuò exiſtens ſpiritus in tormentis; ergò ignem ſic cruciare non eſt miraculoſum, quia ex dictis Medit. 1. num. 10. de ratione miraculi eſt, ut ſit inſolitum, hoc eſt ut rarò contingat. Undè neque Sacramenta dicuntur miracula, quia ſæpè, & regularitèr conferuntur fidelibus toties, quoties opus eſt, vel ea petunt.

℞. Inſolitum dicitur, quod præter curſum cauſarum ſecundarum ſit, ut ibidem dixi; patet autem ex dictis ignem infernalem, qui eſt ejuſdem entitatis, cujus eſt noſter, in cruciando non ſequi curſum naturalem ſibi inditum; ſed elevatum ſuprà ſuas vires operari, quod ſufficit, ut dicatur agere miraculosè. Ea verò continuatio torquendi cum pendeat ab exigentia culpæ lætalis, quæ eſt offenſa infinita, non tollit rationem miraculi, dum illud non conſtituit, ſed ſequitur pendens à conditione peccati, ſic exigente divina juſtitia. Poteſt etiam dici, quòd cruciatus damnatorum irregulariter fiunt, quia cum in inferno nullus ſit ordo, ſed perpetua confuſio, ſine ulla regula, cruciantur irregularitèr; ſacramenta autem regu-

regularitèr, & ordinatè conferuntur.

Reliquum eſt, ut referamus miracula ignis ſuæ virtutis comburendi oblitus, juxtà illud, Sap. cap. fin. 20. *Flammæ contrariò corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium*. Ita accidit tribus pueris colligati in camino fornacis ardentis, quos flamma non vexavit, appellatos Sidrach, Miſach, & Abdenago
68 Daniel. 3. 11. *Et confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis. Porrò viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Viri autem iſti tres ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Et ambulabant in medio flammæ benedicentes Deum; Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neq; contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit*. Hæc poſtrema verba habentur num. 49. Abdenago vocabatur Azaria.

In eo apparet miraculum, quòd ignis, qui naturaliter, & neceſſariò comburit paſſum combuſtibile ſibi approximatum, ut dictum fuit ſuprà num. 53. cum autem non combuſerit hos tres pueros in medium fornacis ardentis miſſos, certum eſt argumentum, miraculum fuiſſe, eos incolumes & ſecundùm perſonas, & ſecundùm eorum veſtimenta ſervatos fuiſſe, & innoxios ab ipſo igne, cujus vim comburendi excuſſit à flamma angelus, qui cum eis deſcenderat in fornacem, ſuſpendēdo ignis vires, ne combureret ſervos Dei. E contrà verò iniquos Regis miniſtros flamma ignis ejuſdem interfecit, & devoravit, aliud miraculum comparativè ad utroſq; quòd ſcilicet idem numero ignis miniſtros conſumpſerit, & Dei ſervis non nocuerit, nec eos contriſtaverit. Speculare aliud miraculum, quòd licèt pueri eſſent vincti, & colligati cadentes in medio fornacis, tamen divina virtute ſoluti ambulabant in medio flammæ ſinè aliqua moleſtia.

Sed ex contextu verborum ſuprà relatorum videtur colligi non fuiſſe miraculum, illos tres pueros exiſſe e fornace illæſos ab igne, quia in textu dicitur, quòd Angelus Dei cum illis deſcendit in fornacem, excutiendo flammam de fornace, & ventus roris erat in medio fornacis impedientis, ne rediret flamma ab Angelo projecta extrà fornacem; cum ergò ibi non eſſet flamma, mirum non eſt, ſi pueri non fuerunt combuſti; nam ignis non agit in ſubiectum combuſtibile, quandò abeſt ab illo; ex textu autem patet, ignem excuſſum fuiſſe, & projectum extrà fornacem, & ideò interfecit miniſtros, qui erant circà fornacem, extrà quam erat flamma ignis, cujus proprium eſt comburere; non autem illos pueros exiſtentes inter medium ventum impedientem, ne flamma rediret in fornacem.

69 ℟. Illud verbum *excuſſit flammam ignis* non ſignificare expulſionem flammæ extrà fornacem, intrà quam ignis ſemper manſit accenſus, & cum ingenti flamma, ſed ſuſpenſionem effectus illius, ne ſcilicèt noceret, & combureret pueros; ignis ergò tunc obli-

tus fuit ſuum effectum comburendi, ut dicitur Sapient. cap. fin. & quoniam in igne tria ſunt indiviſibilia, motus, lux, & fervor, intrà fornacem ignis manſit quò ad lucem, & motum, ſecundùm quod intelligenda ſunt ea verba Danielis: *Et fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem*, per ſuum motum tunc ignis non ardebat, ſed ut ventus flabat rorem ſui odoris ſuper pueros Deum collaudantes in fornace; Angelus verò ſolùm excuſſit ejus ardorem, ne pueris noceret.

70 In Bulla Canonizationis S. Franciſci de Paula Fundatoris Ordinis Minimorum, incip. *Exceſſus Dominus* 38. in B. N. & conſt. 16. Leonis X. apud Peyrinum, referuntur multa miracula ſuper igne facta ab eo, nam §. 13. dicitur, *ipſum ſæpius ignem nudis pedibus conculcaſſe, ac ignitos, candenteſque lapides manibus portaſſe*. Et infrà num. 27. refertur, quòd ſigno Crucis ſibi facto intrepidè intravit fornacem ardentem minantem ruinam calce plenam, ac illam ſolus reparavit, & abſque læſione aliqua incolumis ab ea exivit; carbones è foco acceptos nudis manibus ſtrictè comprimebat, oſtendens, ſe tot efficere mirabilia, divina virtute, quia credentibus omnia ſunt poſſibilia, quæ non implicant.

71 Marcellinus Anconitanus Epiſcopus, referente S. Gregorio lib. 1. Dialog cap. 6. laborans podagra alienis manibus geſtatus, retroſpiciens, urbis incendium de repente divino juſſu ceſſare fecit, potens virtute, licèt pedibus valdè debilis eſſet. Elphegus Cantuarienſis Archiepiſcopus omnibus bonis Romæ exutus, & urbe ejectus, tecta repentino incendio conflagrare cæperunt juſto Dei judicio, propter hoc revocatus in remedium, ſua oratione incendium extinxit. Marulus lib. 3. cap. 3. Maxima hæc ſunt miracula, dum ignis, qui materiæ combuſtibili applicatus non poteſt non proſequi cæptam conflagrationem operando conformitèr ad proprias vires, & nihilominùs ad orationem, vel juſſionem ignis ſuſpendit actionem, & operationem, ſibi connaturalem.

72 Hippolytus Marracius Lucenſis Congregationis Clericorum Regularium de Republica Chriſtiana benemeritus in ſuo libro *Cæſares Mariani* in Dedicatoria ad Alexandrum VII. felicitèr tunc regnantem, refert miraculum Senis factum ad comprobandam veritatem immaculatæ Conceptionis paſſivæ Glorioſæ Virginis Mariæ in hæc verba: *In ea civitate natus eſt*, loquitur cum eodem Pontifice Senis nato, *in qua cum anno præterito* 1655. *die* 24. *menſis Auguſti hora nona ex fortuito incendio templum S. Franciſci ab operis magnitudine, & picturarum prætioſitate nobiliſſimum ferè totum conflagraſſet miſerabilitèr, (ut immaculatum Deiparæ conceptum novo miraculo in civitate Virginis comprobatum gauderemus.) Imago Divæ Virginis ſine macula conceptæ in perantiqua lignea tabula depicta, & levi velamine cooperta, Moſaici inſtar Rubi ab igne penitùs cum velo illæſa manſit, cum tamen ipſius Imaginis altare marmoreum, & omnia quæ circà, & ſuprà eandem Imaginem erant flammæ ſævitiam non effugerunt.* Hoc miraculum piè demonſtrat, Mariam ſemper Virginem fuiſſe conce-

conceptam ſinè peccato originali, nec enim Deus poteſt eſſe teſtis falſus, ut docent omnes Theologi; & ſicut grande miraculum fuit, quod pereunte Core, non perirent ejus filii Num. 26. 10. ità non ſolùm grande, ſed longè majus, & mirabilius fuit hoc, quòd omnia in eo templo circà illud Altare comburerentur, & non incenderetur Imago Virginis cum ſuo velo aptior materia, & maximè combuſtilis ab igne, qui omnia devorat, quæ ambit; terra verò ſolùm abſorbet ea, quæ in ſua apertura inveniuntur, & non circà eam, ut facit ignis, cujus tamen activitas in hoc incendio à Deo ſuſpenſa fuit, ut ſcirent omnes, verùm uſquequaque eſſe, animam Virginis in primo inſtanti tuæ creationis, & infuſionis in corpore fuiſſe prorſùs tunc, & deinceps immunem à peccato originali ex ſpeciali Dei privilegio; & ità piè ſentit Eccleſia Catholica, ut patet ex Bulla Alaxandei VII. incip. *Sollicitudo omnium*
73 *Eccleſiarum*. Data 8. Decemb. 1661. publicata die 11. ejuſdem menſis, & anni, cujus titulus eſt. *Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione à peccato originali præſervatam fuiſſe editorum.*



MEDITATIO VI.

De Miraculis in corporibus cœleſtibus.

1 *SOl, & luna creati à Deo.*
2 *Quatuor de ipſis credenda ſunt.*
3 *Ecclipſis Solis, & lunæ quid.*
4 *Sol, & luna ſteterunt ad imperium Joſue, de quo uſque ad 13.*
14 *Sol retrocedit in infirmitate Ezechiæ, quò ad umbram. ad 24.*
25 *Sol in morte Chriſti obſcuratus ſinè ecclipſi.*
26 *Sol retroceſſit ex miraculo F. Griphonis Franciſcani Ordinis.*
27 *Soles tres tribus temporibus apparuerunt.*
28 *Unicus tantùm realis, alii apparentes.*
29 *Quomodò fiant ſic apparentes?*
30 *Iris eſt arcus in nubibus ſignum fœderis.*
31 *Non eſt miraculum, nec opus ſupernaturale.*

MEDITATIO VI.

1 MOyſes cap. 1. Geneſ. 14 refert orationem Lunæ, Solis, & ſtellarum à Deo factam quarta die in beneficium hominis, quem ſubſequentèr ſexta die fecit, his verbis: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum eſt ità. Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti, & ſtellas.* Sol venit ſub nomine luminaris majoris, & luna ſub nomine minoris, ex Pſal. 135. num. 7. 8. & 9. Sicut autem terra in æternum ſtat, ut dicitur Eccl. 1. 4 ità ſol, & luna continvò, & in perpetuum moventur circularitèr in firmamento cœli, ut ibidem ſubjungitur: *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibiq; renaſcens girat per Meridiem, & flecti-*
2 *tur ad Aquilonem.* Ex his deducuntur quatuor de ſole, & luna de fide credenda, *Primò*, quòd ſint à Deo creata. *Secundò*, quòd exiſtant in firmamento cœli. *Tertiò*, quòd illuminent terram. *Quartò*, deniquè, quòd in orbe moveantur. Eſt ergò illis proprium, quòd ſint in loco, quòd illuminent, & quòd circularitèr in perpetuum moveantur. Quandoque autem non illuminant, cum ſcilicet ecclipſantur, ut illis regularitèr contingit, ſoli quidèm, cum inter nos, & ſolum ipſum mediat luna, lunæ verò accidit, cum tranſit per umbram ſolis, interpoſita terra inter ſolem, & lunam.

3 Iſtæ duæ Ecclipſes ſolis, & lunæ conveniunt in eo, quòd cauſantur per interpoſitionem corporis, dum luna, & ſol ſunt in capite, vel cauda Draconis, vel propè. Differunt verò in eo, quòd eccli-

ecclipſis lunæ talis apparet apud omnes eodem tempore, cum dicat privationem luminis in ipſa luna, & ſic reſpectu omnium videntium eam in toto orbe; ecclipſis verò Solis non eſt abſolutè privatio luminis, ſed tantùm reſpectu eorum, inter quos & ſolem luna Intercipitur, ſol enim retinet tunc ſuum lumen, quod refundit in lunam à parte ſuperiori, impedientem, ne à ſole illuminentur videntes ecclipſarum ſolem. Vide Maſtrium Meldul. diſp. 2. de cœlo num. 167. ad 170. ubi dicit ecclipſim ſolarem in paſſione Domini fuiſſe miraculoſam, quia in univerſa terra viſa fuit, & in plenilunio, quod nunquam naturaliter accidere poteſt; cum in plenilunio luna, & ſol ex diametro opponantur. De hac mirabili ecclipſi ſolis dixi latè præc. Med. de miraculis in terra, quæ tota obſcurata fuit in meridie, ſub num. 12. & 13.

Tria miracula invenio facta in ſole: duo in veteri teſtamento, unum per Joſve, alterum ex infirmitate Ezecchiæ, tertium in novo in paſſione, & morte Chriſti Domini.

Dicitur ergo Joſve 10. 12. *Tunc*
4 *locutus eſt Joſve Domino*, dum ſcilicèt præliabatur pro Gabaonitis contrà reges Amorrhæorum, *in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu Iſrael, dixitq; coram eis: ſol contrà Gabaon ne movearis, & luna contrà vallem Ajalon. Steteruntq; ſol, & luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt in libro Juſtorum? Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antè, nec poſteà tàm longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Liber autem Juſtorum eſt Eccleſiaſtici, ubi cap. 46. n. 5. dicitur: *An non in iracundia ejus impeditus eſt ſol, & una dies facta eſt quaſi duo?* Dominus iratus contrà quinque Reges, Jeruſalem ſcilicet, Hebron, Jerimath, Lachis, & Eglon, Joſve 10. 24. firmavit ſolem, ut Joſve de die poſſet interimere eos inimicos, & perſecutores populi Iſrael. De hoc miraculo egi Medit. 2. num. 43. reſpondendo argumento aſſerentium Chriſtum, & ſanctos feciſſe miracula potentia phyſica, non morali, maximè quando imperant, ut fecit Joſve, qui imperavit ſoli, ut ſuum curſum ſiſteret, & ulteriùs non procederet; dixi hoc imperium in Chriſto, & Joſve, non fuiſſe phyſicum, & principale, ſed inſtrumentarium, & morale, quia Chriſtus, & Joſve fuerunt inſtrumenta divinitatis in faciendis miraculis.

Stationem ſolis, & lunæ per divinam viſionem expreſſam à Joſve, eſſe miraculum grande, & maximum, nemo ambigit catholicus; eſt enim id arduum, & inſolitum, cum ſemel accident, & contra naturam ipſorum, qui continuò, & perennitèr moventur, ut conſtat in oculis omnium. Vide D Aug. tom. 3 lib. 2. de Mirabilib. ſacræ Scripturæ cap. 4. Toſtatum rem fusè tractantem.

Super hoc miraculo nonnulla dubia occurrunt. *Primum*, quo anno, die, & menſe acciderit? *Secundum*, cur ſteterit etiam luna, cum Joſue egeret tantùm lumine Solis ad perſequẽdum inimicos? *Tertium*, Quot horis ſteterint firmitèr Sol, & luna? *Quartum*, an totum Cœlum ſteterit

cum

dum Sole, & luna, an ſolùm iſti, aliis orbibus ſuum motum continuantibus? *Quintum*, an poſt illas duodecim horas, quibus quieverant, proſecuti ſint ſuum curſum ab illo extremo puncto quietis, an verò quaſi per ſaltum celerrimo curſu pervenerint ad illum locum, ad quem perveniſſent, ſi non ſtetiſſent? *Sextum*, in quo ſitu Cæli erant Sol, & luna, quandò cæperunt ſtare? *Septimum*, an his planetis quieſcentibus facta fuerit aliqua alteratio in ſublunaribus? *Octavum*, an quieſcentibus illis ſpatio duodecim horarùm, fuerit tunc tempus? *Nonum*, quid ſit Dominum obedire voci hominis in hoc miraculo?

5 Primò reſpondetur, ſtationem Solis, & lunæ accidiſſe in medio menſis Junii, ut dicit hìc Toſtatus q. 28. in Joſve, anno mundi 2529. apud Monopanthon lib. 2. centur. 26.

6 Secundò, ſtetit etiam luna, ne quid ordinis in ciclorum rationibus turbaretur, ut docet D. Aug. tom. 3 lib 2. de mirabil cap. 4 lit. K. Dicas, lunam ſtetiſſe, ne ſuo motu ſupponeretur Soli, & in eo cauſaret ecclipſim, & obſcurationem terræ.

7 Tertiò, Sol, & luna quieverunt ſpatio duodecim horarum; ex eodem Monopanth. lib. 4. tract. 9. num. 2. & 4. menſis autem Junii eſt horarum quindecim circà diurnarum, & cum ille dies aliis multùm longior, quia una dies fuit quaſi duo, neceſsè eſt, quòd fuerit horarũ ferè 27. quia duo dies menſis Junii componuntur ex 30. horis diurnis, poſito, quòd ille dies declinaret verſus occidentẽ.

8 Quartò, totùm cœlum ſtetit, ne perturbarentur orbes in ſuis motibus, licèt enim Deus ſubſequentèr potuiſſet reducere omnium planetarum, & orbium ad motum uniformitèr regularem, ſicut antè, in hoc tamen neceſſarium aliud miraculum; ne ergò miracula multiplicarentur ſinè neceſſitate, totum cœlum quieſcebat, ut ſubſequentèr per ſolam miraculoſam reductionem poſſet proſequi ſuum ordinarium motum, ac ſi non ſtetiſſet. Toſtatus q. 22. & Monopanth. nu. 4.

9 Quintò, in ictu oculi miraculoſo Sol, & luna cum cæteris pervenerunt poſt illas duodecim horas ad illum locum, ad quem regularitèr perveniſſent, ac ſi nunquàm ſtetiſſent, quod maximè verum eſt, reſpectu eorum, qui docent ſolos lunam, & Solem ſtetiſſe, alios verò planetas proſecutos fuiſſe ſuos motus ſinè intermiſſione; probatur etiam reſpectu ad priorem ſententiam ſub dubio quarto, id factum eſſe, ut motus regularitèr eodem modo ſequeretur ſecundùm eundem ſitum, & diſpoſitionem ſibi à natura inditam.

10 Sextò, Sol tunc erat propè occaſum; nam ſi fuiſſet initio orientis, non eguiſſet Solis ſtatione, ut habuit propè occidentem, & licèt dicatur in textu, quod erat in medio cœli, tamen nomen medii non accipitur mathematicè, ſed ſecundùm latitudinem à meridie ad occaſum; nam tranſactum erat medium diei vergens ad occaſum. Luna verò, dicunt præfati, erat apparens, & ſurgens ex parte orientis, alii putant, lunam tunc fuiſſe ex parte occidentis, quæ & ipſa ſtetit, ne ſuo motu proprio eclipſaret Solem.

11 Septimò, nulla facta fuit alteratio

ratio

ratio in ſublunaribus, propter illud modicum tempus duodecim horarum, ut docet Toſtatus q. 37. Monopanth. 6. dictæ Cent. 9. lib. 4.

12 Octavò, ſtante ea ſtatione adhuc tempus menſurabatur, dum dicitur, quòd Sol ſtetit duodecim horas; neque enim eſt ſimplicitèr verum, quòd tempus habeat pro ſubjecto motum cœleſtem, quia cœlum cœpit moveri quarto die, & tamen antè tempus numerabatur. Confirmatur, quia ille dies habitus fuit quaſi pro duobus, ſed dies menſurantur tempore; ergò tunc erat tempus ſecundùm ſuam menſuram.

13 Nonò reſpondetur, Dominum obedire voci hominis, nihil aliud denotat, quàm Deum operari miracula ad eorum deprecationem, reſpiciendo ſervorum ſuorum merita. Ut dixi etiam Meditat. 2. num. 43.

14 Secundum miraculũ ex infirmitate Ezechiæ Regis Juda ſic accidit. Ezechias infirmus erat ad mortem, admonitus ab Iſaja, cæpit flere, & deprecari Dominum, qui ad ejus orationem reſpiciendo juſſit eidem prophetæ, qui nondùm receſſerat ab atrio domus illius, ut eidem ſic loqueretur: *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce ſanavi te, die tertio aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos.* Iſajas autem functus eſt officio medici, nam ulcus ejus ſanavit poſitione ficuum ſuper ulcus, ut dicitur ibidem: *Afferte maſſam ficorum, quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper ulcus ejus, curatus eſt.* Antequàm autem ſanaretur, petierat ab Iſaja ſignum veritatis eorum, quæ dixerat ei ex parte Domini, & ſequitur textus. *Hoc erit ſignum à Domino, quòd facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt. Vis, ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias. Facile eſt, umbram creſcere decem lineis; nec hoc volo, ut fiat, ſed ut revertatur retrorſùm decem gradibus. Invocavit itaq; Iſajas Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achaz retrorſùm decem gradibus.* Ita narratur 4. Reg. cap.

15 20. Hic nulla fit mentio de ſole retrogrediente; tamen in libro Iſajæ cap. 38. num. 8. id expreſsè dicitur: *Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quam deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſùm decem lineis. Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.*

16 Divus Auguſtinus tom. 3. lib. 2. de Mirabil. cap. 28. ità diſcurrit de hoc miraculo: *Undè, ut Rex, quòd dicebatur indubitantèr crederet ſolis in ortum ab occaſu per decem horas curſum recidivo Deus tramite retorquet, quatenùs indè veluti mane iterùm feſtinare inciperet, qui diei totius, exceptis duabus horis ſpatium conſumaſſet. Per quas duas horas, ut multi æſtimant, cæli curſu de occaſu in ortum revertitur, ut dies integra rurſùm ſine interveniente nocte in ortu innovaretur, ut ſcilicèt dies duos etiam in hac vice in luce concluderet, quomodò, & ſub Jeſu filio tunc in illo prædicto bello moram feciſſe &c.* Expreſsè aſſerit, ſolẽ retroceſſiſſe per decem horas, & ſic duos dies extitiſſe ſinè interpoſitione noctis. Aliqui tamen

17 id negant, dicentes retroceſſionem contigiſſe tantùm in umbra, ut dicitur 4. Reg. 20. *Umbra revertatur*

veitatur retrorsùm decem gradibus, nulla facta Solis mentione. Nec refert, quòd in Iſaia dicatur: *Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos aſcenderat*, quia ibi accipitur cauſa pro effectu, nimirùm Sol pro ipſa umbra, quæ reverſa eſt decem lineis, & ità eſt, quia non Sol aſcenderat, ſed umbra; ideò hæc tantùm retroceſſit, & non Sol, dum Deus umbram movit, non Solem à ſuo curſu; ad certificandum enim Ezechiam de ejus longiori vita ſufficiebat illi videre motum retrogradum umbræ ſinè Solis regreſſu, non enim multiplicanda ſunt miracula ſinè neceſſitate. Et ità ſentit Poncius cum aliis, à quibus non recedit Monopanth. lib.4. tract. 14. num. 31. D. autem Auguſt. factum narrat, non ſecundùm ſuam opinionem, ſed illud refert in aliorum opinionem, ibi: (Ut multi æſtimant) non ſe declarando, quid ſentiat de motu retrogrado Solis.

18 Sed indè nonnullæ emergunt difficultates. *Prima*, an ſanatio Ezechiæ applicata ulceri maſſa ficorum fuerit miraculoſa? *Secunda*, an retroceſſio Solis, ſeù umbræ reverſio fuerit miraculoſa? *Tertia*, quomodò umbra in horologio illo Achaz patris Ezechiæ poterat aſcendere, & reverti per decem gradus, cum horologia ſolaria tot lineis non conſtent, cum ſolum diurno tempori deſerviant, dum Sol eſt ſuper terram? *Quarta*, cur umbra receſſit decem horas, & non quindecim juxtà annos, quos erat ſupervicturus? *Quinta*, quænam hora erat diei, quandò umbra reverſa eſt decem lineis? *Sexta*, quomodò ſalvatur Deum eſſe immutabilem?

19 Primæ reſpondetur, ſanationem Ezechiæ fuiſſe miraculoſam, & non virtute illorum ficorum vulneri applicatorum, ratio hujus eſt; quia illa infirmitas erat ad mortem, ut dicitur in textu, contrà quam nulla medicina reperitur, juxtà illud: *Contrà ictum mortis, non eſt medicamen in hortis*. Ergò à ſolo Deo recepit ſanitatem, ut dicitur in textu, ibi: *Et ecce ſanavi te*. Fuit ergò miraculoſa, dum habuit pro cauſa principali ipſum vitæ auctorem, & pro diſpoſitiva ipſum Iſaiam applicatione ficorum, ſinè quo non fuiſſet obtenta ſanitas.

20 Secundæ, reverſio Solis, ſeù umbræ ſinè dubio fuit miraculoſa, quia neutrum propriis viribus natum eſt retrocedere; ergò is motus uti excedens vires illorum fuit mirabilis, inſolitus, & rarus; ergò miraculoſus. D. Auguſt. cit. lib. 2. de Mirabil. cap. 28. videtur ſentire oppoſitum his verbis: *Undè in hac reverſione convenit, Solem non mutaſſe ſed ſuo creatori in omnibus naturalitèr præcepto obedire; ſicut enim lucere, & calere naturæ ſuæ inſitum Sol poſſidet, ità quicquid præciperet dominica juſſio, ſeù currere, ſeù ſtare, ſeù recurrere naturalitèr habet*. Sed non eſt ità, nam illud verbum *naturalitèr* refertur ad obedientialem potentiam paſſivam, quam habet Sol in ordine ad Deum; quia cum tali natura à Deo conditus fuit, ut ſibi obediret non ſolùm ſecundùm operationem non excedentem vires ſuas, nempè ſe movendo ab ortu ad occaſum, verum etiam ejus vires excedentem, ut quandò retrograditur, cum tunc talis motus dicatur illi naturalis, quatenùs conformatur voluntati divinæ,

divinæ, cui non poteſt reſiſtere, quod non tollit rationem miraculi, cum hæc naturalis obedientia ſtet cum exceſſu virium ipſius naturæ, ex quo habetur ratio miraculi.

21 Tertiæ umbra aſcendiſſet, ſeù creviſſet decem lineis per earum additionem, quod tamen nolvit Ezechias, quia erat facilis talis accretio; undè umbra retroceſſit per eaſdem lineas, per quas jam aſcenderat, demonſtrando, tunc horam eſſe decimam diei verſùs occidentem, quia appropinquabat morti per alias duas horas, undè dici poteſt, quòd tunc erat tempus æquinoctii, nam D. Aug. ait, Solem retroceſſiſſe per decem horas, exceptis duabus, ad quas non acceſſit umbra, ergò tunc erat æquinoctium. Et ex his patet ſolutio rationis dubitandi, verum eſſe horologia ſolaria in muris non conſtare viginti lineis, & ſignis indicantibus viginti horas, quia nullus eſt dies tot horis conſtans, ac proindè nec lineis tot neceſſe eſt conſtare horologium, itaque progreſſus umbræ per decem lineas fuiſſet per additionem earum; regreſſus verò umbræ retroceſſit per lineas jam extantes, ſuper quas progreſſa jam fuerat naturali inceſſu ipſa umbra.

22 Quartæ ea eſt ratio, quia cum tunc eſſet æquinoctium umbra non poterat reverti per tot horas, cum Sol ſuper terram non illuminaret niſi per duodecim horas; retroceſſit ergò ſolùm per decem lineas; imò & per minus reverti potuiſſet umbra, quia ſola reverſio indifferens planè certificabat Ezechiam de promiſſione ſibi facta.

23 Quintæ, quandò umbra cæpit retrocedere, erat hora veſperarum, quod probatur ex dicto D. Aug. ut dixi ſupra, dicentis umbram retroceſſiſſe ad horam decimam, exceptis aliis duabus, quæ cum illis complent æquinoctium horarum diei.

24 Sextæ, dixit Deus *morieris*, & poſteà ſubjunxit oppoſitum, *non morieris*, quia vitæ Ezechiæ adjunxit alios quindecim annos, ergò Deus mutatur. Nequaquàm, ea enim mutatio eſt reſpectu cauſarum ſecundarum, quarum diſpoſitio ordinabat corpus Ezechiæ ad mortem, D. Thomas 2. 2. q. 171. art. 6. ad primum, non reſpectu Dei, qui ab æterno præſcivit utrumque, & Ezechiam moriturum, quia ſic erat diſpoſitio cauſarum ſecundarum, & non moriturum, quia diſpoſitionem earum cauſarum impedivit.

25 Tertium in Sole miraculum contigit in morte Chriſti, nam Sol obſcuratus eſt, Lucæ 23. 44. *Erat autem ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam, & obſcuratus eſt Sol.* De tenebratione terræ in morte Chriſti, Matth. 27. 45. & Marci 15. 33. Dixi Medit. 5. num. 12. ad 16. Quoniam autem textus clarè loquitur, quòd tenebræ factæ ſunt antè mortem Chriſti ſuper univerſam terram, quod præſtare non poteſt eccliplis lunaris, ne Sol illuminet totam terram, ut notum eſt; ideò videtur congruentius reſpondere, Solem in ſeipſo fuiſſe divina omnipotentia obſcuratum ſecundùm ſe totum, & non per interpoſitionem lunæ inter Solem, & homines, & ſic fuiſſe majus miraculum, quàm per interpoſitionem

lunæ, in qua miraculum ſpectatur in repentino motu, quo fuit ſuppoſita Soli tum temporis, cum eſſet in oriente, tum ſecundùm ejus naturalem curſum; Deus ergò, qui omnia poteſt, potuit obſcurare Solem ſinè luna, & ſic unum facere miraculum, & non plura, quæ non erant neceſſaria. Vide Alphonſum Pandulphum in diſput. de fine mundi, in diſp. Aſtronomica q. 11. fol. 198.

Prædictis addo miraculum Solis retrocedentis anno 1450. dum F. Gripho Ordinis S Franciſci de Obſervantia prædicabat Maronitis in Monte Libano; nam in comprobationem Evangelii, quod illos docebat publicè, fecit Solem ad occaſum tendentem ab omnibus illum audientibus conſpicere in oriente, radiis ejus ingredientibus per feneſtram capitis Eccleſiæ reſpicientis ad orientem, qui paulò antè illuminabat oppoſitam feneſtram occidentem verſùs ad frontem ejuſdem Eccleſiæ. Ità legitur apud Vadingum tom 6. ad annum 1475. nu. xjx. qùi ſequenti numero aſſerit Solem non regredaſſe, nec retroceſſiſſe, ſed id accidiſſe ex meteorologicis impreſſionibus, nimirùm, umbram, ſeù lucem mutari, & circunferri, atque nubium in inferiore loco exiſtentium denſitate ad occidentem radios impedire, aliorumque excelſiorum ad orientem oppoſitione eoſdem reflectere, aut ſplendorem per feneſtram orientis repercutiendo immittere, lucentemque globum in conglomerata nube Solis inſtar objicere. Stationem verò Solis ex Joſve, & repedationem ejuſdem ex Ezechia dicit fuiſſe veras, & reales Solis immutationes. Et hoc idem dicendum eſt de retroceſſione Solis ex Griphone; nam aliter ſi fuiſſent tantùm apparentes illi radii, Maronitæ decepti fuiſſent ex verbis ipſius Concionantis, qui in confirmationem veritatis Evangelicæ doctrinæ fecit illos videre non ſolùm reverſionem luminis de occidente in orientem, ſed Solem ipſum tale lumen reverſum producentem, & comitantem ad orientem ex occaſu, ut illi firmarentur in fide per hujuſmodi ſignum verum, & reale de regreſſu Solis ab occidente in orientem in inſtanti facta hujuſmodi locali mutatione, quæ ſinè dubio fuit miraculoſa Deo obediente voci hujus religioſi ob ejus merita, & propter beneficium illorum hominum ad fidem converſorum. Hunc Dei ſervum Martyrologium Franciſcanum inter Beatos Ordinis S. Franciſci connumerat ſequenti encomio 18. Julii. *Apud montem Libanum in Phœnicia Beati Griphonis Epiſcopi, eruditione, humilitate, ac paupertate clariſſimi, qui ſalutis animarum maximè ſitibundus hæreticorum, & Schiſmaticorum, præcipuè verò Græcorum, & Maronitarum copioſam multitudinem ad fidem catholicam reduxit, quibus à Calixto III. Romano Pontifice Patriarcha datus mira vitæ ſanctitate eluxit.*

27 Franciſcus Longus à Coriolano Capucinus in ſuo Breviario Cronologico refert tres Soles apparviſſe ter; prima vice anno Domini c. 753. Cordubæ fol. 224. Secunda vice anno 1527. fol. 395. tertia vice anno 1622. fol. 448. menſe Februarii in meridie, duos ſcilicèt collaterales, qui erant parvi tamquàm oculi conſpiciebantur.

Diffi-

Difficultas eſt, an ſint verò tres Soles, an verò unus verus omnibus notus, alii verò ſint apparentes tantùm, & an ſint miraculoſi?

28 Communis eſt ſententia unicum eſſe Solem verum, ut omnibus patet, cæteri verò à lateribus apparentes ſunt, non quidem miraculosè, ſed naturalitèr effecti ab ipſo Sole vero ſuos radios immittente in nubem perſpicuam verſus Solem, ex alia parte opacam.

29 Contingit autem pluralitas Solis hoc modo. Nam neceſsè eſt, quòd nubes priùs exiſtat in parte Auſtri, vel Aquilonis in ſitu, & convenienti diſtansia, quæ ſit rorida, & perſpicua verſus Solem, & ex alia parte opaca, ut imaginem Solis in parte anteriori receptam reflectere poſſit ad oculos noſtros. Si unica erit nubes eo modo diſpoſita, unica tantùm nobis apparebit imago Solis, ſicut videtur in aqua clara, & limpida. Quòd ſi duæ ſint nubes in debitis locis ſitæ, & convenientèr diſpoſitæ, ut ſuprà, tunc Sol verus in utranque nubem ſuos flectendo radios in utraque ſuam imaginem imprimat æqualitèr propter æqualem irradiationem. Quòd ſi una imago alia ſit ſplendidior, & altera minùs clarior, tunc ſplendidior reflexione radiorum in nube exiſtentium imprimit imaginem Solis in aliam nubem, in qua minùs reſplendet. Solent autem hi Soles videri Sole exoriente, vel occidente. Vide Conymbr. tract. 4. cap. 5. Averſam, & alios citatos à Meldul. diſput. 4. de cœlo num. 93. Et ex his patet, pluralitatem Solis non eſſe miraculoſam, ſed procedere ab impreſſionibus aeris; neque enim Deus res facit apparentes, ſed veras.

30 Iris impreſſio aerea à nonnullis ſacræ Scripturæ interpretibus cenſetur opus miraculoſum, quod colligunt ex illo Geneſ. 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumq; obduxero Cœlum nubibus apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat, & non erunt ultrà aquæ diluvii ad delendam univerſam carnem.* Nam ad alium finem non videtur inventum illud ſignum, niſi ad confirmandum Dei pactum, quòd non amplius mittet diluvium aquarum, undè apparet Sol poſt imbrem, & pluviam, & Deus ipſe appellat ſuum arcum, ergò eſt opus ſolius Dei, & non naturæ, & ità tenent nonnulli, quos citat ſuppreſſis nominibus Meldulenſ. diſp. 4. Meteorol. num. 8.

31 Nihilominùs dicendum eſt, Iridem eſſe opus naturæ apparentem in aere ex vario aſpectu, & influxu lucis, & radiorum Solis; undè ab Ariſt. 3. Meteorol. definitur, quòd ſit arcus diſcolor apparens ex receptione, & reflexione luminis ſolaris in nube rorida. Quam definitionem explicant Scotus lib. 3. Meteor. qu. 8. & 9. Meldul. diſp. cit. num. 83. & 84. Non eſt immorandum. Nec adducta probant eſſe opus ſupernaturale, licèt ſit admirabile, factum tamen à natura per illuminationem reflexam Solis in nube rorida. Dicitur arcus fœderis, &

Dei opus, non quia ſit miraculum, ſed quia Deus illum conſtituit ſignum fœderis inter ſe, & homines, ne deinceps diluvio aquarum ſubmergerentur; à Deo igitùr eſt ſecundùm ſubſtantiam ſuam, & entitatem, ut auctore naturæ, cum qua operatur ſimul cum cauſis ſecundis, in quantùm verò habet rationem ſigni ex Dei voluntate, & imperio eſt quid miraculoſum, & ſolius Dei.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO VII.

De Miraculis ex ſanitate.

1 *Sanatio miraculoſa ſupponit præcedentem infirmitatem.*
2 *Infirmitas, & Sanitas quid.*
3 *Gratia ſanitatum poteſtas ſanandi à morbis.*
4 *Sex conditiones requiruntur, ut infirmus miraculosè ſanatus dicatur.*
5 *Prima, quòd conſtet de morbo.*
6 *Centurionis puer, & Cæcus à natiuitate ſanati.*
7 *Secunda, ut infirmitas ſit diuturnior.*
8 *Diuturnitas temporis relinquitur arbitrio judicis.*
9 *Temporis diuturnitas dicitur etiam unius, & alterius diei.*
10 *Tertia, ut remedia fuerint adhibita, ſed quæ non profuerint.*
11 *Mulier patiens fluxum ſanguinis à Chriſto liberata.*
12 *Media debent eſſe honeſta, non ſuperſtitioſa.*
13 *Quarta, quòd ſanitas integra, & in inſtanti aquiratur.*
14 *In inſtanti probatur facta ſanitas miraculoſa.*
15 *Quinta, ut ſanatus faciet aliquod opus.*
16 *Sanitas miraculoſa ſupponit invocationem Sanctorum.*
17 *Sancti titulus, & imago exprimenda in actis.*
18 *Miraculum ſanitatis accidit etiam ſinè invocatione ſancti.*
19 *Ut accidit claudo ſanato à S. Petro.*
20 *Sanatur quis quandoque nolens.*
21 *Ut accidit duobus ex meritis S. Martini.*
22 *Medico, & Chirurgo credendum in his.*
23 *Non eſt neceſſè, quòd mediet tempus inter medicinam, & ſanitatem.*
24 *Pallor, Cicatrix, & debilitas remanentia non tollunt miraculum.*
25 *Naaman lepra liberatus.*
26 *Cur leproſi dicantur mundari?*
27 *Invocato ſancto non eſt neceſſè ſtatim ſequi ſanitatem.*
28 *Cauſæ ſecundæ excludendæ ſunt.*
29 *Miraculum evenit aliquando cum dolore Sanati.*
30 *Remedium non tollit rationem miraculi.*
31 Poſteà *ideſt poſt unum, vel alterum diem.*
32 *Infirmitas reverſa cenſetur eadem.*
33 *In dubio gratia eſt, non miraculum ſanatio.*
34 *Epilepſia, ſeù morbus caducus quod ſit.*
35 *Epilepticus eſt irregularis.*
36 *Vocatur morbus caducus, comitialis, & Herculeus.*
37 *Non cadens per annum videtur miraculoſè ſanatus.*
38 *Paraliſia quid ſit.*
39 *Miraculoſa ejus ſanatio.*
40 *Hydropiſia quid?*
41 *De miraculoſa ejus ſanatione.*
42 *Lepra quid ſit?*
43 *Quomodò miraculosè ſanatur leproſus.*

44 *Can-*

44 *Cancer*, *Fiſtula*, *& Ulcus quid ſint?*

45 *Sanantur miraculosè.*

46 *Ruptura*, *ſeù Hernia quid ſit?*

47 *Quomodò miraculosè ſanetur?*

48 *Fluxus ſanguinis ſanatio miraculoſa.*

49 *Febris quid ſit?*

50 *Sanatio febris quotidianæ miraculoſa*, *non tertianæ*, *nec quartanæ.*

51 *Socrus Simonis ſanata à febri.*

52 *Sanatio à dolore capitis*, *ſeù dentium non videtur miraculoſa.*

53 *Membra arida*, *&c. ſanantur miraculosè.*

54 *Manus arida à Chriſto vivificata.*

MEDITATIO VII.

1 Miraculoſa Sanatio ſupponit infirmitatem antecedentem in ſanato; nemo enim recuperat ſanitatem, niſi qui anteà erat infirmus. Dixi *miraculoſa*, quia non omnis ſanitas ſupponit infirmitatem, cum homines ferè omnes naſcantur ſani, dum non moriuntur in ipſo partu, & multi inveniuntur tàm boni temperamenti, qui ignorant quid ſit infirmitas. Quoniam autem infirmitas, & ſanitas acquiri poteſt tàm naturalitèr applicatione remediorum, quàm etiam miraculosè, ideò pro eorum intelligentia præmittendum eſt quid ſit infirmitas, quidque ſanitas.

2 Infirmitas, ſeù morbus eſt mala corporis affectio, qua deterioratur, & impeditur ab uſu ſuarum actionum; experientia enim patet, ægrotantes debilitari ità quòd non poſſunt æque benè operari, ſicut faciebant antè, conſequentèr morbus diſponit ad corruptionem, & mortem. Cauſatur autem vel ex intemperie primarum qualitatum, quarum una agit in alteram ad debilitationem, & corruptionem; calor enim eſt principium intrinſecum in animali illud deducens ad corruptionem, dum ſua naturali actione agit in humidum radicale, illud diſſipando. Vel ex immoderatione partium; vel etiam ex ſolutione unitatis, & quandoque mors contigere poteſt per ſolam caloris evaporationem in ſenectute, & abſque morbo nullum dolorem afferens; undè dicitur, quòd ſenectus ipſa morbus eſt. Sanitas verò eſt bona affectio, & valetudo, qua ſtatus corporis omnes ſuas actiones benè obire poteſt, cum animal eſt perfectè ſanatum. Sed in his immorandum non eſt, cum id non pertineat ad noſtrum inſtitutum.

3 Paulus Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. inter gratias gratis datas hominibus, ad utilitatem ſcilicèt aliorum enumerat Gratiam ſanitatum, & operationem virtutum, quæ dicunt ſpiritualem poteſtatem faciendi miracula, per primum homini recuperatur ſanitas amiſſa, per ſecundum fiunt miracula portentoſa, & prodigioſa, ut miracula facta per Moyſen in Ægypto contrà Pharaonem, excœcatio Sauli, mors aliquorum repentina à Deo, ſudor ex ſtatua emanans &c. De gratia, & miraculis ſanitatum modò agendum eſt. Ut autem debito ordine procedamus.

Quærendum eſt primò, quot condi-

Digitized by Google

conditiones requirantur, ut ſanatio dicatur miraculoſa.

4 ℞. Sex e numero conditiones. *Prima*, quod in proceſſu conſtet de exiſtentia infirmitatis. *Secunda*, quod ea fuerit diuturna. *Tertia*, quod ſint adhibita remedia, quæ infirmum non reſtituerint ad ſanitatem. *Quarta*, quod perfecta ſanitas in inſtanti ſit recuperata. *Quinta*, quod ſanus effectus operetur aliquid, quod in infirmitate facere non poterat, obſtante morbo. *Sexta* demum, quod conſtet ſanitatem eſſe obtentam à Deo, invocatione alicujus Sancti, vel ipſius Dei. Singulæ conditiones ſunt explicandæ.

5 In primis exiſtentia infirmitatis probanda eſt, quæ ſe habet, ut dicunt Criminaliſtæ, ut corpus delicti, hoc eſt, rei, à qua inchoatur proceſſus, & ſicut proceſſus nullus eſt, quando non conſtat de corpore delicti, ex allegatis per clarum q. 4. ſuæ praxis,ità in caſu noſtro nullus erit proceſſus, quandò non conſtat, eum, qui prætenditur miraculoſè ſanatus, fuiſſe anteà infirmum, ſanatio ſiquidem ſupponit infirmitatem, neque enim quis dicitur recuperare ſanitatem, niſi illam prius perdiderit per ſupervenientem infirmitatem; unum enim eſt alterius deſtructivum; non eſt igitùr inquirendum de miracoloſa ſanitate, niſi priùs conſtet de corpore delicti infirmitatis, ſinè quo inquiri non poteſt neque in criminalibus, Farinac. q. 1. num. 6. & q. 2. per totam. Id autem benè probari poteſt per miracula ipſius Chriſti, cujus actiones in faciendis miraculis debent eſſe nobis inſtructiones, quibus cognoſcere valeamus, quænam ſanationes ſint miraculoſæ, vel non, nam Evangeliſtæ priùs referunt exiſtentiam infirmitatis, & poſteà ſanitatem recuperatam. Unicum produco exemplum de

6 puero Centurionis Matth. 8. 6. *Domine puer meus jacet in domo paraliticus, & malè torquetur*. Ecce corpus delicti probatum ſequitur miraculum, n. 13. *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora*. Nonnulli Judæorum aſſerebant, ſed falſo, cæcum illũ, quem illuminavit Chriſtus, non fuiſſe talem, undè illius parentes probant fuiſſe talem etiã à nativitate, Joan. 9. 20. *Reſponderunt eis parentes ejus, & dixerunt; ſcimus, quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt*. Probato igitùr corpore facti, quòd erat cæcus, ſequitur probatio miraculi, non enim illuminatur videns, ſed cæcus, de cujus cæcitate jam conſtitit.

7 Secunda conditio eſt, quod infirmitas ſit diuturna, neque enim dicendum eſt miraculum, ſi quis hodie febricitat, & cras eſt ſanus etiam invocato ſanctorum auxilio, morbus cenſetur lucis ex brevitate temporis, undè nondùm radicatus, facilè, & citò recedere poteſt de ſe, ex quo infertur, fuiſſe potiùs opus naturæ quàm miraculum. Non poteſt autem certo definiri ſpatium temporis, quo quis infirmitate detinetur, ut poſtmodùm adveniens ſanitas, judicari poſſit eventus miraculoſus, ſiquidem ſicut diverſæ ſunt infirmitates, ità temporis & cauſarum varietate modo producuntur, & in longum protrahuntur, modò celeriter reſoluentur etiam morbi ejuſdem generis, ſtante diverſita-

verſitate paſſorum magis, vel minus diſpoſitorum ad infirmitatem, & ſanitatem recipiendam. Si inſpiciamus miracula à Chriſto facta ex ſanitate infirmorum, conſtat infirmorum ſanitates fuiſſe diuturnas; nam languidus Joan. 5. 5. in piſcina erat annorum triginta octo, & ſua patientia meruit à Deo obtinere ſanitatem. Mulier ſanguinis fluxum, Matth. 9. 20. paſſa fuit per annos duodecim. Petrus autem Actor. 3. 33. ſanavit paraliticum octo annorum. Ex his apparet diuturnitas infirmitatis in eis, qui miraculosè ſanabantur; certa ergò eſt diuturnitas, incertum verò ejus ſpatium. Quò autem infirmitas eſt gravior, & diuturnior, eò miraculum eſt mirabilius, & certius; majus enim fuit miraculum languidi liberati, quàm ſanatio paralitici.

8 Sit igitùr in arbitrio judicis, & conſilio Theologorũ tempus diuturnum definire, habita conſideratione qualitatis morbi, an facilè ſit curabilis, an difficilis curationis; nam paralitici, hydropici, epileptici, & ſimiles habent diuturnitatem in ſuis morbis; undè illorum ſubita ſanatio eſt miraculoſa. Quælibet etiam infirmitas tempore mortis expulſa invocatione ſanctorum arguit miraculum; ad cujus probationem adducere poſſumus exemplum ſanitatis reſtitutæ filio Reguli à Chriſto Domino. Joan. 4. 47. ubi dicitur, quòd incipiebat mori; qui ergò laborat in extremis etiam ſpatio unius diei, ſubitò ſanatus dicitur ſanitatem recuperaſſe miraculosè, ſi factus fuit ſanus in inſtanti præmiſſa ſanctorum invocatione.

9 Quamvis tempus diuturnum dicatur ultrà annum biennium, quadriennium, decennale, &c. juxtà interpretes legum cum Barb. V. Diu, nam diuturnum venit à diu; attenditur enim diverſitas temporis diuturni à diverſitate negotiorum, & materiarum, de quibus agitur in legibus, & ſacris Canonibus; tamen in re præſenti infirmitas duorum, aut trium dierum, & quidem continua videtur dicẽda diuturna, quia diù durat, imò verbum *diù* neque unum importat diem, nam Act. 20. 9. *Diſputante diù Paulo* cap. 28. *Diù illis expectantibus*, neque unum diem integrum importat, ut patet legentibus ea, quæ ibi narrantur de S. Paulo.

10 Tertia conditio conſiſtit in remediis adhibitis ſine ullà utilitate. Remedia applicata ſi proſint, jam miraculum non eſt, cum effectus ſanitatis procedat naturaliter, concurrente Deo cum cauſis ſecundis. Neceſſè ergò eſt, quòd medicinæ adhibitæ, ſeù alia remedia nihil profuerint, ſed à Deo ſolo ſanitas producatur. Habes exemplum in muliere,

11 quæ ſanguinis fluxum patiebatur, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo illorum potuit ſanari, ut legitur Lucæ 8. 43. niſi à Chriſto, & quidem ſine ullis expenſis; nàm ad ſolum tactum fimbriæ ejus veſtimenti, ſtatim ceſſavit fluxus ſanguinis illius, ex quo exemplo conſtat, tunc effectum ſanitatis eſſe miraculoſum, quandò procedit ab alio medio, quàm naturali, ſeù artificiali remedio; nam tactus fimbriæ de ſe non habet virtutem ſanandi,

fuit

fuit tamen conditio, ſinè qua non obtinuiſſet ſanitatem.

Obſervandum eſt, quòd media, ad quæ ſequitur ſanitas à Deo, debere eſſe honeſta, non ſuperſtitioſa, in quibus Diabolus operatur mirabilia; & ideò miracula vera eſſe non poſſunt, quia Deus non approbat ſuperſtitioſas operationes. Servi autem Domini honeſtis utuntur mediis ab Eccleſia non reprobatis, ſed inſtitutis, ut ſunt aqua benedicta, ſignum Crucis, tactus reliquiarum, oſculum ulceris, plagæ, unctio cum oleo benedicto, ſeu lampadis &c. hoc modo Apoſtoli Marci 6. 13. ungebant ægrotos, & ſanabantur. S. Didacus Minorum de obſervantia oleo lampadis perungendo multos ſanabat ægrotos.

Quarta conditio duas continet particulas. Una eſt, quòd ſanitas perfectè, & integrè acquiratur; Altera, quòd id eveniat in inſtanti. Primum oſtenditur auctoritate Sacræ Scripturæ; nam Lucæ 13. 32. *Ecce ejicio Dæmonia, & ſanitates perficio hodiè, & cras.* Quare hodiè, & cras? quia Dei opera omnia ſunt perfecta, tàm ſecundo die, quàm primo, quo fiunt, ad differentiam operum Dæmonis, qui per unum ſanat infirmum, & ſequenti die recidit in eundem morbum, quia ſanavit ſolum apparenter. Dicitur Act. 3. 16. quòd Petrus integram ſanitatem dedit illi claudo. Pariter languidus ille annorum triginta octo perfectè ſanatus fuit, tulit enim lectum ſuum, & domum portavit propriis humeris. Socrus Simonis è lecto ſurrexit ſana, & ſtatim cæpit illis miniſtrare. Ratio eſt, quia omnia miracula ſunt opera Dei; ergò neceſſè eſt quòd ſint perfecta, quia omnia ejus opera ex omni parte ſunt perfecta, Deuter. 32. 3. Et omne donum deſurſùm deſcendens perfectum eſt, quia deſcendit à Patre luminum. Jacobi 1. numer. 12. Miracula autem à Deo Patre luminum deſcendunt, ergò perfecta ſunt. Ità docent omnes cum S. Chryſoſt. apud S. Thom. par. 3. qu. 44. art. 3. S. Hieron. inquit. Sanitas, quæ confertur à Domino, tota ſimul redit, ſpecialitèr autem in illo cœco contrarium fuit, propter incredulitatem ipſius. Deus ergò neminem imperfectè ſanat, quia in ſuis operibus nulla invenitur imperfectio.

Alterum de curatione miraculoſa in inſtanti habetur paſſim in ſacra Scriptura, de Zacharia ex muto illicò loquens, Lucæ 1. 64. de lepra, quæ ſtatim diſceſſit à leproſo, Marci 1. 42. Surdi aures ſtatim apertè ſunt, Marci 7. 35. Infirmus ſtatim curatus fuit, Joan. 5. 9. Lazarus ſtatim prodiit, qui mortuus fuerat, Joan. 11. 44. Petro exeunti de carcere cum Angelo ſtatim omnia oſtia aperta fuerunt, Act. 16. 16. Ratio eſt, quia cum opera Dei, inter quæ miracula connumerantur, ſint perfecta, ut ſuprà dictum fuit, neceſſè eſt, quòd fiant in inſtanti, ut tota eorum perfectio, & integritas ſimul, & non ſucceſſivè appareat. Et in hoc differunt operationes Dei, ab operationibus hominis, qui non niſi ſucceſſivè operatur paulatim diſponendo materiam ad receptionem formæ; Deus verò, qui non alligatus naturæ legibus, quarum ipſe eſt auctor, omnia ſimul, &

in inſtanti operatur. Vide Meditatio: 1. q. 4.

Quòd ſi aliquandò opus miraculoſum integrè non exit in inſtanti, ſed ſucceſſivè contingit, hoc non provenit ex parte Dei operantis, ſed ex parte creaturæ, circà quam fit operatio; quæ cum non ſit benè diſpoſita ad recipiendam in inſtanti integram ſanitatem, ut accidit illi cœco, ut ſuprà dixi, Deus ſic ſucceſſivè operando accommodat ſe diſpoſitioni ſubjecti, ſecundùm cujus fidem ſanitatem tribuere intendit.

Colligitur hinc, tunc ſanitatem non eſſe miraculosè acquiſitam, quandò infirmus paulatim, & ſucceſſivè diſponitur ad receptionem ſanitatis; tunc enim Deus, ut auctor naturæ concurrit cum cauſis ſecundis, cum quibus naturalitèr tantùm operatur, & nullum facit miraculum.

15 Quinta conditio eſt, ut ſanatus faciat aliquod opus, per quod probetur aquiſita ſanitas; cum enim hæc ſit affectio bona ſecundùm naturam intus conſiſtens in animali, neceſſe eſt, quòd exterius pateat per aliquem ſui effectum operationis; nam ut dixi initio hujus meditationis, ſicut infirmitas ità debilitat corpus, ut non poſſit uti ſuis actionibus, ita valetudo contraria morbo corroborat corpus ad exercendas ſuas operationes; ergò ſanatus debet exercere operationes, quas facere non poterat, dum erat infirmus, ut ea depulſa, appareat ſanus. Hinc fit, quòd Chriſtus ſanatis per ipſum præcipiebat, ut facerent aliquid, per quod oſtendebatur ſanitas miraculosè reſtituta; nam puellæ reſuſcitatæ, Lucæ 8. 54. juſſit manducare; alteri filio viduæ præcepit loqui; languido ſanato dixit, ut tolleret grabatum ſuum. Claudus à Petro ſanatus Act. 3. ſtabat, & ambulabat.

16 Sexta conditio eſt, quòd ſanitas miraculosè obtenta tunc dicitur, cum infirmus, invocatione Dei, ſeu ſanctorum, in inſtanti perfectam acquirit ſanitatem; ex hujuſmodi enim prævia invocatione ſanctorum cognoſcit ſanatio miraculoſa, ſinè qua talis non eſſet nec agnoſceretur. Hic eſt pius omnium fidelium uſus, ut in ſuis neceſſitatibus, & infirmitatibus recurrant ad Deum, & ſanctos illius, quorum interceſſione Deus hominibus multa confert beneficia, tum corporis, tum animæ. Id totum colligitur ex ſacris literis, Matth. 7. 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; Pulſate, & aperietur vobis*. cap. 21. 22. dicitur: *Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis*. Deus igitùr invitat nos ad petendum aliquid nobis utile, quod etiam in miraculis verificatur, quia infirmi Chriſtum invocabant, ut illis ſanitatem concederet, & exaudiebantur, ut legitur Matth. 9. 27. de duobus cæcis ad Chriſtum clamantibus: *Miſerere noſtri Filii David*. Homines Bethſaidæ, ut habetur Marci 8. 22. rogabant Chriſtum, ut cæcum illuminaret. Mulier Chananea, Matth. 15. 22. clamabat, & enixè Chriſtum deprecabatur, ut ſanaret filiam ſuam à Spiritu immundo vexatam. Martha rogabat Dominum, Joan. 11. 22. ut popoſceret à Deo reſurrectionem Lazari fratris ſui. Infirmi ergò, aut ejus parentes

rogant

Digitized by Google

rogant Deum, aut ejus ſanctos pro eorum ſanitate, ut ex his præviis orationibus, clamoribus, planctis, & deprecationibus ſecuta ſanitas cognoſcatur ut miraculoſa procedere à Deo.

17 In proceſſu autem conſtare debet de hujuſmodi invocationibus, & orationibus in terminis, ad quemnam ſanctorum directæ fuerint, & cujus Eccleſiæ ſit ſanctus, & hoc in favorem eorum, qui prætendunt miraculum factum fuiſſe ad utilitatem propriæ Eccleſiæ; & imago deſcribenda eſt in actis cum ſuis circunſtantiis: Nomen item Beatæ Mariæ Virginis cum ſua denominatione, an ſit de Roſario, de Carmine, de immaculata Conceptione; miracula enim deſumuntur ab hujuſmodi denominationibus.

Quæres 2. An miracula ſanitatis contingere poſſint ſine invocatione ſanctorum?

18 ℟. Affirmativè, in probationem hujus produco miraculum rectificati à Petro Act. 3. qui neminem invocaverat ad ſui ſalutem, ut colligitur illis verbis:
19 *Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Reſpice in nos, at ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula, & apprehenſa ejus manu dextra, allevavit eum, & prorsùs conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.* Ex contextu horum verborum colligitur, claudum nihil aliud ab Apoſtolo petiiſſe, niſi eleemoſinam. *Sperans ſe aliquid accepturum ab eis*, nullo modo ſanitatem, quam tamen illi contulit ſummus Pontifex.

Quæres 3. An contra propriam voluntatem infirmus ſanari poſſit miraculosè?

20 ℟. Affirmativè, quia Deus in ſuis operibus à nobis non dependet, ſed nos ab illo; ergò poteſt nolentem ſanare. Produco exemplum in confirmationem hujus reſponſionis, relatum à Sigiberto, & Petro de Natalib. in tranſlatione S. Martini: Erant eo tempore duo mendici ſibi victum oſtiatim quæritantes, quorum unus erat claudus, ſeu atractus, alter cæcus, audientes
21 fieri proceſſionem in honorem Sancti Martini cum ſuis ſacris Reliquiis, deliberarunt non tranſire per eam viam, per quam ſolemniter deferendæ erant ſancti Reliquiæ, ut hac ratione non liberarentur à ſuis infirmitatibus, dicentes inter ſe, magis expedire illis talem ducere vitam in mendicitate infirmis, quàm liberari à ſuis morbis, propter quos multas inveniebant eleemoſinas, nolentes tamen, aliter Deo diſponente propter merita D. Martini, incidunt in proceſſionem, & ſtatim ambo liberati ſunt, quamvis ægreferentes tàm grande beneficium ſanitatis à Deo collatum illis, meritis beati Martini; dicebant enim, heu nos miſeros, deficiet nobis deinceps victus, & veſtitus, dum laboribus aſſueti non ſumus.

Quæres 4. An Medicus, & Chirurgus ſuper incurabilitate mali ſint examinandi?

22 ℟. Affirmativè, quia eorum eſt officium judicare de infirmitate, & de vulneribus, & nullus alius ab illis poteſt melius ſcire qualitatem

litatem morborum,& illis credendum eſt; cuilibet enim experto in ſua arte credendum eſt, (Septima, ff. de ſtatu hom. quando igitur Medicus judicat morbum eſſe incurabilem remediis humanis, & nihilominus, infirmum eſſe ſanatum, is effectus tàm miraculoſus tribuendus eſt Deo, qui ægrotum ex meritis Sanctorum ſanavit. Confirmatur miraculo per S. Blaſium operato in eo, qui, deſperata à medicis ſanitate, ſpina faucibus tranſverſa inhærente, animam agebat; in quo caſu vides, quòd medici depoſuerunt, puerum non poſſe liberari ope humana, dum ejus ſanitas deſperabatur. Pari ratione ſalus S. Bonaventuræ, dum puer erat, judicio medicorum periclitabatur humanis remediis inefficacibus, quam ideò miraculosè ejus mater à Deo obtinuit; quod fuit initium ſuæ vocationis ad religionem Minorum, voto per matrem nuncupato pro illo, quòd ſi filium ſanum recuperaret, ipſum perpetuò devoveret S. Franciſco, cujus auxilium imploraverat. Patet id etiam in muliere, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, & ejus infirmitas erat incurabilis teſtimonio medicorum, quibus dederat omnem ſuam ſubſtantiam, & non potuerunt eam liberare. Demùm medici adhibentur in teſtificandis impedimentis matrimonii circa frigidos cap. Ex literis, cap. Fraternitatis, de frigid. ergò & in probandis miraculis ex ſanitate, cum non minori diligentia inveſtiganda ſit veritas in miraculis, quàm exiſtentia realis impedimenti in matrimonio.

Quæres 5. An aliquod temporis ſpatium intercedere debeat inter remedium applicatum infirmo, & ſanitatem recuperatam, ut cognoſcatur miraculum non eſſe effectum medicinæ?

23 ℞. Nullum ſpatium temporis neceſſariò intercedere debet inter ſumptionem medicinæ, & ſubſequens miraculum, quod tale eò evidentiùs, & clariùs cognoſcitur, quò magis immediatè ſequitur receptum remedium. Ratio eſt, quia miraculum ſanitatis cognoſcitur ex eo, quòd ſanitas in inſtanti, & ſubitò recuperatur; medicina autem non ſtatim ac recepta eſt, operatur ſanitatem, ſed ſucceſſivè repellendo malos humores, & diſponendo ſubjectum ad formam ſanitatis; ergò quando quis poſt receptam medicinam, vel aliud remedium applicatum, ſtatim ſanatur, ſignum eſt evidens, effectum ſanitatis non provenire à medicina, dum non poteſt in inſtanti operari, ſed tantùm ſucceſſivè, ſed aliunde, nempe à Deo, cujus proprium eſt operari in inſtanti.

Ex his infertur, eum, qui immediatè poſt receptam medicinam ſtatim ſanatur, ſanitatem miraculosè recuperaſſe, & magis id evidenter conſtare in eo, quàm in alio, qui hodie recepit remedium, & cras ſanatur; eſt enim aliqualis ratio tribuendi cauſam ſanitatis magis medicinæ, ex ſucceſſione operationis, quàm Deo, qui ſupernaturaliter ſucceſſivè non operatur, ſed in inſtanti. Nihilominus hæc ratio tollitur, quando conſtat intermedio tempore medicinam nihil operatam eſſe infirmo, qui ſequenti die acquiſivit ſubitò ſanitatē; id enim miraculo tribuendum eſt ex illa

iſtan-

inſtantanea ſanatione.

Quæres 6. An pallor, cicatrix, debilitas, & alii defectus ab infirmitate relicti poſt receptam ſanitatem tollant rationem miraculi.

24 ℞. Negativè, quia miraculum in eo conſiſtit, ut Dei ope ſpeciali ſanitas tota ſimul in inſtanti recuperetur; ſed ſic recuperari poteſt, remanentibus illis defectibus; ad perfectam enim ſanitatem ſufficit, quòd corpus reponatur in ſtatu tali, ut poſſit obire ſuas actiones, quas operari poterat, antequàm incideret in morbum; eas autem efficere poteſt, remanentibus illis ſignis; ergò hæc non tollunt rationem miraculi. Ita *Contelor. de Canonizat. Sanct. cap. 17. num. 16. ex Rota in Relat. S. Raymundi par. 2. art. 5 in* Relat. *S. Caroli par. 3. Verſ. Et licet, in Relat. B. Corſini par. 2. § 4. Verſ. quod tamen*, de imbecillitate, & laſſitudine. *In Relat. S. Tereſiæ*, de tumore, & duritie relictis in ſanato; de cicatrice remanente poſt vulnus, *in Relat. S. Raymundi, & B. Corſini*. Confirmantur prædicta, quia ſanitas naturaliter acquiritur, remanentibus adhuc illis ſignis, quæ non impediunt exercitium operationum corporis ſani; ergò & miraculosè obtineri poteſt, non obſtantibus illis ſignis, cum ipſam infirmitatem non conſtituant, ſed ad illam ſequuntur.

25 Dices, Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, ut legitur 4. Reg. cap 5 ob merita Eliſei Prophetæ à Deo mundatus fuit lepra, ita perfectiſſimè, ut nullum remanſerit ſignum hujus morbi, nam num. 14. dicitur: *Reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli; & mundatus eſt*. Ergò ad verum miraculum neceſſè eſt, quòd non ſolum tollatur infirmitas, ſed etiam illius ſigna.

℞. Quòd cum lepra ſit quoddam genus morbi galici obducens curem deformi cruſta, naſcens ex atrabili, & vehementi pruritu corpus inficit, mirum non eſt, carnem leproſi in cuti tantùm cruſtatam, & deformem miraculosè reſtitui, ut caro pueri videatur, quia ſanatio ejus conſiſtit in deſtructione ejus deformitatis, quæ exteriùs apparet; ideò hæc tollenda omninò eſt, & conſequentèr nullum illius veſtigium remanere debet, quia aliter non eſſet ablata lepra, nec leproſus ab ea mundatus. In aliis verò morbis ſigna ab illis diſtinguuntur; ideò in eis miraculum conſiſtit in deſtructione morbi per acquiſitionem perfectæ ſanitatis, remanentibus ſignis, quæ non ſunt de ratione infirmitatis. Reſtituta ergò fuit caro Naaman ſicut caro pueri, quia lepra conſiſtit in morbo exteriùs ſenſibilitèr

26 apparente; ergò neceſsè eſt, ut leproſus ita convaleſcat, ut nullum appareat ſignum, quæ eſt ipſamet lepra viſa. Collige hinc, ſolos leproſos, & non alios diverſis infirmitatibus vexatos, dici per actum mundationis ſanatos, quia ſoli leproſi illa exteriori mundatione ad inſtar ablutionis indigent. Alii verò potiùs interiori expurgatione ſanantur, quia morbus intus latet.

Quæres 7. An poſt invocationem Sancti, ſeù divini auxilii per infirmum, vel ejus parentes factam, debeat ſtatim ſequi ſanitas, ut dicatur miraculum?

℞. Ne-

℞. Negativè, ſed ſufficit, quòd ſequatur miraculoſa ſanitas, poſito quovis ſpatio temporis inter invocationem, & effectum; quia invocatio etiam inſtantèr facta ſæpius non cogit Deum ad faciendum beneficium, qui ab invocatione non pendet in faciendo miraculum Confirmatur, quia multi petunt beneficium ſanitatis, & illud non obtinent, niſi poſt longum tempus, ut patet in languido Piſcinæ, qui per triginta octo perſeveravit in petitione ſanitatis. Vide aliud miraculum de diuturnitate petitionis. Medit. 2. num. 36.

Quæres 8. An in probandis miraculis ex ſanitate excludendæ ſint omnes cauſæ ſecundæ?

27 ℞. Affirmativè, quia eum miracula non præſumantur, ſed probanda ſint eſſe à ſolo Deo ex meritis ſanctorum, conſequenter excludenda eſt omnis cauſa ſecunda, à qua poſſit eſſe effectus; nam ſi cauſa ſecunda locum habeat in ſanitate, jam ſanatio non eſt miraculoſa, ſed naturalis. Cauſa autem ſecunda eſt, vel remedium, ſeu medicina, vel vana obſervantia, & ſuperſtitioſa medicatio. Remedium autem cenſetur excluſum, quando ex gravi infirmitate ſtatim, & incontinenti tranſit ægrotans ad ſanitatem ex invocatione Dei, aut ejus ſanctorum, quia per inſtantaneam ſanationem excluditur operatio medicinæ, quæ non in inſtanti, ſed tantùm ſucceſſivè operatur. Ars diabolica cenſetur excluſa, quando infirmus nullum adhibuit medium vanum, & inutile ad procurandam ſanitatem, & qui ſunt de domo non probantur malæ vitæ, & ſuperſtitioſi.

Quæres 9. An miraculum ſanitatis aliquando contingat cum dolore, & cruciatu ejus, qui ſanatur?

28 ℞. Contingere poſſe, ut probatur de puero Marci 9. vexato à ſpiritu immundo ſurdo, & muto, qui, Domino jubente, multum afflixit obſeſſum, dum ab eo exivit, quem quaſi mortuum reliquit. In vita S. Franciſci quidam attractus in ſua liberatione paſſus eſt, quia eius oſſa, multis audientibus, inſonuerunt, velut cum ligna ſicca franguntur, ut refert. *Archidiac. in cap. Nec mirum 26. q. 5. num. 9. multis aliis relatis per Contelor. de Canonizat. cap. 17. num. 18.* Dolor ergò, ſivè alius motus licet naturalis interveniens non tollit rationem miraculi.

Quæres 10. An remedium aliquod adhibitum tollat rationem miraculi?

29 ℞. Negativè, quandò illud medium adhibitum reverà non eſt medicamentum proportionatum malo tollendo, nam tale medium remedium non eſt, ſed conditio prævia, ſinè qua non ſanat Deus. Et id patet in multis exemplis, nam Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ miraculosè ſanatus fuit à lepra, licèt Eliſeus illum miſerit ad lavandum ſepties in Jordane, ut legitur 4. Reg. 5. 14. Idem Eliſeus ibidem cap. 4. incubuit ſuper puerum jam mortuum, & ſic illum à mortuis reſuſcitavit. Et Chriſtus linivit oculos cœci ex ſputo, & hac ratione illi reſtituit viſum. Ità aliis citatis Contelot. Iſta ergò ſunt quædam præviæ diſpoſitiones, non remedia

dia ad ſanitatem ordinata, per quas cognoſcitur in miraculis eſſe cauſam moralem, & meritoriam miraculi ille ſervus Dei, qui talitèr operatur, ad cujus operationis poſitionem Deus facit miraculum. Et de his diſpoſitionibus, ſinè quibus miracula à Deo non fiunt, egi Medit. 2. num. 23. 34. & 64.

31 Quæres 11. An cenſendum ſit miraculum, de quo conſtat repentina ſanatio, ſi poſteà reincidat in eundem, vel alium morbum? *Poſteà* ideſt de proximò, poſt unum, aut alterum diem.

℟. Affirmativè, quia ſi tale jam judicatum eſt per Thologos, & peritos, ſubſequens morbus ejuſdem, vel alterius ſpeciei non tollit veritatem præcedentis miraculi, de quo jam conſtat. Et id confirmatur exemplo S. Petronillæ, de qua legitur in ejus ſecunda lectione 31. Maii. *Eam ſurgere fecit è lecto, & convivis miniſtrare, quæ paulò poſt in eundem morbum recidit.* Ità Molfes. conſ. 46. n. 58. cum Panvin. Caſtell. & aliis apud Contel. cap. 17. n. 22. ubi n. 23. refert in contrarium argumentum Bartoli in l. Maritus ff. Locati nu.
32 4. quòd in dubio infirmitas de proximò reverſa præſumitur ex prima cauſa procedere, adeò quòd medico non debetur ſalarium &c. Reſpondet ipſe Contelor. procedere objectionem, quandò ſanitas attenditur ſecundùm curſum naturæ, non in caſu ſupernaturali, in quo conſtat clarè de effectu, licèt cauſa ſit occulta, quod eſt proprium miraculorum ſecundùm Theologos cum D. Thoma part. 1. q. 105. art. 7.

Quæres 12. An in dubio ſanitatis recuperatæ ſit ne miraculum, an gratia, quid concludendum?

33 ℟. Eſſe ſolùm gratiam, quia in dubiis tutior pars eſt eligenda, tutius eſt autem aſſerere, effectum eſſe gratioſum, quàm miraculoſum, dum ex una parte conſtat, illum ſanitatis effectum totaliter non procedere à cauſa ſecunda, nec totaliter à prima, ſed aliqua ratione miſceri ex ambabus, habito reſpectu ad merita ſancti, cujus imploratum fuit auxilium; & id accidit, quando ægrotus non ſtatim ſanatur, ſed ſucceſſivè, & citiùs, quàm feciſſet, ſi ſanctus non fuiſſet invocatus pro infirmo.

34 Quæres 13. Quomodò cognoſcatur quis liberatus à malo caduco nuncupata epilepſia? Eſt autem morbus caducus mala affectio, qua totius corporis membra, & partes contrahuntur, ſuſpenſo cerebro, mente alienata patientis. Provenit autem ex humore malinconico, ſeu atra bili exuberante circà cerebrum; & antequàm hominem primo inficiat, è cerebro aliquid hujuſmodi humoris deſcendit, & linguam ita comprimit ut patiens aliquantiſper nequeat illam ſolvere, & poſt aliquot dies in membris incipit convulſio, & contractio modò ex una parte, modò ex alia. Id obſervatum fuit in ſacerdote annorum quinquaginta, qui primò cæpit cadere in principio Lunæ Julii, & pluries cecidit, ſeù ſe contraxit (erat enim in lecto) ſpatio ſex horarum ab una ad alteram convulſionem. De hoc morbo agitùr cap. Communi-

muniter 3. diſt. 33. & cap. 1. & 2. 7. q. 2. ubi, qui frequen-
35 tèr cadunt, ſuſpenduntur à miniſterio altaris, imò ſunt irregulares ad ordines, & dignitates, ex prædictis textibus, & aliis adductis à Sayro lib. 6. de cenſur. cap. 9. num. 11. Et in meo ordine interdicitur horum receptio ad habitum
36 religionis cap. 8. Regulæ. Vocant hunc morbum Caducum, quia facit hominem cadere. Comitialem appellant; quia ſuſpendebantur comitia, quando quis cum aliis congregatis cadebat. Herculeum dicunt, quia fertur eo primum laboraſſe Herculem. Epileſiam demùm nominant, quia convelit, & contrahit membra, & partes hominis cadentis.

37 ℞. Difficile eſt ſcire, an quis dicatur liberatus ab hoc malo, quia continuè non durat, ſed interpollatis temporibus venit, & recedit. Quare ſi quis invocato Sanctorum auxilio, per annum integrum non caderet, cum anteà ſæpiùs ſingulis annis cecidiſſet, dici poteſt miraculosè liberatus, quia tale temporis ſpatium videtur excedere curſum hujus morbi, ac proindè divina virtute ceſſaſſe.

Quæres 14. Quomodò quis dicatur liberatus miraculosè à
38 paraliſia, & apoplexia? Eſt autem paraliſis reſolutio nervorum in altera tantùm parte corporis. Apoplexia verò eſt reſolutio nervorum in omni parte corporis; vocatur etiam ſtupefactio nervorum totius corporis cum privatione ſenſus, & motus. Atque hæc ſinè dubio reddit perſonam ineptam ad quaſcunque operationes, ac proindè irregularem ad ordines, & dignitates, ſecundùm omnes Canoniſtas cum Sayro lib. 6. cap. 9. num. 11.

39 ℞. Cenſetur quis miraculosè liberatus, quandò ſanitatem poſt divinum auxilium invocatum perfectè recuperat, dum conſtat anteà fuiſſe inutilem ad humanas actiones, ità quòd conſtat, eum uti ſuis membris, & ſenſibus, quos anteà adhibere non poterat, abjecto omni timore, & ſtupore, ac ſi nunquàm tali morbo laboraſſet. Chriſtus tres paraliticos ſanavit, de quibus dixi Medit. 3. num. 34. Quorum miraculoſa ſanatio probata fuit, dum præcepit, illos aliquid facere, quod efficere non poterant, dum erant infirmi; nam tulerunt grabata ſua, & ambulaverunt domum ſuam.

Quæres 15. Quomodò conſtet, quem miraculosè liberatum
40 fuiſſe ab hydropiſia? Eſt autem intumeſcentia corporis ex humore aqueo cauſata. Triplicis eſt generis; prima vocatur timpanites, quando ſcilicet corpus eſt magis inflatum vento, quàm aqua, & pulſatum inſtar timpani ſonum edit. Secunda dicitur Aſcites proveniens ex alimentis in aquam converſis incluſam inter inteſtina, & peritonæum quaſi in utre. Tertia appellatur Leucothegmatia proveniens ex partibus ſolidis in aquam converſis reddentem corpus pallidum. Ita Celſus lib. 3. cap. 21. Hæc tertia ſpecies, quæ vocatur etiam Hi-

ſpoſarcha

ſpoſarcha ex ſententia medicorum eſt quaſi incurabilis; quia partes ſolidæ paulatim reſoluuntur in eum humorem, & non reſtaurantur, ideo morbus fit incurabilis. Secunda eſt curabilis, quia per ipſam non deſtruitur ſubſtantia aliti, ſed tantùm alimentum, quod reparari poteſt. Prima faciliùs curatur, cum ſit ventus, & aqua ſub cute turgeſcens.

41 ℞. Cognoſcitur depulſa miraculosè hydropiſia, quando recuperatur ſanitas, maximè quandò eſt ſecundæ, & tertiæ ſpeciei propter earum ferè incurabilitatem præſertim tertiæ; primæ vero ſpeciei ſi accidat ſanatio in inſtanti poſito divino auxilio. Sublata ergò intumeſcentia ſinè medicina ex meriti alicujus ſancti, miraculum eſt, quia apparet mirabilis effectus, & non cauſa, quæ eſt occulta, nempè ipſe Deus.

Quæres 16. De miraculoſa liberatione à lepra? Lepra eſt
42 ſpeciei ſcabiei, cutem reddens cruſtatam, & deformem, provenit ex atra bili vehementer movens ad pruritum. Si carnem penetret uſq. ad oſſa vocatur morbus Elephantiacus ferè incurabilis.

43 ℞. Leproſus dicitur miraculosè liberatus, quando ejus caro dè repente mundatur, in vocato Dei auxilio, nulla ampliùs apparente Cruſta in ejus Carne, ut dixi ſupra ſub num. 25. Sanatio miraculoſa probatur ſola inſpectione carnis mundatæ, in qua non ampliùs apparet aliqua cruſta; unde non eſt neceſsè id probare per aliquam operationem ipſius antè leproſi, dum conſtat ejus carnem exteriùs eſſe mundam; nam Chriſtus undecim leproſos ſanavit, quibus nullam præcepit operationem faciẽdam ad demonſtrãdam carnem eorum eſſe mundatam, quia exteriùs id manifeſtè apparebat.

Quæres 17. Sanatio à cancro, fiſtula, & ulcere quomodò
44 cognoſcatur miraculoſa? Cancer ab atra bili provenit continuè ſerpens, & carnem devorans. Fiſtula inſtar parvi vulneris, anguſta eſt, & ſinuoſa ortum trahens ex mala curatione. Ulcus eſt ſolutio unitatis carnis, quæ fit per eroſionem. Differt à fiſtula, quæ in corpore non multiplicatur, ſicut Ulcus, unde dicitur de Lazaro mendico, lucæ 16.20. quòd erat ulceribus plenus.

45 ℞. Ille dicitur miraculosè ab his liberatus, qui divino auxilio implorato ſtatim recuperat ſanitatem, quia hi morbi ſunt difficilis curationis. Nec opus eſt, quòd in his ſanitas probetur per aliquam operationem, dum non ampliùs apparent tales cicatrices, & ſigna.

Quæres 18. Quomodo cognoſcatur miraculoſa ſanatio à
46 Ruptura circa teſticulos? Hunc morbum vocant Herniam, qui accidit quando rupto peritonæo intumeſcit Scrotum, hoc eſt ſacculum teſticulorum; intra quem inteſtina, ſeu omentum, & quicquid aliud dilabitur.

47 ℞. Sanatio Dei auxilio in inſtanti facta, miraculoſa eſt, quia is morbus connumeratur cum Præcedentibus difficilis curationis maximè diſrupto peritonæo, quod impe-

diebat deſcenſum inteſtinorum in burſam teſticulorum. Cum iſte morbus accidat circa pudenda, non eſt neceſſe videre & inſpicere illas partes, ſed ſufficit, quòd qui viderunt tumorem, de eo teſtificentur, & quòd non ampliùs extat, dum videant utrumq; non eſt ergò neceſſe viſitare corpus morbi.

Quæres 19. Quomodò cognoſcatur miraculoſa ſanatio à fluxu ſanguinis?

℟. Cognoſcitur miraculoſa ſanatio à fluxu ſanguinis, quandò ceſſat exitus ſanguinis implorato Dei auxilio, etiam per interrogationem patientis hunc morbum, & aſſerentis ceſſaſſe, nam Chriſtus Marci 5. 29. mulierem hanc infirmitatem patientem liberavit, & quia hoc beneficium ſoli Chriſto, & mulieri erat notum, & aliis occultum, illud manifeſtare voluit inquiſitione ejus perſonæ, quæ illum tetigerat; undè mulier confeſſa fuit ſe tetigiſſe Jeſū, & per illum contactum ſanatam fuiſſe, & ſic de ſe, non pro ſe teſtatam fuiſſe ad honorem Dei, & ad ſuam utilitatem.

Quæres 20. Quomodò febricitantes miraculosè ſanentur?

49 Febris dicitur à fervore, eſtque intemperies calida, ſeù frigida totius corporis, alia quotidiana, alia tertiana, alia quartana &c.

50 ℟. Sanatio febris quartana poteſt eſſe miraculoſa, non autem tertiana, nec quotidiana. Ratio ejus eſt, quia illa non habet ſtatutum terminum ſuæ ceſſaſionis, ſicut iſta, tertiana ſcilicèt & quartana, quæ ceſſant natùraliter tertio, & quarto die; ideò in his non poteſt cadere miraculoſa ceſſatio, ſicut in quotidiana, de qua dantur miracula à Chriſto facta Matth. 8. 13. ubi Socrus Petri jacens, & febricitans Sanatur. *Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis*. Marci 1. 32. *Continuò dimiſit eam febris, &* 51 *miniſtrabat eis*. Lucæ 4. 38. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperavit febri, & dimiſit illam; & continuò ſurgens miniſtrabat illis*. In his ſermo eſt de eodem miraculo pro ſocru Simonis meliùs explicato à Luca; poſita deprecatione illorum, Chriſtus non ſolùm ut homo, ſed etiam ut Deus, imperavit febri, quæ obedivit, & ſtatim receſſit à Socru Simonis, quæ continuò, ac ſi non ægrotaſſet, ſinè ulla difficultate ſurrexit electo, & cæpit illis miniſtrare ſicut alia mulier, quæ numquàm vexata fuiſet ab infirmitate.

Quæres 21. An ſanatio à dolore dentium, & capitis fieri poſſit miraculoſa?

52 ℟. Negativè, quia ſolent ceſſare hujuſmodi dolores etiam ſine remediis; undè licet pro eorum expulſione invocetur divinum auxilium, non poteſt ex eo colligi miraculoſa ceſſatio doloris, ex quo de ſe ceſſare poteſt, nec quis ſemper ex imploratione ſanctorum, & divini auxilii exauditur, ideò locum non videtur miraculum habere. Gratia verò appellari poteſt, ex ea ambiguitate, an ceſſaverit ſupernaturaliter, an tantùm naturaliter, vel ex mixtione utriuſque

ſicut

ſicut & de febri expulſa ex gratia magis, non ex miraculo.

Quæres 22. de miraculis circa membra debilitata ex claudicatione, ex ariditate, ex paraliſia, ex hernia, & ſimilibus morbis?

53 ℟. In illis miracula contingere poſſe, quia ſunt difficilis curationis, undè invocato Dei, ſeù Sanctorum auxilio, incontinenti ſanati cenſendi ſunt miraculosè ſanitatem recepiſſe, cum natura tàm citò operari non poſſit applicatione remediorum. Et de his miraculis conſtat; nam Petrus Act. 3. Sanavit claudum, num. 7. *Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat, & intravit cum illis in templum*. Solo verbo poterat eum ſanare, qui claudus erat ex utero matris ſuæ, nihilominùs non ſolùm invocato nomine Jeſu Chriſti, Jeſu quidem, in virtute cujus, ut hominis ſanavit, Chriſti verò uti Dei, à quo principaliter prodiit miraculum, verùm etiam ſua manu claudum allevavit, *& protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ*, ecce miraculum ſequens ſtatim ac illum apprehendit, quæ fuit conditio prævia, ſine qua non fuiſſet factum miraculum. Chriſtus manum aridam reſtituit ſanitati Matth. 12. 10. *Ecce homo habens manum aridam*; num.

54 13. *Tunc ait homini. Extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt ſanitati, ſicut altera*. Marci 3. 3. & 5. Ea autem manus erat dextera, Joan. 6. 6. Extenſio manus fuit prævia conditio, qua poſita ſecutum fuit miraculum ad favorem illius hominis.

Quæres 23. De membris præciſis miraculosè reſtitutis.

℟. Reſtitutio membrorum præciſorum ſinè dubio eſt miraculoſa, quia unio hujuſmodi facta toti, à quo fuit pars præciſa, & ſeparata excedit vires naturæ; ideò talis effectus procedit à cauſa prima ſolùm operante talem effectum. Habes exempla; nam quędam mulier benefactrix Fratrum Minorum de nocte rediens domum à marito Zeloſipo per aulam capillamento malè tracta ferè decalvata, precibus Fratrum reſtituta fuit à S. Antonio, qui videns crines, & capillos abſtractos reddidit, itaut ne capillus quidem ex detractis periit. Vadingus tom. 1. ad annum 1231. num. 27. aliud terribiliùs narratur ibidem numero 27. Quidam Paduanus, qui confeſſus ſua peccata, & in ſpecie, quòd tanta vi matrem ſuam pede truſſerat, ut in terram dejecerit, objurgatus à Sancto magno ſpiritus fervore, quòd pes ille eſſet amputandus, domum reverſus homo ille, ut ſimplex pedem ſibi amputavit; monitus Sanctus Antonius de repentè ivit ad ejus domum, ſigno Crucis junxit pedem tibiæ, manibus liniendo ſuper conjunctionem utriuſque, & ſtatim cœpit ambulare, ac ſi nunquàm ſibi præcidiſſet pedem, laudans Deũ, & gratias agens S. Antonio. Beata Virgo manum reſtituit ſervo ſuo dilecto Joanni Damaſceno, juſſu Leonis Iſaurici præciſam, eò quòd cultum Sanctarum Imaginum verbo, & ſcriptis defenderat. Martyrol. Romanum ad 6. Maii. Ad probationem horum miraculorum

lorum ſufficit videre partem amputatam, & poſteà etiam junctam toti ſuo, à quo fuit præciſa, ſinè alio actu operationis; patet enim hoc exterius uti miraculum, cum natura non poſſit nec ars, conjungere, & vivificare membra præciſa.

56 Quæres 24. De ſanatione miraculoſa podagræ, & chiragræ? Eſt morbus articularis per juncturas præſertim manuum, & pedum, quas partes contractione nervorum ſummo afficit dolore. Dolor manuum dicitur chiragra; pedum verò podagra. Mart. lib. 1. *Litigat & Podagra Diodorus, Flacce, laborat, Et nihil patrono porrigit, hæc chiragra eſt*. Duplex eſt, una provenit à nimio calore, & cognoſcitur, quia articuli rubeſcunt; Altera ab intemperato frigore.

57 ℞. Liberatio ab hoc malo facilè judicatur miraculoſa, conſtante pia invocatione divini adjutorii, ſeù alicujus Sancti; nam hæc ferè dicitur à Medicis morbus incurabilis, teſtè Ovidio 2. de Ponto: hoc exametro: *Solvere nodoſam neſcit medicina podagram.* Plinius lib. 26. cap. 10. refert remedium, podagras refrigerat radix è Xiphio, ſemen è pſyllio, cicuta cum litargyro, aut axongia, aizoum in primo impetu podagræ rubentis, hoc eſt, calidæ. Utrilibet verò convenit erigeron cum axongia. Sed crede Ovidio, quia experientia conſtat eſſe hunc morbum incurabilem: Si ergò quis ſanatur ex pia invocatione Sanctorum, liberatio ſinè dubio judicanda eſt miraculoſa.

58 Quæres 25. An Dementes miraculosè ſanentur? Demens ille dicitur, qui non utitur ſua mente, à qua eſt alienatus, ignorans quid loquatur, quid agat, quandoque eſt cum inſania, & furore, quandoque cum quiete. Accidit is morbus, cum cerebrum lætitur ex calore ſibi inconveniẽte, nam cerebrum debet eſſe tẽperatum ex frigido, & humido, aliter ejus motus, & ſenſiones tendunt irregulariter, & cauſant amentiam, phrænesim, & dolorem capitis.

59 ℞. Phrenetici liberantur facilè ſullata cauſa morbi, & ideò non ita facilè in his locum habet miraculum, ſicut in amentibus, qui corpore præſertim ſani ſunt; qui ergò diu amens fuit, deprecationibus parentum ejus factis Deo, ſeù ſanctis ejus, liberatus, cenſeri poteſt ejus ſanatio miraculoſa. Produco miraculum à S. Antonio, qui dicitur *pater miraculorum* factum; nam prædicante illo extra urbem Podienſem, quidem demens multũ conturbabat auditores more ſtultorum vociferans, ſanctus ad ſe vocato porrigit cingulum, quo tacto, ſtatim compos factus coram multitudine, cæpit Deum laudare, & gratias agere de judicio ſibi reſtituto. Vading. tom. 1. Annal. ad annum 1231 num. XIII. ſana locutione probavit miraculum ſibi factum per ſervum Dei.

MEDI-

MEDITATIO VIII.

De Miraculoſa viſione cœcorum.

1 *COEcitas eſt ſpecies morbi.*
2 *Illuminatio cœci eſt in primo gradu miraculorum.*
3 *Cœci alii nati, alii facti, caſu, vel conſulto.*
4 *Pupilla criſpata perdit potentiam viſivam.*
5 *Humores oculi tres, Criſtalinus, Vitreus, & Aqueus.* 6. & 8.
6 *Tunicæ quinq. oculorum, Aranea, Reticularis, Vvea, Cornea, & pericrania.* 7. 8. 9. & 10.
11 *Muſculi ſunt ſex, vel ſeptem.*
12 *Nervi duo dicti Viſorii, ſeù Optici.*
13 *Oculus eſt figuræ Sphericæ.*
14 *Potentia viſiva reſides in pupilla, quæ eſt humor Criſtalinus.*
15 *In toto oculo non eſt potentia viſiva.*
16 *Nec in nervis opticis.*
17 *Miraculum eſt, quod cœcus videat.*
18 *Sublatio nuberulæ à pupilla quandoq; miraculum eſt.*
19 *Aeris mutatione quandoq. ſanatur oculus.*
20 *Illuminatio probatur actibus viſionis illuminati.*

MEDITATIO VIII.

1 NUlli dubium eſt, cœcitatem eſſe morbum, & quidem graviſſimum qui impedit, ne potentia viſiva exercere poſſit ſuum officium videndi; ſenſus enim viſus inter alios quinque excellentiſſimus eſt, & præſtantiſſimus, ut notum eſt. Ideo de miraculis ex illuminatione cœcorum hic agendum eſt, cum ſit affinis præcedenti materiæ de miraculis ex
2 ſanitate. Miraculum, quod cœci vident numeratur in primo gradu, cum ſit effectus omninò ſupernaturalis, non habens aliquam ordinem ad cauſas naturales, nec communis eſſe poteſt cauſis ſecundis cum prima, cui ſoli competit, & non ſecundis, quarum vires excedit. Præmitto autem duo, unum de duobus generibus cœcorum, alterum de ſtructura oculi, in quo conſiſtit potentia viſiva, quarum cognitio nos deducet in notitiam miraculorum, ex illuminatione cœcorum, & hanc evenire non poſſe à cauſis ſecundis.

3 Primum igitur ſit, quòd inter cœcos alii ſunt nati ſic, ut non poſſint videre, quales ſunt, qui ex utero matris ſuæ exeunt cum eo defectu, quòd pupilla eſt læſa, ac proinde inæpta ad viſionem, qua ratione legitur Joan. 9. 1. Chri-

1. Chriſtum illuminaſſe cœcum natum. Alii nati videntes facti ſunt cœci caſu aliquo, vel ab intrinſeco per aliquem humorem cooperientem pupillam, ne poſſit recipere ſpecies viſibiles, & viſionem producere. Debilitatur autem potentia viſiva, vel ex inopia Spirituum vitalium, vel ex eo, quòd pellis, & tunica ambiens pupillam præ ſiccitate
4 tate contrahitur, incriſpatur, & rugatur, ut accidit in ſonibus; undè non expedit ad ignem diu ſtare ſine aliquo obſtaculo, quia illam pelliculam multùm exſiccat, & contrahit, ita quòd viſio debilitatur, & quandoq; perditur. Confunditur etiam viſio, & minoratur ex nimia vehementia ſpecierum tranſmiſſarum ab objecto albo, ut à nive ad oculum, à carta ad oculum ſcribentis, ut experientia patet. Vel excœcatur ab extrinſeco caſu, vel conſultò ab aliquo inimico, lædente ſenſibilitèr pupillam oculi.

Secundò præmittenda eſt oculi ſtructura, & compoſitio, qui conſtat tribus humoribus, quinque tunicis, ſeptem muſculis, & duobus nervis, de quibus dicitur in ſequentibus.

5 Humores tres ſunt, primus vocatur *Cryſtallinus* à perſpicuitate Cryſtalli, non ab ejus duritie, cum ſit iſte humor mollis, habens à tergo quendam nigrorem reddentem illum de diaphano opacum, ne ſpecies ulteriùs progrediantur, & is humor idem eſt, quod vocamus pupillam oculi, quæ ambitur à prima tunica dicta *Aranea* ex ſua ſubtilitate inſtar telæ araneorum, quæ etiam appellatur *Specularis*, quia pupilla ex utroque conſtans generat ſpeculationem viſionis, ſeù ſe habet ut ſpeculum naturæ ad videndum.

6 Secundus humor dicitur *Vitreus* ex eo, quòd reſplendet ſicut maſſa vitri liquefacti, in hoc autem humore vitreo immergitur *Cryſtallinus*, ſicut globulus ligni ſuper aquam ex parte natat. Eundem humorem vitreum ambit *Secunda tunica*, non tamen Cryſtallinum ex ea parte; qua ſupernatat ipſe humor vitreus, quæ ſecunda ſcilicèt tunica dicitur *Reticularis*, quia ad ſimilitudinem retis conſtat multis venulis, & arteriis ad nutritionem oculorum.

7 Sequitur tertia tunica dicta *Uvea* ambiens *Reticularem*, relinquens diſcoopertam eam partem pupillæ, quæ eminet ſuper vitreum humorem, hæc autem tunica vocatur *Uvea* à pelle uvæ, quæ foramen habet ex detracto pendiculo, & ab ejus colore, qui variatur, ex quo oculi appellantur ceſii, fuci, nigri &c.

8 Tertius humor poſt hæc apparet dictus *Aqueus*, ſeu *Albugineus* ſimilis albo ovi, hic humor pupillam non tegit, nec partem Uveæ tunicæ, ne impediatur viſio, ejus officium eſt oculum conſervare humectando, ne deſtructo temperamento, perdatur potentia viſiva.

9 Quarta tunica, ſeù pellis dicitur *Cornea* ad inſtar corneæ laminæ ſubtiliſſimæ, cujus eſt circundare oculum totum, etiam pupillam, cujus viſionem non impedit, quia eſt tranſparens, & ſua duritie, & ſoliditate conſervat totum oculum.

10 Quinta demùm tunica totum oculum ambit ultimò, & appel-

latur *pericranium*, quia oritur à pelle ambiente Calvariam, dicitur etiam adhærens, ſeù adnata.

11 Muſculi ſunt ſeptem, vel tantum ſex, tamquam ligamina tènent oculum ordinatum ad motum facile faciendum in quamcumque partem voluerit homo oculos vertere ad videndum verſus omnes partes.

12 Duo nervi, qui vocantur *Viſorii*, ſeù *Optici*, à cerebro deſcendunt in oculos, & quaſi in medio conjunguntur, ità quod ille, qui à dextera oritur, tendit ad ſiniſtram, & qui à ſiniſtra, pergit ad dexteram, quibus viis conjunguntur, itaut ex amborum concavitatibus fiat una concavitas, & deindè dividuntur terminantes ſinguli ad ſuum oculum. Muniuntur duabus tunicis, interiori, à qua provenit *Uvea*, & externa, à qua procedit *Cornea*. Ab his autem nervis ſpiritus animales à cerebrò deſcendunt in oculos, & ab his ſpecies deferunt ad cerebrum.

13 Et ex his patet ſtructura oculorum, qui ſunt rotundi, & ſphericæ figuræ, ſecundùm quam facilè moveri poſſint in quamcunque partem ad videndum. Sunt collocati in ſuprema parte capitis infrà frontem, ut ſe valeant tueri ab omnibus offendiculis, quibus non ſe defenderent, ſi eſſent in vertice capitis, ſubjecti multis injuriis imbrium, pulveris, & demùm circumvallati naſo, genis, & palpebris, larent intrà caveam oſſeam ſub fronte. Oculi non ſunt ignei, ut volebat Galenus, ſed aquei ex humido, & frigido compoſiti ſecundùm Ariſtot. *de ſenſu cap.* 2. *Vide Conymbr.* 2. *de Anima cap.* 7. *Meldul. diſp.* 5. *de Anima q.* 2. *art.* 1. *à nu.* 10.

14 Potentia autem viſiva in communi ſententia meliorum phyſicorum conſiſtit, & reſidet immediatè in humore cryſtallino, quem vocant pupillam, cum Ariſt. lib. 1. de hiſtor. animal. c. 9. his verbis: *Humor oculi interior, quo videmus, pupilla eſt, quod eam ambit, nigrum dicitur*. Ratio eſt, quia tota oculi ſtructura eſt ad conſervandam potentiam viſivam; ergò hæc in illa parte eſſe debet, quæ præſtantior eſt, & poteſt eam melius conſervare; ſed hæc eſt pupilla, ad cujus conſervationem tota oculi ſtructura ordinatur, ergò in ea conſiſtit, & reſidet potentia viſiva. Præterea pupilla habet requiſita ad viſionem, nam ſplendet maximè, & perſpicua eſt, & habet humorem à tergo opacum, ut dixi, inſtar ſpeculi, ut poſſit recipere ſpecies ulteriùs non procedentes ad videndū.

15 Confirmatur, quia totus oculus non poteſt eſſe potentia viſiva, quia oculus offenſus extra pupillam, adhuc benè videt; ergò non eſt in toto oculo. Nec conſiſtit in nervis opticis, quia ex obſervatione Anatomorum aliquandò viſi ſunt illi nervi inter ſe diviſi, & nihilominùs viſio erat anteà perfecta.

16 Præterea nervi illi ſunt naturæ terreſtris, & opacæ, non diaphani, nec traſparentes, quod neceſſarium eſt ad potentiam viſivam. Vide *Ruvium lib.* 2. *de Anima q.* 8. *Meldulens diſp.* 5. *de Anima num.* 16. *Valeſiuni lib.* 4. *de fabrica corp. hum. cap.* 4. His prælibatis.

17 ℟. Cœcus ſivè natus, ſivè factus, qui verè talis probetur ex diuturnitate temporis, Dei auxilio, aut Sanctorum invocatione, de quibus conſtet, illuminatus, dicitur

dicitur miraculosè recepiſſe ſanitatem oculi, & ei lucem reverà miraculosè fuiſſe reſtitutam. Ratio eſt, quia oculus læſus incurabilis eſt humanis remediis, cùm illi humores labefactati in priſtinum temperamentum reduci non poſſint, maximè cœci ſic nati, ergò ſi cœcus videt, id erit miraculum, & conſequenter à Deo, ut expreſſè dicitur Joan. 9. 32. de cœco nato: *A ſeculo non eſt auditum, quis aperuit oculos cœci nati, niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam.* Aperire ergò oculos cœcis eſt opus ſolius Dei, ac proindè miraculum. Septem cœcos, inter quos erant cœci facti, Chriſtus illuminavit, de quibus latè dixi Medit. 3. q. 8. à num. 14. ad 21. Ubi latè de his miraculis.

18 Quod ſpectat ad nubeculam, ſeù humorem, pupillam oculi tegentem, ac proindè cauſantem cęcitatem in homine. Hæc vel eſt diuturna vel citò tranſit; ſi citò evaneſcit, miraculum non eſt, quia naturaliter tranſiſſe cenſetur illud impedimentum, oculo proſequente ſuum officium; nam pupilla læſa non fuit, ſed tantùm tacta, & ſic remoto tegumento pupilla ut priùs videt, trahendo ſpecies ad ſe, quæ alias in ea inprimi non poterant, obſtante impedimento nubeculæ. Quando verò obtenebratio permanens eſt, & diuturna, & mutatione aeris non recedit, & ſanctorum invocatione ſæcùs incipit videre, id miraculum eſt, quia pro cauſa impedimenti ſublata nihil aſſignabile eſt, præter ſacram deprecationem, & Deum ipſum removentem impedimentum, maximè ſi in inſtanti accidat. Demum aeris mutatio præſumitur cauſa viſionis acquiſitæ, quando cœcus paulatim ſœcutiendo incipit videre; ſi verò in ictu oculi perfectè videt, ſicut videbat antè obtenebrationem, illuminatio ejus eſt miraculoſa, quia aer ſucceſſivè operatur, & non in inſtanti, ſicut facit Deus.

Illuminatio autem probanda eſt per actus viſionis faciendos ab ipſo illuminato, ut ambulando ſine duce, ſcribendo, diſcernendo unam perſonam ab alia, unam rem ab alia; de his enim actibus conſtare debet, ut cœcus, de quo antea conſtabat, dicatur viſionem miraculoſè recepiſſe.

MEDITATIO IX.

De Miraculoſa locutione Mutorum.

1 *NOvem inſtrumenta concurrunt ad formandam vocem.*
2 *Linguæ ſtructura recenſetur.*
3 *Quomodò impediatur à locutione.*
4 *Quatuor modis nervus locutionis lædi poteſt.*
5 *Quatuor ſunt defectus linguæ mutire.*
6 *Hæſitare intercipiendo ſyllabas.*
7 *Balbutire omiſſione ſyllabarum.*
8 *Bleſi ſunt, qui pronuntiare non poſſunt certas literas.*
9 *Pulmones ad quid deſerviunt.*
10 *Muſculi thoracis movent pulmones.*
11 *Arteria aſpera eſt canalis ducens aerem ad pulmones.*
12 *Larinx, Lingula, & Gurgulio, ſeù Caruncula.*
13 *Vox quomodò fiat.*
14 *Vox, & loquela differunt.*
15 *Locutio muti eſt miraculum.*
16 *Balbutiens ſanatus non ſemper eſt miraculum.*
17 *Dæmon ligare poteſt, & ſolvere linguam muti facti à ſe.*
18 *Non tamen reſtituere loquelam, dum non ligavit linguam.*
19 *Probatur locutio miraculoſa ex ſequenti locutione.*
20 *Locutio muti eſt in primo gradu miraculorum.*

MEDITATIO IX.

QUoniam muti dicuntur illi, qui non poſſunt loqui defectu vel linguę præciſæ, vel alterius impedimenti, ideo pro horum defectuum cognitione in ordine ad miraculoſam locutionem mutorum nonnulla ſunt præmittenda.

1 Præmitto primo, novem inſtrumenta concurrere ad formam in vocem hominis, & cujuſcunq; animalis, ut ille poſſit loqui, & cætera animalia edere vocem ſuis naturis convenientem, nempè lingua, dentes, palatum, caruncula, lingula, larinx, arteria aſpera, muſculi thoracis, & pulmones. De ſingulis agendum, quomodo concurrant ad edendam vocem, & locutionem.

2 Lingua eſt principale inſtrumentum locutionis; ipſa enim dicitur formaliter loqui in homine, dum diverſitate ſui motus tangit palatum, & dentes, articulando vocem ſignificativam agente ſpiritu intellectionis. Structura autem linguæ hæc eſt, ſiquidem lingua eſt fruſtulum carnis ſpongioſæ oblongum radicatum in oſſe ſolido; conſtat autem novem muſculis tamquam inſtrumentis moventibus linguam in omnem partem ad loquendum; quos muſculos linea intermedians dividit ad dexteram, & ſiniſtram. Habet duos nervos

ab occipite, hoc eſt, parte poſteriori oppoſita fronti, & ſpinali medulla provenientes, quorum unus craſſior, & durior eſt inſertus in muſculis linguæ, & laringis, cujus officium eſt movere linguam ad loquendum, & ad alia. Alter verò nervus eſt mollior, quo ſapores guſtantur. Conſtat prætereà lingua venis, & arteriis, & ad radices hinc indè habet duas glandulas carnis dictas Tonſillas, quæ ſunt ad gignendam ſalivam ex humoribus ad guſtum valdè neceſſariæ. Demùm tegitur, & ambitur tenui pellicula, quæ eſt communis toti ori.

3 Sicut ergò lingua movetur ad loquendum mediante illo duriore nervo, proveniente ab occipite, & medulla ſpinali, quandò ille nervus non eſt læſus, nec impeditus, nec legatus; ita impeditur à locutione, & homo dicitur mutus, non valens loqui, quandò ille nervus eſt læſus, aut ligatus, & impeditus ab exercitio ſui officii, non valens movere linguam ad locutionem; ſublato autem ligamine, & impedimento, & reſtituto nervo ad ſuum officium, homo de muto fit loquens, & id apertè colligitur ex verbis Evangelii Marci 7. 35. de ſurdo, & muto loquente, & audiente: *Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.*

4 Præmitto ſecundò, illum nervum, à quo lingua movetur ad loquendum, impediri poſſe à ſuo officio, ne lingua loquatur, quatuor modis. *Primo*, ſi homo naſcatur læſus in eo nervo; ſicut enim homo quandoq; naſcitur cœcus, ita & mutus naſci poteſt. *Secundò*, amputatione linguæ, ſinè qua non contingit locutio, & tunc nervus ille læditur. *Tertiò* à Dæmone detinente illum nervum ligatum, ne poſſit movere linguam ad locutionem, ut in exemplo allato de muto non taliter nato, ſed effectò à Dæmone, cujus vinculum contrivit Chriſtus, ut loqueretur ille obſeſſus Marci 7. 35. de qua latè dixi Medit. 3. q. 9. *Quarto* demùm ille nervus locutionis à Deo miraculosè ligatus fuit Zachariæ, quia incredulus de filio Joanne Præcurſore à ſe in ſenectute gignendo, evaſit Dei judicio mutus, & tacens uſq; ad illius nativitatem Lucæ 1. 20. *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſq; in diem, quo hæc fiant, pro eo, quòd non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Quod fuit tempore nativitatis filii ſui, dum illius nomen ſcripſit, num. 62. *Et poſtulans pugillarem ſcripſit, dicens Joannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi. Apertum autem eſt illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Duo fecit hic miracula Deus, unum, ligando nervum ejus, ne poſſet movere linguam ejus, alterum aperiendo os ejus ad loquendum, undè benè dixit ſcriptura probando miraculum utrunq; *Et mirati ſunt univerſi*, admiratio enim eſt effectus miraculi.

5 Præmitto tertiò, quòd quatuor ſūt defectus linguę, Mutilitas, Hęſitatio, Bleſio, & Balbutio. De primo ſatis dictum eſt, qui tollit omnimodam locutionem, quod non faciunt alii defectus, ut patet ex eorum explicatione; nam Hæſitare

6 ſitare dicuntur illi, qui unam ſyl-
labam ſtatim conjungere non poſ-
ſunt cum alia, ſed aliquantiſper
detinentur in prima, quam repe-
tunt, ex quo Hæſitatio dicitur
7 articulorum,& ſyllabarum inter-
ceptio. Balbutientes verò appel-
lantur, qui literam, aut ſyllabam
prætermittunt in prolatione di-
ctionis, ut cœna pro Cœſena
Vena, pro Ravena. Bleſi demùm
8 vocantur, qui certam literam pro-
nuntiare nequeunt. Defectus iſte
ſæpè accidit in R. prolato pro ſo-
no L. ut *Colpus*, pro *Corpus*. Vul-
gus omnes iſtos ſimpliciter vocat
balbutietes, ex ſua ignorantia
non. diſtinguens unam imperfe-
ctionem ab alia. Hi defectus,
quamvis originem habeant à na-
tura ex læſione illius nervi, ta-
men arte, induſtria, & exercitio
quandoquè tolluntur, proceſſu
temporis relinquntur præſertim
à pueris factis adoleſcentibus,
qui dum ſunt in tenera ætate non
poſſunt pronuntiare certas lite-
ras,& ſyllabas,ad quarum pronun-
tiationem requiritur major motus,
& impetus illius nervi, qui tunc
debilis eſt, factus poſtea fortior
rectam & perfectam producit lo-
cutionem.
9 Præmito quarto reliquorum in-
ſtrumentorum ad loquendum ex-
plicationem brevem. *Primò* Pul-
mones ſunt neceſſarii ad emit-
tendam vocem, qui aerem ad ſe
attractum extramittendo per ar-
teriam aſperam vocem formant.
Sunt aliqua animalia, ut formi-
cæ', araneæ vermes, &c. quæ ca-
rent pulmonibus, & ideò nullam
vocem emittunt. Pulmones ſunt
ſpongioſi, & molles ad inſtar fol-
lium, ſinè quibus animal vivere
non poteſt, reſpirando, & aſpi-
rando aerem, in ordine ad vitam,
10 & ad vocem emittendam. *Se-
cundò*, muſculi thoracis inter co-
ſtas movent partes pulmonum,
attractum aerem magna vi extra-
11 mittunt *Tertiò*, arteria aſpera,
quæ, eſt via, ſeù canalis à fauci-
bus ducens aerem ad pulmones
refrigerandum. Aſpera dicitur,
quia conſtat partibus inæquali-
bus,& tortuoſis. Conſtat autem
duabus partibus, quarum ſupe-
rior ea parte faucium vocatur *La-
12 rinx* habens magnam cavitatem
diverſis muſculis munitam ad for-
mandum diverſas voces per illos
circulares antractus, & partes tor-
tuoſas Ea autem Larinx caput
arteriæ tegitur coperculo; quod
vocant *Lingulam*, ne aliquid cibi,
aut potus cadat in eam, aperitur
autem, & clauditur ad reſpiratio-
nem, & vocis emiſſionem. *Quar-
tò*, ſuprà Lingnlam cooperientem
Laringim extat fruſtulum carnis
rotundum, quod appellant *Gur-
gulionem*, ſeù *Caranculam* penden-
tem in extremo palati. Nonnul-
li pro eodem accipiunt *Gurgulio-
nem*, & *Laringem*. Aer autem im-
pingens in illa duo, in *Gurgulio-
nem* ſcilicèt, & *Lingulam* exeun-
do à Laringe, cauſat vocem ad
motum linguæ *Quintò*, neceſſa-
rium eſt *Palatum* in quod lingua
impingendo cauſat diveerſitatem
vocis ex diverſitate lenis, aut aſ-
peri in eodem palato concavo.
Sextò dentes & ſi non ſint omni-
no neceſſarii, ſunt tamen valdè
proficui ad formandam perfe-
ctam vocem, ut experientia
docet.
13 Vox igitur animalis, & locu-
tio hominis cauſatur ex aere
emiſſo à pulmonibus per arte-
rium, & laringem magna vi im-

pingente in lingulam, & gurgu-
lionem exeunte ad motum lin-
guæ diverſimodè tangentis palla-
tum, & dentes.

Sed ad perfectam hujus rei co-
gnitionem ſupereſt differentia in-
ter vocem, & loquelam, quæ
certè mirabilis eſt, cum omnia
animalia, tàm homo, quàm bru-
tum, eiſdem utantur inſtrumen-
tis, & tamen differant vox, &
loquela.

14 ℟. Vox ex ſua natura eſt ſonus
uniformis, & continuatus, qui
ex articulatione, & diverſita-
te dividitur in literas, ſyl-
labas, & dictiones, ad inſtar
articulorum manuum, qua-
rum nodi dividunt oſſa, ne conti-
nuentur; ità quòd vox in homi-
ne articulatur, & ſit diverſa, &
propriè tranſit in loquelam, qua
homo utitur ad experimendos al-
teri homini conceptus mentis, &
res, quæ in medium ſeipſis de-
duci non poſſunt, conſequentèr
ſicut res, & conceptus illas ſi-
gnificantes, diverſa ſunt; ità etiam
voces diverſæ eſſe debent, & ſic
articulatæ, ut demonſtrent diſtin-
ctè quod alteri manifeſtandum
eſt. Bruta carent conceptibus
mentis; ideò ſuas voces non arti-
culant, nec dividunt, ea etiam
ratione, quia eorum inſtrumenta
non ſunt ità perfecta, & apta ad
articulandum ſonum, & facien-
dam loquelam, ſicut inſtrumen-
ta ipſius hominis.

15 ℟. Locutio reſtituta muto, ſinè
dubio eſt miraculum, non autem
in balbutientibus rectè, & perfe-
ctè, poſtmodùm loquentibus.

Primum probatur, quia viri-
bus naturæ læſionem organorum
ad loquendum nemo ſanare po-
teſt, ergò ſi quis mutus loquitur,
id tribuitur ſoli Deo, nam Sa-
pient. 10. 21. dicitur: *Quoniam
Sapientia aperuit os mutorum.* Iſaia
cap. 35. 6. *Aperta erit lingua mu-
torum.* Sunt ergò hæ operationes
ſolius Dei, excedentes naturæ
vires. De mutis loquentibus ſa-
natis à Chriſto, dixi Medit. 3. q.
9. ubi de hac re plura.

16 Secundum de Balbutientibus
patet maximè in pueris, ut dixi
ſuprà, qui ſicut creſcunt, ità per-
ficiuntur, & proficiunt in ſuis
operationibus. Quòd ſi quis jam
adultus balbutiret, & pro eo in-
vocato divino auxilio, ſeù San-
ctorum, deinceps perfectè loque-
retur, certè id eſſet tribuendum
miraculo, & non naturæ, quæ
operatur tantùm, dum creſcit, &
roboratur, non quandò eſt jam
in debita conſiſtentia conſtitu-
tus.

17 Dices, ſicut Dæmon ligare po-
teſt linguam hominis, ut legitur
Marci 7. 32. ſecundùm interpræ-
tationem Sanctorum Patrum, ut
notavi Medit. 3. q. 9. ità & illam
ſolvere ad locutionem; qui enim
poteſt ligare, poteſt etiam
ſolvere, res enim per quas cauſas
naſcitur, per eaſdem diſſolvitur;
ergò mutum loqui non excedit
vires naturæ, dum Dæmon poteſt
18 deſtruere ligamen, quo linguam
hominis ligaverat.

℟. Cum ſolvere ligamen ſit quid
bonum, non legimus Dæmonem
id umquàm feciſſe, poteſt tamen
facere, ut probat objectio; ſed
vis ſolvendi ligamen in ordine ad
rationem miraculi, conſiſtit in eo,
quòd Dæmon non poteſt inſtru-
mentum loquendi læſum ſanare,
19 itaut benè loquatur, & ſanetur
vi naturæ.

Probatur autem reſtitutio lo-
quelæ,

quelæ, dum is, qui anteà conſtabat eſſe mutum, poſtmodùm loquitur aliis audientibus, ut id expreſsè dicitur ab Evangeliſtis, quorum dicta retuli ad verbum, Medit. 3. qu. 9. in quibus locis, narrato miraculo, exprimitur: *Locutus eſt mutus. Loquebatur rectè.* Demonſtratur ergò ſic effectus miraculi, dum qui aliàs erat mutus, modò loquitur. Eſt autem miraculoſa locutio mutorum in primo gradu miraculorum, quorum effectus eſſe non poſſunt communes Deo cum cauſis ſecundis, juxtà dicta Medit. 1. qu. 16. num. 46.

MEDITATIO X.

De Miraculoſa auditione Surdorum.

1 *AUrium ſtructura refertur.*
2 *Timpanum, ſeù Miringa, Malleus, Incus, Stapida in auribus.*
3 *Organum auditus variè aſſignatur.*
4 *Sed illud conſiſtit in illa ſubtiliſſima ſubſtantia.*
5 *Perditur auditus multis modis.*
6 *Surdus recuperat auditum miraculosè.*
7 *Quomodò probetur hoc miraculum.*
3 *Surdaſter poſteà benè audiens non dicitur miraculosè ſanatus.*
9 *Surdus natus omnis mutus.*
10 *Locutio diſcitur per auditum.*

MEDITATIO X.

DE Surdis ſubſequentèr agendum eſt in ordine ad miraculoſam auditionem; undè præmittenda eſt aurium ſtructura, ut ex ejus cognitione colligi poſſit, à quo procedat auditio, & ſurditas ei oppoſita.

Auris autem ſtructura talis eſt, quòd conſtat partibus carneis, & oſſeis, quæ eſt quædam mixtura dicta Cartilago, nec nimis dura, nec nimis mollis, ſed talis temperamenti, quòd poſſit conſervare organum auditus, ſupra quod extra caput prominet ad illius propugnaculum. Eſt autem auris, quòad figuram vacua, habens viam tortuoſam inſtar cocleæ, ut ſonus variè fractus ſine læſione, ſed leniter deferatur ad organum. Via hæc ex parte exteriori lata eſt, ſed ulteriùs conſtringitur, & arctatur, continens quendam humorem viſcoſum, ne muſcæ, & aliæ beſtiolæ poſſint ingredi, & lædere organum, & in fine interiùs dilatatur, & eſt concava nullum habens foramen versùs cerebrum, ſed in eam cavitatem orbicularem definit, cooperitur membrana, quam vo-
2 cant *Timpanum*, ſeù *Miringam*, quæ ſuſtentatur à tribus oſſulis *Malleo*, *Incude*, & *Stapida* ſic dictis à figura ſimilium inſtrumentorum, quam habent ab eis denominatis: Adeſt præter eà os quoddam appellatum *Laberintus*, ad cujus inſtar compoſitum eſt plurimis foraminibus variè, & obliquè inter ſe occurrentibus. Cavitas *Timpani* repleta eſt quadam ſubſtantia ſubtiliſſima, quam vocant aerem innatum ad ejus ſimilitudinem à natura ibi poſitam, ne cavitas illa ab aere repleta corrumperetur. A cerebro quidam nervus diffunditur ad eam cavitatem deferendo in eam ſpiritus anima leſi qui ſpecies ſonoras ad ſenſum communem deferunt, & vocatur auditorius. Ea oſſicula ejuſdem magnitudinis ſunt in adultis, ſicut in infantibus, propter neceſſi-

neceſſitatem hujus ſenſus utriſque ad docibilitatem.

3 Modò videndum eſt, in qua ex dictis partibus formetur Auditus, ſeù, ut ajunt Philoſophi, quodnam ſit organum, ſeù auditorium in auribus. Variæ hujus ſunt opiniones. Nam *primò* aliqui dicunt, ſpiritus animales à cerebrò diffuſos eſſe ad organum auditus. Sed errant, quia cum illi ſpiritus non ſint animati, ſicut eſt organum aurium, non poſſunt fungi hoc officio. *Secundò*, alii volunt ſenſorium conſiſtere in illis tribus oſſiculis. Sed fallunt, quia non ſunt animati anima ſenſitiva, ut debet eſſe hoc organum; præterquàm quòd non ſunt apta ad motionem intentionalem; ultrà quòd motus ab illis editus arbitrarius eſt, inſufficiens ad edendum ſonum. *Tertiò*, nonnulli dicunt ſenſorium eſſe in nervo auditorio proveniente à cerebrò. Quod falſum eſt, quia nervi ſerviunt ad portandos ſpiritus, non ad producendum auditum. *Quartò*, quidam illud reponunt in Timpano, qui primò attingitur à ſono, nec ulteriùs penetrare poteſt. Sed contrà eſt, quia illuc perveniens ſpeciem ſoni immittit ultrà Timpanum, in ſubſtantiam illam ſubtiliſſimam, ut mox dicam. Præterquàm quòd illa membrana ſe habet ut tunica protegens eam ſubſtantiam ne lædatur, ſicut tunica ſpeculans tegit pupillam, ex dictis præced. Medit. 7. n. 5.

4 Concludendum igitùr eſt, ſenſorium auditus eſſe illam ſubtiliſſimam ſubſtantiam incluſam in cavitate Cocleæ, tot aliis partibus protectam, & cuſtoditam, ut poſſit ſenſationes ſonoras percipere, & audire. Ita *Ariſt. 2. de partib. Animal. cap. 10. apud Ruvium lib. 2. de Anima cap. 8. q. 6. Meldul. diſp. 5. de Anima num.* 119.

Viſo, quòd in illo aere ſubtiliſſimo innato in concavitate cocleæ aurium conſiſtit organum, & ſenſorium auditus; reſtat videre quomodò illud ſenſorium lædatur, itaut homo evadat ſurdus, ſi non ſit taliter natus.

5 Perditur autem auditus, quandò unum ex dictis inſtrumentis notabiliter læditur, ſivè ſit illa ſubſtantia ſubtiliſſima, in qua dictum fuit potiſſimùm conſiſtere ejus ſenſorium, qua corrupta perditur omninò auditus. Perditur quoquè ex aliorum læſione, nempè, Timpani, Incudis, nervi auditorii, pariter ex intemperie, & tumore inficiente organum. Dixi ex notabili læſione, quia ſi ſit levis, & parvi momenti, læſus non evadit Surdus, ſed ſurdaſter, parum ſcilicèt audiens, qui dicitur eſſe de auditu groſſo. His præmiſſis.

6 ℞. Surdus natus, vel factus in inſtanti, divino auxilio, ſeù alicujus ſancti invocatione, perfectè auditur, dicitur miraculosè ſanatus à ſurditate. Ratio eſt, quia defectus ſurditatis expelli non poteſt nec in inſtanti, nec ſucceſſivè remediis naturæ, cum organum læſum reſtitui non poſſit viribus naturæ, ut experientia patet, ergò ſurdus factus audiens, illi id accidit miraculosè. Confirmatur id ex miraculis Chriſti, qui miraculosè dicitur reſtituiſſe auditum ſurdis, ut dixi Medit. 3. 9. num. 9.

7 Probantur autem hujus generis

ris miracula, quando ſurdus ſanatus reſpondet rectè ad propoſitam interrogationem, vel repetit verba erga ipſum prolata, vel quid aliud facit, vel dicit, per quod non cognoſcitur amplius ſurdus.

8 Surdaſter autem non dicitur miraculosè ſanatus, ſi deinceps benè audiat, quia organum non erat læſum ad ſurditatem, ſed impediebatur ex aliquo accidenti, quod præſumitur de ſe receſſiſſe, dum denuò audit benè.

9 Sed numquid omnis ſurdus eſt etiam mutus? Certum eſt, quòd ſurdus factus non eſt mutus, cum loqueretur ante auditu ſuggerente loquelam. Surdus verò natus remanet etiam mutus, non ex ratione quorundam, qui ex cerebro volunt quoſdam nerviculos deſcendere conjunctim, & poſteà dividi in tres partes; quarum una adhæret linguæ, movens eam ad locutionem, reliquæ verò duæ ſunt aurium, cujus auditui deſerviunt, ex quo inferunt, læſa una parte, quæ ſcilicèt deſervit auribus, lædi etiam alteram reſpectu linguæ, quia ab eodem principio procedunt. Sed hęc ratio non admittitur à bonis Anatomicis, quia experientia conſtat, quandoque unam tantũ aurium eſſe læſam, & nõ alteram, ergò ex lęſione unius partis non infertur læſio reſpectu omnium partium; itaque ea eſt ratio, cur omnis ſurdus natus eſt etiam mutus, quia homo
10 in tantum loquitur articulatè, in quantum per auditum docetur, & diſcit modulare linguam, ergò ubi non infunditur auditus, ibi loquela percipi non poteſt. Ità *Conymbr. de Anima in problem de Auditu ſect. 2. num. 6. Blaſius Michalorius in tract. de cęco, ſurdo, & muto cap. 3. num. 5. Theoſilatus apud Antonium de Ghiſlandis in Dom. 3. Quadrag. dub. 47.*

MEDI-

MEDITATIO XI.

De miraculoſa Energumenorum liberatione.

1 *Ejectio dæmonum eſt miraculoſa.*

2 *Sacerdotum eſt ejicere dæmones ex officio.*

3 *Chriſtus plures ejecit dæmones.*

4 *Dæmones revertuntur ad homines.*

5 *Quomodò probetur receſſus dæmonis.*

6 *Dæmon verè ſurdus, nec mutus eſt.*

7 *Cur diſcipuli non potuerunt ejicere dæmonem.*

8 *Probitas vitæ requiritur ad expellendos dæmones.*

MEDITATIO XI.

1 Certum eſt, quòd energumenorum liberatio eſt miraculoſa, cum dæmonis ejectio extrà corpus humanum ab eo obſeſſum excedat vires naturæ corporeæ, vel intellectualis, quæ de ſe in ſpiritum agere non poteſt expellendo eum ab homine vexato, undè ſi expellatur, id tribuendum eſt miraculo.

2 Notandum autem eſt, id officium expellendi dæmones ſpectare ad ſacerdotes, qui hanc poteſtatem recipiunt in ſuſceptione, ordinis exorciſtatus, undè dum ſacerdos exorzizat, utitur auctoritate ſibi à Deo conceſſa in ordinatione, de qua Cap. Exorciſta 16. diſt. 23. Quarè ſi aliquem liberat, dicitur facere miraculum, ſeu illi cooperari; invocatis ſanctis, erga quos vexatus, vel ejus parentes magnam habent devotionem, & fidem, in quorum meritis ſe confidunt; poſita ergo invocatione ſanctorum, liberatio eſt miraculoſa procedens ex meritis eorum, & cooperatione ſacerdotis, cui, ſi bonus eſt Dei ſervus, tribui poteſt; ut de Sancto Ubaldo Eugubii Epiſcopo dicitur, in quo virtus præcipuè enituit in effugandis ſpiritibus immundis.

3 Multos dæmones Chriſtus ejecit ex corporibus hominum, Matth. 9. 32. dæmonem à muto. Matth. 12. 22. ab alio muto ſimul & cœco. De quibus latè dixi Medit. 3. q. 9. nu. 21. Adduco exemplum ex Marco 9. 16. ubi num. 24. dicitur: *Jeſus comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs, ne introeas in eum. Et exclamans, & multùm diſcerpens eum, exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus. Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.* Chriſtus præcepit demoni, ut exiret; habet enim Chriſtus imperium ſuper dæmones, & ſic exivit, cum ea vexatione illius hominis, quia ægreferebat talem exitum. Prohibuit enim,

ne deinceps ingrederetur corpus illius hominis, quandoquè enim dæmones revertuntur, quia inveniunt bonum hoſpitem; undè
4 Lucæ 11. 24. dicitur. *Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam, & ornatam, tunc vadit, & aſſumit alios ſeptem ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi; & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Chriſtus ergò benè præcepit ſpiritui immundo non ſolum exirum, verùm etiam prohibuit eidem regreſſum, quia ſciebat, dęmones libenter habitare cum hominibus habentibus domum ſcoparam, ideſt vacuam bonis operibus, & plenam vitiis, & peccatis, cum quibus dæmones
5 ſolent morąri. Per exclamationem, & diſcerptionem probatur liberatio energumeni, & per alia ſigna, tamen per hæc non eſt ſtatim credendum, quòd exierint, ſed expectandum eſt aliquod temporis ſpatium à judice præfigendum, & interim obſervandi ſunt omnes motus, & actiones hominis ſentientis ſe liberati, in quo ſi appareant aliqua ex ſignis, quæ vexatus ſolebat facere, non probatur liberatus, ſed in eo dæmonem ſe occultaſſe.

6 Sed numquid dæmon eſt mutus, & ſurdus? Sic utique eum vocavit Dominus, ut ſupra ſcripſi. Revera in ſe dœmon non erat mutus, nec ſurdus, quia caret organis ſenſuum, cum ſit ſpiritus, ſed Chriſtus ſic eum appellavit, quia fingebat ſe mutum, & ſurdum in illo homine, quem non ſinebat loqui, nec audire.

7 Subdit Evangeliſta Marcus ibidem num. 17. quòd Chriſtus dixerat diſcipulis ſuis, ut eum dęmonium ejicerent, & non potuerunt, undè poſt ejus liberationem diſcipuli, num. 27. eum ſecretò interrogaverunt: *Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in jejunio, & oratione*.

8 Certum eſt, quòd non cuiq; ſacerdoti, licèt habeat poteſtatem ordinis, conceditur ejectio dæmonum à corporibus obſeſſis, cum in eis ejiciendis, præter poteſtatem, requiratur bonitas vitæ ipſius ſacerdotis; liberat enim magis obſeſſos à dæmone propter merita bonæ vitæ, quàm aliter.

MEDI-

MEDITATIO XII.

De Miraculoſa Reſuſcitatione Mortuorum.

1 *Reſuſcitatio, & Reſurrectio differunt.*
2 *Reſurrectio duplex, generalis, & particularis, utraque de fide.*
3 *Miraculum eſt opus reſurrectionis.*
4 *Major virtus in creatione, quàm in reſurrectione.*
5 *Sancti merentur vitam mortuis. S. Franciſcus 30. dedit vitam.*
6 *Animalia etiam bruta revocantur ad vitam.*
7 *Mirabilius eſt revocare brutum ad vitam, quàm hominem.*
8 *Reſurrectio probatur per actus vitales.*
9 *Platonici concedunt naturalem regreſſum animarum poſt certum tempus.*
10 *Improbatur error eorum auctoritate Sacræ Scripturæ.*
11 *Et rationibus.*
12 *Cœleſtes orbes propter varietatem motuum in eundem redire nunquàm poſſunt.*
13 *Idem individuum, nec ſupernaturalitèr redire, hæreſis eſt.*
14 *Saducæorum, & aliorum negantium reſurrectionem mortuorum.*
15 *Matrimonium morte ſolvitur.*
16 *Elias reſuſcitat mortuum.*
17 *Erat Jonas poſtmodùm propheta.*
18 *Vir Dei, & Homo Dei, differunt.*
19 *Eliſeus filium Sunamitidis revocat ad vitam.*
20 *In ultimo actu ſuæ incarnationis ſuper puerum.*
21 *Eliſei oſſa tacta reſuſcitant mortuum.*
22 *Sadducei ignorabant Scripturas de reſurrectione mortuorum.*
23 *Nonnulli tenent, nullum individuum ab homine redire poſſe etiam ſupernaturalitèr.*
24 *Probatur reditio etiam aliorum individuorum.*
25 *Nonnulli probant idem etiam naturalitèr redire poſſe.*
26 *Nihil novum ſub ſole, intellige ſecundùm ſpeciem.*
27 *Aqua diviſa in ſeipſam reddit naturalitèr.*
28 *Quia in ea nihil corruptum per diviſionem.*
29 *Auricula, & naſus reſtituuntur naturalitèr.*
30 *Quomodò vivificantur?*
31 *Chriſtus reſtituit auriculam Malco.*
32 *Miraculosè ſanatur auricula, & naſus, ſi applicentur ſinè remediis.*
33 *Identitas numerica pendet ab eadem cauſarum combinatione.*
34 *Effectus numericè ſunt indifferentes reſpectu ſuarum cauſarum.*
35 *Muſca ſuffocata de ſe reviviſcit.*
36 *Non eadem, ſi eſt mortua, ſed alia.*
37 *De fide ergò eſt reſurrectio mortuorum.*

38 *Reditio ejuſdem non implicat nec ex parte Dei, nec ex parte rei.*
39 *Non magis diſtat impoſſibile à poſſibili, quàm poſſibile ab impoſſibili.*
40 *Ad præteritum non eſt potentia.*
41 *Intellige reduplicativè, ſeù negativè, utique ſpecificativè, & poſitivè:*
42 *Reproductum haberet duo eſſe, duplicem exiſtentiam, & durationem.*
43 *Unicum eſſet, tempus diverſum.*
44 *Reproductio repugnat unitati.*
45 *Numerus non ponitur in ipſa re, ſed in tempore.*
46 *Identitas effectus pendet ab identitate actionis.*
47 *Falſum id eſt, cum poſſit idem effectus eſſe diverſarum actionum.*
48 *Non inciperet reproductum per primum eſſe, nec ultimum eſſe.*
49 *Reinciperet per unum ex illis.*
50 *Tempus intermedium divideret inter corruptum, & reparatum.*
51 *Non divideret entitatem, ſed ipſum tempus divideret ſeipſum.*
52 *Deus liberè agens, non eodem modò agit agens neceſſariò.*
53 *Plus enim liberè operatur, quàm neceſſariò.*
54 *Deus vocat ea, quæ non ſunt, ſicut ea quæ ſunt.*
55 *Unitas effectus non pendet neceſſariò ab unitate actionis.*
56 *Miracula reſurrectionis, in beneficium aliorum.*
57 *S. Stanislai miraculum reſurgentis pro ſe.*
58 *Gallus, & Gallina aſſati redeunt ad vitam pro innocentia juvenis.*
59 *De alio gallo reſuſcitato à B. Franciſco Piſaurienſi.*

MEDITATIO XII.

1 Reſuſcitatio in eo differt à Reſurrectione, quòd illa eſt actio, qua Deus mortuum revocat ad vitam, undè ſe tenet ex parte Dei vitam reſtituentis ei, qui è vita deceſſit. Reſurrectio verò eſt paſſio, qua defunctus recipit eſſe, & cum nobis notior ſit effectus, qui videtur de mortuo vivus, & cauſa ſit ignota oculis noſtris, nota verò fidei noſtræ, uſitatior eſt terminus ſe tenens ex parte reſuſcitati, nempè Reſurrectio, quàm terminus Reſuſcitationis ſe tenens ex parte reſuſcitantis.

2 Eſt autem duplex reſurrectio, una ordinaria, & univerſalis, qua omnes mortui reſurgent in die ultimo judicii, Job. 19. 25. *In noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*. S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. à num. 12. ad 54. probat reſurrectionem mortuorum, & concludit, quòd eo die omnes reſurgemus. Res ergò certa eſt de fide. Altera eſt extraordinaria, & particularis, per quam Deus ex ſingulari privilegio revocat ad vitam hunc vel illum mortuum, extrà finale Judicium, ex interceſſione, & meritis ſanctorum ſuorum. Ad primam reſurrectionem mors nulla ſequitur, uti ad ſecundam, per quam reſuſcitati iterùm mori debent, ut cum aliis pari conditione poſſint reſurgere. De ſecunda potiſſimùm hîc ſermo erit prima,

non

non excluſa. Et ſicut de fide eſt reſurrectio univerſalis, ut dictum eſt, ita & de fide ſecunda, quòd ſcilicèt Deus reſuſcitet mortuos ex meritis Jeſu Chriſti, qui quampluribus reſtituit vitam mortuis, ut legitur in Evangelio, in quo de ſolis tribus fit mentio, ut dixi Medit. 3. q. 11.

3 Nulli dubium eſſe debet, quòd reſuſcitare mortuos, eſt miraculum, & quidem principale in primo gradu, ita quòd nulli creaturæ competat reſtituere vitam jam mortuis, ex illo communi axiomate Ariſt. 2. de Gener. quòd à privatione ad habitum non datur regreſſus, quæ enim corrumpuntur ſecundùm ſubſtantiam non redeunt eadem numero, ſed tantùm in ſpecie, ut experientia patet. Reſtat ergò, quòd reſuſcitare mortuos ſpectat ad eum ſolum, qui habet potentiam infinitam, quæ dicitur omnipotentia; ſed hæc in ſolo Deo reperitur, ergo ipſe ſolus poteſt revocare ad vitam mortuos.

4 Confirmatur id, quia major virtus requiritur in producente res ex nihilo, quàm in reparando deperditas, cum in reparatione aliquid ſupponatur, & non in prima productione, cum ſit ex nihilo; ſed ſolus Deus creat, & producit ex nihilo, ergò & reparat deperditum à fortiori, cum minor virtus in hoc exigatur. Deindè ille ſolus poteſt reſtituere vitam, qui poteſt animam creare, nam reſurrectio eſt reunio animæ ſeparatæ ad ſuum corpus; ſed ſolus Deus eſt creator animarum intellectualium, ergò & ſolus earum reunitor corpori.

5 Non ſolùm Chriſtus reſuſcitare poteſt mortuos uti præcipuum, & principale inſtrumentum divinæ omnipotentiæ ex ſuis meritis, verùm etiam quilibet ſervus Dei non ſolum in hac vita, verùm etiam poſt mortem, implorando divinum auxilium; undè Sanctus Pater Franciſcus dum viveret quatuor reſcuſitavit mortuos, & poſt mortem viginti ſex revocavit ad vitam.

6 Non ſolùm homines revocantur ad vitam, ut de fide tenendum eſt, ſed etiam bruta ad beneficium, & utilitatem hominis, nam S. Silveſter taurum reſuſcitavit, ut in ejus vita legitur, refert Scotus in 4. diſt. 43. q. 1. num. 5. præſentibus Conſtantino, & Helena matre ejus noviter converſis, ut in fide magis confirmarentur;

7 & mirabilius eſt dare vitam animali irrationali, cujus anima erat jam corrupta, quàm revocare hominem ad vitam, cujus anima ut immortalis non poteſt corrumpi, ſed à corpore ſeparata ipſa adhuc vivit; reſurrectio ergo mortuorum conſiſtit in reunione animæ corpori, quod revivificat.

8 Probatur autem reſuſcitatio mortuorum, ſuppoſita ſeparatione animæ à corpore, per actus vitales à reſuſcitato exercitos; undè, Chriſtus puellæ duodecim annorum Marci 5. 42. juſſit ambulare, & ut ei daretur aliquid manducare. *Puella, tibi dico, ſurge; & Confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat; & dixit dari illi manducare.* Revocavit ad vitam unicum viduæ filium Lucæ 7. 15. *Adoleſcens tibi dico: Surge, & reſedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Probatur hoc miraculum tribus actibus, nam ſurrexit è catalecto,

cto, & reſedit, atquè cæpit loqui. De Lazaro quatriduano, Joan. 11. 43. *Lazare veni foras & ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire.* Reſurrectio probatur per exitum à ſepulcro, & ambulationem ejus, poſtquam ſolutus fuit. Probatur ergò miraculum per opera vitæ facta à mortuo reſuſcitato, ut notavi etiam Medit. 3. q. 11. num. 31. & 32

9 Platonici prædictis obſtare videntur, dum aſſerunt eadem numero individua naturaliter redire, & animas reverti ad ſua corpora, quæ alias vivificabant, poſt circulationem perfectam ab octava ſphera, nempè poſt triginta ſex mille annos, aut quadraginta novem mille annos ex Alphonſinis tabulis. Hoc ſi eſſet verum tolleretur ratio miraculi à reſurrectione mortuorum, dum animæ naturalirer redeunt ad ſua corpora, & non ſupernaturaliter, & miraculosè. Hunc errorem ex antiquis referunt *D. Auguſt. tom. 5. lib. 12. de Civit. Dei cap. 13. cum aliis Maſtrius diſp. 5. de Generat. num.* 154. & ab illis impugnatur, tum auctoritate ſacræ Scripturæ, tum rationibus.

Auctoritas eſt S. Pauli ad
10 Rom. 6. 9. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia etiam ſimul cum Chriſto vivemus, ſcientes, quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Igitur ſi homo cum Chriſto vivit, qui non ampliùs moriturus eſt, ſequitur, quòd nec homo amplius eſt moriturus; ergo poſt circulationem tot annorum non redibit naturaliter, cum mortui, non viventes dicantur redire. Idem ad Theſſalon. 4. fine dicitur: *Et ſic ſemper cum Domino erimus.* Poſt finem mundi reſurgentes cum Domino ſemper manebunt ſancti Dei cum ſuis corporibus, & animabus, undè tollitur iſta circulatio animarum, cum non poſſint animæ ſeparari à corporibus, quibus in æternum erunt unitæ, non ſolum in Paradiſo, ſed etiam in inferno animæ damnatorum. David in Pſal. 11. 8. deteſtatur hunc errorem his verbis: *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos, à generatione hac in æternum.* Tui ſumus ſervi, confidimus in te, quòd nos conſervabis tecum in æternum, nec timemus animarum noſtrarum tranſmigrationem platonicam, quia fabuloſa eſt.

11 Ratione probatur fabuloſum eſſe placitum Platonicorum. *Primò*, quia reſpectu beatorum ſequeretur, eorum beatitudinem eſſe inanem, ad tempus, & fictam tantùm, cum eſſentialiter vera beatitudo ſit æterna, & perpetua; animæ igitur ſanctæ eam relinquere non poſſunt. *Secundò*, ſequeretur hominum cognitionem eſſe ſolum reminiſcentiam, dum enim animæ rationales redirent ad ſua corpora, nihil addiſcerent de novo, ſed eorum ſcire nihil aliud eſſet, quàm reminiſcentia, quod abſurdum eſt, cum notum ſit dari ſcientiam, & novam cognitionem, quæ reminiſcentia non eſt. *Tertiò*, ratio, quam Platonici adducunt, nullius eſt momenti, hæc eſt, quia eadem cauſa redeunte idem

quoq;

quoq; effectus redit; completa autem circulatione octavæ Sphæræ corpora cœleſtia, redibunt ad eundem ſitum, & eundem numero motum reſument, quem priùs fecerant, conſequentèr eundem numero effectum producent. Hæc ratio, inquam, nullius eſt momenti, imò falſa, quia cum ab Aſtrologis ſit obſervatum patenter varios eſſe motus cæleſtium orbium, ſequitur
12 neceſſariò ex eorum varietate non poſſe ad eundem ſitum, locum, & aſpectum redire, ex Clavio cap. 1. Sphæræ Verſ. De periodis motuum. Adde, quòd ad identitatem effectus non ſufficit eadem cauſa, ſed prætereà eadem materia; experientia autem conſtat, quòd materia non ſemper remanet eadem, ſed mutatur, diſſipatur, & in varios ſitus diviſa diſpergitur, ſicut vita hominis, quæ numquàm in eodem ſtatu permanet, ut dicit Job, ſed continuò fluit.

13 Alii negant, individuum corruptum idem numero redire poſſe, non ſolùm naturalitèr, ſed etiam ſupernaturalitèr, & hic fuit error, & hæreſis Stoicorum, & Sadducæorum, qui poſuerunt animam mortalem, & reſurrectionem dixerunt impoſſibilem, Tertul. de præſcript. Hæret. cap. 7. Vide Prateolum in ſuo Elenchorum, in quo quamplures hujus erroris ſectatores refert V. Reſurrectio.

14 Sadducæi negantes reſurrectionem mortuorum cum Chriſto diſputaverunt, ut legitur Matth. 22. 23. *In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo; erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus uxore ducta, defunctus eſt, & non habens ſemen, reliquit uxorem fratri ſuo; ſimilitèr ſecundus, & tertius uſque ad ſeptimum; noviſſimè autem omnium, & mulier defuncta eſt. In reſurrectione ergò cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim habuerunt eam.* Hoc eſt argumentum illorum, qui negabant reſurrectionem. Dicta lex Moyſis habetur in Deuter. cap. 25. num. 5. ad 10. Septem ergò fratres ſucceſſivè eandem mulierem in uxorem duxerunt, fuit ergò ſterilis, dum cum ſex primis ſemen non habuit, in reſurrectione cujuſnam erit uxor? Reſpondit Chriſtus: *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei; in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Poſt diem judicii ceſſabit generatio, undè deinceps non erit neceſſarium matrimonium, conſequentèr non erit opus illi mulieri quærere virum ſuum, ligamen enim matrimonii ſolvitur morte, itaut ſi conjugati jam defuncti reſurgerent, non eſſent amplius tales, ſed fornicarii, ſi copulam haberent ad invicem, niſi novo matrimonio denuò conjungerentur, nam matrimonium morte ſolvi-
15 tur, *Paulus 1. ad Corinth. 7. 19. ad Roman. cap. 7. 2. & ſeq.* Chriſtus vocat illos errantes, & ignorantes ſcripturas, & virtutem Dei, nam non legerant in lib. 3. Regum 17. ubi narratur, quod Elias mortuum reſuſcitavit
16 hoc modo, nu. 20. *Clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus etiam ne viduam, apud quam ego*

ego utcunque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus; & expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus, revertatur obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, & reverſa eſt anima pueri intrà eum, & revixit. Tulitque Elias puerum, & depoſuit eum de Cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ. Et ait illi: En vivit filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam. Nunc in iſto cognovi, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Mulier, cujus filius fuit reſuſcitatus ab Elia,

17 erat de Satephta Sydoniorum; hunc ejus filium dicunt Judæi eſſe Jonam de ventre Cœti liberatum, ut notat D. Aug. tom. 3. lib. 2. de mirabil. Sacræ Script. cap. 17. Prævia actio ad miraculoſam reſurrectionem fuit triplex expanſio ſui ipſius ſuper puerum, ſine qua de facto non contigiſſet miraculum; fuit enim conditio ſine qua anima non fuiſſet reverſa in corpus pueri. Signat autem ea triplex inclinatio Eliæ ſuper puerum opera Sanctiſſimæ Trinitatis; nam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti opera ad extrà, cujuſmodi eſt operatio miraculorum, ſunt indiviſa, tribus perſonis communia, ut obſervat in hoc miraculo S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 201. de temp. Elias autem ab ea vidua honoratur,

18 dum vocatur ab ea *vir Dei*; his enim tantùm conceditur gratia faciendi miracula, *vir* quidem dictus à virtute, & poteſtate faciendi miracula, quo nomine noluerunt appellare nuntii Ochoziæ 1. Reg. 1. ſed dixerunt *Homo Dei, feſtina, deſcende*, neque enim credebant, ipſum poſſe liberare eorum Regem ab infirmitate.

19 Eliſæus, ut legitur 4 Reg. cap. 4. à Deo impetravit filium Sunamitidi, quæ multo tempore ſtetit cum ſuo viro jam ſene, quem mortuum revocavit ad vitam hoc modo, ut ibidem legitur ſub num. 32. *Ingreſſus eſt ergò Eliſeus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus, ingreſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & oravit ad Dominum, & aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. At ille reverſus deambulavit in domo ſemel, huc, atquè illuc; & aſcendit, & incubuit ſuper eum; & oſcitavit puer ſepties, apervitque oculos.* Poſt hæc vocavit Sunamitidem per Giezi ſervum ſuum, qui non potuerat cum baculo Eliſei reſtituere illum ad vitam, ut filium ſuum tolleret jam vivum. Propheta fecit multa, in reſuſcitatione hujus pueri, nam *Primò*, oravit ad Dominum, à quo petiit gratiam, ut fecit etiam Elias ejus magiſter. *Secundò*, incurvavit ſe ſuper eum, & calefecit carnem ejus, quaſi diſponendo eam ad receptionem animæ. *Tertiò*, ſemel deambulavit in domo, quaſi expectans gratiam à Deo. Demùm iterùm incubuit ſuper eum, & ſtatim oſcitavit ſepties, & apervit oculos.

20 Sed hinc oritur difficultas, ſub quanam ex dictis actionibus, Deus reunivit animam corpori pueri defuncti? Crederem Deum ad vitam puerum revocaſſe ſtatim ac ſecunda vice incubuit ſuper eum, nam per oſcitationem, & ape-

& ape-

& aperitionem oculorum, quæ ſunt actiones vitales viventium, probatur puerum fuiſſe tunc vivum; non enim mortuus oſcitat, nec aperit oculos; poteſt verò caro mortua calefieri ab extrinſeco, quod non arguit vitam, cum non talis calefactio ſit actus vitalis.

21 Eliſeus, ut legitur eodem 4. Regum 13. 21. tanti meriti fuit apud Deum, ut ad tactum oſſium ejus mortuus revixerit: *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, ſurrexit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Surrectio, & ſtatio ſuper pedes demonſtrat miraculum. Imò ſola ipſa ſurrectio ſufficienter videtur miraculum probare, quia nullus mortuorum ſtat in pedibus ſuis, ſed jacet, vel adhæret ſolido. Mortuus igitur probatur reſuſcitatus, vel cum ſe ſolo ſinè alterius adjutorio ſe erigit in pedes, vel etiam jacens ſe movet, loquitur, vel manducat, oſcitat, aperit oculos, vel quemcunque alium vitalem actum facit.

22 Ex allatis miraculis Eliæ, & Eliſei de reſurrectione mortuorum apparet; quàm rectè Chriſtus dixerit Sadduceis: *Erratis ignorantes Scripturas*, quæ ſcilicet verba faciunt de mortuis reſuſcitatis à prædictis ſanctis in virtute Dei, cui omnia ſunt poſſibilia.

23 Nonnulli etiam Catholici, quos refert Meldulenſis *diſp.* 5. *de Gener.. num.* 154. *Verſ. Secunda opinio*, negant, ullum individuum, excepto homine, idem numero redire poſſe, etiam per ſupernaturalem potentiam, conſequenter Deum non poſſe revocare ad vitam aliquod animal irrationale, & ſic tollitur miraculum factum à S. Silveſtro, de quo ſupra ſub num. 6. & ab aliis ſanctis.

24 Sed errant, quia ſicut reſurrectio in mortuis hominibus non implicat, ita neque in brutis reſtitutis ad vitam in beneficium ipſorum hominum; nec obſtat diſcrimen, quòd hominis mortui remanent materia, & forma, anima ſcilicet, quæ eſt immortalis, ac proindè non implicat eas à Deo denuò reuniri, ſicut implicat hæc reunio in brutis, quorum animæ ſunt corruptibiles; nam Deus non minus potens eſt in revocando ea, quæ fuerunt, quàm ea, quæ numquam fuerunt, ſed his tribuit eſſe, ergò à fortiori eis, quæ aliquando fuerunt, cum minor virtus in his requiratur.

25 Demùm nonnulli concedunt regreſſum ejuſdem etiam naturaliter, ac proindè per hoc videntur tolli ſimpliciter miracula, nam probant *Primò* ex Eccleſ. 1. 9. *Quid eſt, quod fuit? ipſum quod futurum eſt? quid eſt quod factum eſt? Ipſum, quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum. Nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt; Jam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt antè nos.* Hæc enim auctoritas planè probat ſententiam Platonicam, quòd præterita redeunt ſtatutis temporibus, conſequenter reſurrectio mortuorum fit ſecundùm curſum naturæ, & non præter illius ordinē, & miraculosè.

26 Contrà eſt, quia ibi textus intelligendus eſt, quòd eadem redeunt ſecundùm ſpeciem, & genus, non ſecundùm numerum; quia individua ſecundùm naturæ curſum generativum eadem numero non redeunt, ſub ſole ergò nihil eſt novum, ſed quod eſt fa-

ctum, eſt ipſum futurum, quò ad ſpeciem; nam in creatione mundi productæ fuerunt omnes rerum ſpecies, adeò quòd novæ, nec recentes ampliùs fiunt, ut tradunt Theologi cum D. Thoma part. 1. q. 73. art. 1. ad 3.

27 Secundò probant, quia aqua diviſa in plures partes ſeipſam reunit, & fit eadem numero aqua, ut ante erat, ergo idem dici poteſt de aliis rebus; & ſic anima rationalis ipſa poteſt ſe reunire ſuo corpori, ad quod habet naturalem inclinationem, quam non perdidit per eam ſeparationē.

28 Contrà eſt primò, quia in reunione diverſarum partium aquæ admittitur id naturaliter, quia nihil in ea corruptum fuit, ſed tantùm facta diviſio quantitatis, quę corruptionem non arguit, ideò mirum non eſt, ſi redeunt in unum per ablationem diviſionis; in corruptis autem non fit reunio ſecundùm naturam, quia non datur agens naturale ſic reuniens, cum reparare non poſſit corruptum. *Secundò* dici poteſt, eandem non redire unionem, quia regulariter non reunitur eodem modo, quo erat prius unita. *Tertiò* id negari poteſt abſolutè ab iis, qui tenent cum Scotiſtis quibuſdam totum eſſe quandam tertiam entitatem; undè diviſa aqua, deſtruitur illa tertia entitas, quę certè naturalitèr redire non poteſt, dum non eſt.

29 Tertiò probant, quædam corrupta redeunt, & viribus naturæ reuniuntur, ut patet experentia in auriculis, & naſo præciſis, quę partes reuniuntur, & canonicis medicationibus reviviſcunt, ſicut antequàm præciderentur.

30 Contrà eſt, quia in animalibus animam habentibus diviſibilem, auricula arte conjuncta, non informatur, nec vivificatur antiqua anima, ſed nova, ideò non eſt eadem numero. In homine verò redit eadem pars præciſa, quia non obſtante præciſione, & poſita ea aglutinatione, anima ſe extendit ad eam vivificandam.

31 Nec dicas, ergò quòd Chriſtus reſtituerit auriculam Malco præciſam à Petro Lucæ 22. 51. *Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum* non fuit miraculum. Nec ſanctus Antonius miraculoſè tibiam reſtituit ei, qui ſibi eam amputaverat. Nec Sanctus Franciſcus miraculum fecit, cum vas contritum integrum reſtituit cuidam mulieri devotæ illius; & diviſum vomerem conjunxit, & ſolidavit cuidam aratori lib. 3. Cronicor. cap. 18. par. 1. in fine.

32 Quia reſpondetur, ea vera fuiſſe miracula, quia ſinè aliquo remedio ſancti Dei, ſolo Crucis ſigno, & incontinenti reſtituerunt membrum præciſum, & rem confractam, natura autem non ſic operatur, ſed mediàtibus remediis.

33 Quartò probant, quia identitas numerica effectus dependet ab eadem cauſarum combinatione, & influxu ſecundùm Ariſtotelem 8. Metaph. cap. 11. & 12. & lib. 12. cap. 11. ubi dicit, quòd ſi eadem materia, & agens idem permaneant, eundem ab illis produci effectum; ſed quandoq; redeunt ſimul eædem cauſæ cum eiſdem circumſtantiis, licèt non redeat idem tempus, quod non eſt neceſſarium ad identitatem numericam effectus; ergò idem effectus numero naturalitèr reproduci poteſt, eiſdem exiſtentibus cauſis.

34 Contrà eſt, quia non obſtante

ea

ea combinatione; cauſæ adhuc
dicuntur indifferentes ad plures
numero effectus, ac proindè à
Deo determinandæ ſunt. Ariſto-
teles autem loquitur de identitate
ſpecifica, non autem de numerica.
35 Quintò probant experientia
muſcæ, quæ ſuffocata in aqua re-
viviſcit expoſita ſoli, vel in ci-
nere tepida involuta, modò non
fuerit læſa in organis, ut tradit
Lucianus Philoſophus relatus à
Meldul. diſput. 5. De Gener.
nu. 175. ubi hoc, & præceden-
36 tia argumenta reſolvit.
Contrà eſt, nam conceſſa ea
experientia, non eadem numero
redit muſca, ſed alia, nec mi-
rum, quia ſimilia animalia faci-
lè recipiunt eſſe ex putri mate-
ria, calore ſolis operante. Vel die
reverà eandem muſcam non re-
renaſci, ſed eam conſopitam recu-
perare vires debilitatas, non extin-
37 ctas per ſubmerſionem in aquam.
Eſt ergò articulus de fide, quòd
datur reſurrectio mortuorum; non
ſolùm generalis in die judicii, ſed
etiam particularis, ut probatum
fuit ſuprà; & confirmatur, quia
reſurrectio, ſeù quòd idem jam
deſtructus redeat effectus non
repugnat, neque ex parte Dei,
neque ex parte ipſius effectus.
Non ex parte Dei, quia ſemper
eſt idem, & omnipotens, atquè
immutabilis. Ex parte creaturæ
38 non apparet implicantia, quia in
eſſe poſſibili erat creabilis, ergò
ſi poſt creationem, & productio-
nem corrumpatur, ſeù annichile-
tur, adhuc remanebit cum illa
natura creabilitas; nam utrum-
què non eſſe, ſcilicèt antè crea-
tionem, & poſt annihilationem
eſt ejuſdem rationis, & conditio-
nis, ergò ſicut antè creationem
poterat à Deo creari, ità & re-
creari poſt annichilationem; ea-
dem enim res eſt in creatione, &
recreatione, ut patet, cum utriuſ-
39 que ſit eadem eſſentia. Prætereà
non magis diſtat impoſſibile à
poſſibili, quàm poſſibile ab im-
poſſibili, cum diſtantia menſure-
tur eiſdem extremiti; ſed per
nullam potentiam impoſſibile fie-
ri poteſt poſſibile, cum impli-
cant in terminis, ergò per nullam
potentiam poſſibile poteſt fieri
impoſſibile, ergò ſi eſt poſſibile,
à Deo reduci poteſt ad actum.
Alia vide apud præcitatum Mel-
dulenſem.
40 Sed opponunt prędictis primò
illud axioma. Ad præteritum
non eſt potentia, ex Ariſt. 6. Æth.
cap. 2. hoc ſolo privatur Deus,
ingenita facere, quæ facta ſunt;
ſi enim faceret præſens, quod
præteritum eſt, illud denuò pro-
ducendo, præteritum faceret, non
præteritum, quia quod eſt præ-
ſens, non eſt præteritum, cum hęc
ſimul eſſe non poſſint; ergò idem
numero reproduci non poteſt,
conſequentèr non eſt dabilis re-
ſurrectio mortuorum.
41 ℞. Ad præteritum non dari po-
tentiam negativè, ſeu redupli-
cativè, hoc eſt, ut id, quod aliàs
fuit, non fuerit; dari verò poſi-
tivè, & ſpecificativè, hoc eſt,
quòd aliàs fuit, iterùm ſit futu-
rum. Et ſic ſequitur, præteri-
tum non eſſe præteritum, reſpe-
ctu temporum, utiquè reſpe-
ctu reproducti, nam aliàs fuit
præteritum, nunc verò præſens,
ſicut aliàs fuit etiam præſens rela-
tivè ad præcedentem præſentiam,
nunc non exiſtentem, ſicut exi-
ſtit præſens. Datur ergò potentia
non ad præteritum tempus, quod

non revocatur ad eſſe, ſed ad rem
præterito tempore corruptam, ut
modò ſit, ſicut aliàs fuit.

Opponunt ſecundò, quòd res
42 reproducta haberet duplex eſſe,
& duplicem durationem, & exi-
ſtentiam, quia coexiſteret duo-
bus temporibus inter ſe diſtin-
ctis, quod repugnat, quia tunc
non eſſet eadem res, ſed duæ
res.

℟. Sicut unica eſt eſſentia rei
43 reſpectu ſui ipſius productæ, &
reproductæ, ita unica eſt exiſten-
tia, & intrinſeca duratio reſpi-
ciens duo tempora, quæ ſicut
non diverſificant eſſentiam rei,
ita nequè dicunt duas exiſtentias,
& durationes, dum utriſque tem-
pus eſt extrinſecum.

44 Opponunt tertiò, reprodu-
ctio repugnat identitati, & unita-
ti rei, quia ponit numerum quem
negat identitas, & unitas, ergò
implicat eandem numero rem re-
produci.

45 ℟. Numerum non poni in ipſa
re, ſed in tempore extrinſeco, ſe-
cundùm differentias præteriti, &
præſentis; ideò reproductio non
repugnat unitati rei, ſed tempo-
ris tantùm unitati, cum ſit du-
plex, ipſa verò res unica unita-
te ſuæ eſſentiæ numericæ.

46 Opponunt quartò, quia iden-
titas effectus pendet ab entitate
actionis, nam actiones diſtin-
guuntur per terminos, & è con-
trà, nam ambo ad invicem iden-
tificantur, ex 3. Phyſic. tex. 47.
Sed Deus non poteſt eandem
actionem reproducere, quia non
poteſt efficere eundem motum,
nec tempus, à quibus pendet
unitas actionis ex lib. 5. Phyſic.

47 ℟. Falſam eſſe majorem, & mi-
norem. Ratio ejus eſt, quia idem
effectus poteſt eſſe terminus di-
verſarum actionum, & etiam
agentium conjunctim ſumpto-
rum, ut probat Meldul. diſp. 8.
Phyſic. q. 3. art. 1. & diſp. 5. de ge-
nerat. num 159. ad hoc 4. arg. ubi
etiam negat minorem, quia ea-
dem actio productiva eſt etiam
conſervativa rei permanentis, ac
proindè eadem eſt actio numero,
& tempus diverſum. Vel dic
cum Scoto in 2. diſt. 20. q. 2. quòd
ut aliquis effectus dicatur unum
numero, ſufficere, ſi habeat ean-
dem numero materiam, & for-
mam, undè in reſurrectione mor-
tuorum reſurgent omnes, ſicut
erant, dum mortui ſunt, nempè
cum eadem materia, & anima ra-
tionali, eſto actio reproductiva
eſſet alia ab actione primò pro-
ductiva, cum tale exercitium
tranſeat, nec ſit de ratione ter-
mini producti.

48 Opponunt quintò, quia res in
ſua reproductione non inciperet
per primum eſſe, eò quòd anteà
habuerat eſſe, nec per non ulti-
mum eſſe ob eandem rationem;
ergò implicat reproductio, cum
49 nullo modo reincipiat.

℟. Reproduceretur per unum
ex illis, non ſimplicitèr, nec ab-
ſolutè, ſed relativè ad primam
productionem; ex hoc enim di-
citur reproductio, & non produ-
ctio, quæ relationem aliquam
non dicit.

50 Opponunt ſextò, quia tempus
medians inter corruptionem, &
reproductionem divideret, & di-
verſificaret reparatum à corrupto,
conſequentèr non eſſet idem,
quod fuit corruptum, ſed diver-
ſum.

51 ℟. Tempus intermedians repro-
ductum non dividit in ſua enti-
tate

tate à corrupto, ſed ipſum tempus patitur hanc diviſionem, quæ ad ipſum refertur, non ad ipſam rem, ſicut idem homo in pluribus locis ſimul exiſtens nullam patitur in ſua entitate diviſionem, ſed loca ipſa, in quibus eſt, inter ſe diviſa, & diſtantia.

52 Opponunt ſeptimò, quia Deus per ſuam liberam voluntatem modò plus non poteſt facere, quàm ſi neceſſariò ageret; ſed ſi ageret neceſſariò, & interrupta actione, non poſſet reproducere ampliùs eundem effectum. Et id ſuadetur; nam ex hypotheſi ſi Pater in divinis interrumperetur à ſua actione, qua neceſſariò producit Filium, non ampliùs eundem generaret, ſed alium, ſi iterùm generaret.

53 ℟. Verum quidem eſt, quòd Deus per liberam voluntatem plus operari poteſt, quàm per neceſſariam actionem, quia eſt ad plures effectus, hæc verò ad determinatos; hinc tamen non infertur interruptam actionem redire non poſſe, & ſuppoſita ea hypotheſi non alius Filius, quia eſt impoſſibilis, ſed idem omninò generaretur.

Sed hæc ſufficiant ad præſens inſtitutum, ex quibus conſtat, reſurrectionem hominum, & etiam reditionem animalium, & vegetantium, licèt corruptorum, eſſe poſſibilem, & non implicare, neque reſpectu Dei, neque reſpectu ipſarum rerum, quia ut di-
54 cit S. Paulus ad Rom. 4. 17. *Deus vivificat mortuos*, ideſt homines reſtituit ad vitam, *& vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea, quæ ſunt*. Deus ergò nullam facit differentiam inter ea, quæ corrupta ſunt, & inter eadem exiſtentia; ſua enim omnipotentia facit reviviſcere corrupta, ſicut eadem vocavit antè corruptionem ad eſſe. Nec obſtat, quod dicunt nonnulli, eundem numero effectum exigere eandem numero actionem, quia actio importat rem ipſam in fieri, ſi ergò hoc fieri eſt diverſum, non poteſt factum eſſe; & terminus eſſe idem; ſed actio præterita agentis naturalis redire nequit eadem numero, quia non adeſt idem motus, idem tempus, à quibus pendet unitas
55 actionis. Quia reſpondeo, falſum eſſe unitatem effectus dependere ab eadem numero actione, cum idem à diverſis actionibus provenire poſſit: ut dixi etiam ſuprà, & prætereà falſum quoque eſt, eandem actionem dependere à motu, & tempore eiſdem; cum manifeſtum ſit actionem eandem productivam, & conſervativam manere, & motum, atque tempus continuè variari, & non eſſe idem.

56 Notandum eſt, reſurrectionem mortuorum non ſolùm cedere in beneficium eorum, qui reſurgunt, verùm etiam contingere in utilitatem aliorum. Produco duo miracula, unum ſit de S. Stanislao Epiſcopo, & martyre in ejus lect.
57 5. die 7. Maii: *Erat tùm Poloniæ Rex Boleſlaus, quem graviter offendit, quòd illius notam libidinem publicè arguebat. Quare in ſolemni conventu Regni Stanislaum per calumniam in judicium coram ſe vocari curat, tamquam pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coemerat. Quod cum neque tabulis probare poſſet, & teſtes veritatem dicere timerent, ſpondet Epiſcopus, ſe Petrum Pagi venditorem, qui triennio ante obierat, intrà tres dies in judicium addu-*

adductum. Conditione cum riſu accepta, vir Dei toto triduo jejuniis, & orationi incumbit, ipſo ſponſionis die, poſt oblatum miſſæ ſacrificium, Petrum è ſepulchro ſurgere jubet, qui ſtatim redivivus Epiſcopum ad regium tribunal euntem ſequitur; ibiq; rege, & cæteris ſtupore attonitis de agro à ſe vendito, & pretio ritè ſibi ab Epiſcopo ſoluto teſtimonium dicit, atquè iterùm in Domino obdormivit. Impius Rex iracundia furens Sanctum Epiſcopum celebrantem obtruncat. Homo igitùr pro homine reſurgit divina viſione, & teſtificatione depoſita, obiit iterum in Domino.

Etiam animalia in vitam revocantur pro beneficio hominum, & non tantùm homo pro homine, ut legimus, nam Joannes Tamayus Salazar tom. 3. ſui Martyrologii Hiſpani ad 12. Maii in vita S. Dominici Calciatenſis confeſſoris Eremitæ refert ſequens admirabile miraculum, his, verbis.

58 *Ibant conjuges pii Compoſtellam, & trahebant pietatis ſuæ Comitem filium forma liberali juvenem. O ut periculosè Caſtitas peregrinaris! ad S. Dominici Calciatenſis urbem perveniunt; hoſpitis filia oculis capta adoleſcentis capere etiam ipſum vititur. Evadit hic amoris laqueos, ſed non odii. Subdola enim inter ſarcinulas Caſtiſſimi juvenis argenteum craterem condit, & abeuntem de furto accuſat. Damnatur, ducitur, & in furcâ tollitur, ſed non moritur innocentia. Dum enim mæſti parentes iter relegunt, dum ægrè & pedes trahunt, & animas ſenectutis Scipione filio amiſſo, dum frui illos vel pendentis aſpectu juvat, ecce ab infelici arbore filius: quid vivo lacrymis filio parentas mater? Vivo, B. Dominico ſubſtollante: ideſt judici dic, ne damnare pergat, quem mors abſoluit. Vix hæc ille ad matrem, cum mater hoc ad judicem refert menſæ accumbentem. Hic, tàm ſcilicèt filius tuus vivit, quàm aſſus hic cum gallina ſua gallus, qui lautus, unctuſque ſepulchrum ſtomachum expectat. Jam carpere parabat cum gallus, & gallina in vitam ſe erigunt, innocentiæ victrici alis applaudunt, gallus etiam penna canit. Ergò damnat ſeipſum judex, & innocentem miſſum facit. Volucrum verò proles poſthuma etiam hodiè plumas ſuas cum laudibus S. Dominici Calciatenſis in omnem orbem ſpargit, nunquàm omnes, licèt tot quotidie evellicunt, evellendas.*

59 B. Franciſcus vulgariter Cichus Piſaurienſis Tertii ordinis S. Franciſci habebat gallum pro ſuo ſolatio, & dum ægrotaret, occiſus fuit, admiratus, quòd non ſentiret ejus cantum, quo ſervum Dei ſingulis ferè horis excitabat ad divinas laudes, interrogavit Fratres, cur gallus ampliùs non cantaret, reſponderunt, eſſe occiſum, & jam implumem factum, ut coquatur pro eo Dixit ægrotus: Afferte mihi gallum, quem injuſtè occidiſtis monitorem meum ad horas diurnas, & nocturnas ſolvendas, ad quem antè ſe delatum, & implumem, & habentem in ſuis manibus dixit: Galle tecum iniquè actum eſt, tu me à ſomno mortis imagine, vocabas ad vitam, ego Deum deprecor, ut tibi nunc vitam ſublatam reſtituat. His dictis plumis, & vita reſumptis volando cæpit cantare, ut antea ſolebat. Ex vadingo tom. 3. ad annum 1350. num. 12.

MEDI-

MEDITATIO XIII.

De Miraculoſa Apparitione Sanctorum.

1 *APparere eſt ab alio videri.*
2 *Miraculoſus effectus Apparitionis contingit primò per Spiritus.*
3 *Secundò per corpus in pluribus locis.*
4 *Deus apparet hominibus, & quomodò non videtur ab eis.*
5 *Non apparet itaut videatur ejus eſſentia, ſed aliquod corpus.*
6 *Angelus format ſibi corpus, & in eo movetur, & loquitur.*
7 *Sed id accidit miraculosè Dei juſſione.*
8 *Pari modò anima ſeparata format corpus, & illud movet.*
9 *Sed miraculosè Deo ordinante.*
10 *Moyſes vidit Deum facie, ad faciem.*
11 *Et non in ænigmate, ſed palàm ore ad os loquendo.*
12 *Nullus oculus corporeus Deum unquàm vidit.*
13 *Deus non aſſumit corpus, ſicut Angelus, & anima.*
14 *Deus per Angelos apparet, & loquitur.*
15 *Moyſes loquebatur cum Deo facie ad faciem, hoc eſt, intellectu.*
16 *Angeli, & Animæ aſſumunt corpora aerea.*
17 *Nec tunc cum apparent, deſerunt Paradiſum.*
18 *Samuelis excitati hyſtoria narratur.*
19 *A Deo, non à Pithoniſſa reſuſcitatur.*
20 *Apparitiones Sanctorum dicuntur viſiones, ex parte apparentium.*
21 *Transfiguratio Chriſti miraculoſa.*
22 *Sancti Benedictus, & Franciſcus viſi in paradiſum volantes.*
23 *Felix III. vocavit in Cælum Tharſillam neptem ſuam.*
24 *Cum Leone Papa Sanctus alius Pontifex apparuit contrà Attilam.*
25 *Theodoſius Rex impius viſus demergi in ignem Liparitanum.*

MEDITATIO XIII.

1 ILle dicitur apparere, qui ſe ponit in conſpectu aliorum, ut ab illis videatur talis, qualis apparet. Is autem actus apparitionis eſt naturalis in apparente corporeo, quod videntium terminat viſionem, hujus autem potentiæ objectum, eſt corpus coloratum, hoc eſt, illuminatum, ſine enim lumine nihil videri poteſt.

2 In duobus autem caſibus effectus apparitionis dicitur miraculoſus. Primo, cum Spiritus, nempè Deus, Angelus, & Anima ſeparata appareret, non quidem in ſeipſis, quia ſpiritus oculo corporeo videri non poteſt, ſed in ſpecie corporis,

nam

nam non poſſunt apparere corporaliter, niſi in aſſumptis corporibus, ad hunc finem efformatis, & Deus non jubet hujuſmodi apparitiones, nec eas ordinat, niſi ad aliquem finem, ideò non apparent Angeli, nec animæ ſeparatæ, ut appareant, & videantur, ſed ut in ea apparitione aliquid operentur; nam Angelus Gabriel Mariæ apparuit eidem nuntians incarnationem Verbi, Raphael Tobiæ, ut comitaretur filium ſuum eundo, & redeundo uxore ducta. Apparitiones ergò ejuſmodi ſunt miraculoſæ, tum quia inſolitæ, tum quia raræ, tum quia à ſolo Deo procedunt; neque enim Angelus, nequè anima ſeparata comparent hominibus, niſi Deo præcipiente.

3 Secundo contingit miraculoſa apparitio, cum idem corpus humanum vivum in uno loco naturaliter exiſtens, non derelicto, apparet in alio diſtanti loco ex Divina virtute, ut id contigit multis ſervis Dei, dum in hoc ſeculo vixerunt, ſancto Ambroſio, qui interfuit funeri S. Martini; S. Franciſco apparenti in Capitulo Arelatenſi ſuis Fratribus; S. Antonio Concionanti in uno loco, & in alio cantanti Alleluja in miſſa, ut refert Vading. tom. 1. ad annum 1231. num. IV. Certum autem eſt, quòd idem corpus numero non poteſt ſimul reperiri naturaliter in pluribus locis, ergò ſi appareat, id erit miraculum.

Dices primò, quod reſpectu Dei non poteſt dari miraculum in apparitione, quia Deus nulli apparet, cum ab aliquo non ſit viſibilis, nam Exodi 33. 20. *Non videbit me homo, & vivet.* Joan. 1. 17. *Deum nemo vidit unquam*. Quare ſi non eſt objectum viſibile, nulli apparere poteſt, conſequenter nec in hoc dari poteſt miraculum, dum ejus ſubjectum dabile non eſt.

4 ℟. quod Deus apparuit hominibus, nam dicitur id expreſſè Geneſ. 12. 7. *Apparuit autem Dominus Abram*, iterùm cap. 17. 1. & alibi ſæpe fit mentio, quòd Deus multis Patribus apparuit, Jacob enim Geneſ. 32. 30. *Vidi Deum facie ad faciem*, idem teſtatur. Ideò hoc exiſtente vero, verum quoquè erit miraculum. Quoniam autem apparitio Domini duplex ſpectari poteſt, *primò*, quòd ipſe apparuerit hominibus repræſentando oculis eorum immediatè ſuam eſſentiam, & in hoc ſenſu intelliguntur præfatæ ſcripturæ, quòd ſcilicèt nemo unquàm in hoc ſeculo vivens vidit oculo corporeo Deum, id enim eſt impoſſibile, quia inter rem ſpiritualem, & corporalem nulla eſt proportio, ideò potentia oculi corporea non recipit in ſe ſpecies viſionis rei omninò immaterialis, quia talibus ſpeciebus omninò caret. *Secundo*, Dominus in ſacra Scriptura apparere hominibus non immediatè, ſed mediantibus figuris, ſimilitudinibus, & imaginibus corporeis ſeipſum homini repræſentans, juxtà illud Pauli 1. Corinth. 13. 10. *Videmus nunc per ſpeculum in enigmate*, obſcurè ergò Deus à nobis videtur dum ſe nobis repræſentat ſub figura humana, in forma Rubi comburentis

rentis, in columbæ ſpecie; ſub figura ergò corporali apparet, ut ſit objectum noſtris oculis proportionatum, quod humanam terminet viſionem.

Dices 2. Nec poſſe dari miraculum in apparitione Angelorum, quia nobis apparere non poſſunt, niſi in aſſumpto corpore, quod aſſumere poſſunt viribus propriis; nam illa formare poſſunt ex aere condenſato habentia membra non vera, ſed tantùm exteriùs apparentia ſub ſpecie verorum membrorum, *ex D. Thom. par. 1. q. 114. art. 1. ad 2. Becan. Cap. 1. de Angelis q.16.* Quare cum formatio corporum, & in eis locutio non excedat eorum vires, ſequitur eorum apparitiones non eſſe miraculoſas, ſed naturales.

℟. Eſſe miraculoſas; eſto enim ipſi poſſint condenſare aerem & formare corpus aliquod non verè tale, in quo appareant; non ideò per hoc tollitur hujuſmodi apparitionibus ratio miraculi, cum ſint inſolitæ, & præter ordinem naturæ, non propria auctoritate, ſed ex divina ordinatione appareant hominibus, & locutio in eis non ſit naturalis, cum corpus aſſumptum ab illis, careat veris organis ad promendam vocem, & loquelam, & nihilominus ipſi articulatè loquuntur; ergò hæc ab illis præſtantur ex ſpeciali Dei juſſione, ac proindè miraculoſè, cum nòn ſint actus vitales.

8 Dices 3. Animam rationalem nobis apparentem nullum facere miraculum in ſua apparentia, & locutione, quia ſicut Angelus formare poteſt corpus, ita & anima intra illud à ſe formatum, vel ab alio aſſumptum, exiſtere localiter, & loqui; habet enim talem virtutem ſibi innatam, neq; enim minoris virtutis eſt extrà proprium corpus, quod informabat, quàm dum erat in eo à ſe vivificato; ſicut ergò ſuum reale corpus naturaliter, & viribus ſuis movebat, ita & aliud non proprium movere poterit localiter, & ſecundùm locutionem; ergò in ejus apparitione, & locutione nihil eſt miraculi, cum naturaliter moveatur, & loquatur. Vide Scotum in 4. diſt. 10. q. 7. ex eo Meldul. diſp. 8. de Anima num. 27. & 32.

9 ℟. Sicut & de Angelis, quòd anima ſeparata hæc præſtare poſſit, non tamen hæc facit, niſi ex ſpeciali Dei juſſione, ſeu permiſſione, quod non caret miraculo, ut dicit S. Auguſt. tom. 4. de cura mortuorum Cap. 16. ubi, quòd S. Felix urbem Nolam defendit à Barbaris, ab incolis viſus mirabiliter, ibi: *Verùm iſta divinitùs exhibentur, longè aliter, quàm ſe ſe habet uſitatus ordo.* Et paulò infra ſubſtit. *Sed ideò potiùs intelligendum eſt, quòd per divinam potentiam martyres vivorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt.* Itaque apparitiones Angelorum, & animarum, & eorum locutiones non fiunt propria auctoritate, ſed ſolius Dei ordinatione, ideò ſunt miraculoſæ, quia nec ſunt actus vitales.

Mitto alias objectiones, ſeu potius errores antiquorum negantium immortalitatem animæ, & hæreticorum, qui licèt eam

admittant, negant tamen eas apparere, aſſerentes eſſe dæmonum illuſiones. Quia nihil probant, dum ſimpliciter docent errores nulla ratione muniti. Vide eundem *D. Aug. cit. Bellarminum lib. 2. de Purgat. Cap. 8. Verſ. Veriſſima, Delrium lib. 2. Magic. diſquiſ. q. 26.*

Occurrit difficultas ſuper prædictis. Dictum fuit Deum hominibus apparere, & cum eis loqui ſub ſpecie corporis, ut ab hominibus videri poſſit oculis ſuis, qui non niſi ob objecto corporeo illuminato terminari poſſunt in viſione; dubitatur tamen, an ipſe Deus ſecundùm ſuam eſſentiam, & entitatem ſit intrà illud corpus, ſicut eſt Angelus, & anima in aſſumptis corporibus; quæ movent, & in ipſis loquuntur; an verò id præſtet per aliquem Angelum in aſſumpto corpore repræſentante Deum, qui dicitur apparere, & loqui ibi. Videtur Deus per ſeipſum immediatè loqui in apparente corpore, imò & ſinè corpore apparere, & loqui, ut clarè dicitur Exodi 33.
10 11. *Loquebatur autem Moyſes facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Facialis autem locutio amici cum amico eſt, cum immediata præſentia utriuſque perſonæ ſinè aliquo medio, figura, aut alia re interpoſita pro locutione extranea inter loquentes, & id magis clarè dicitur ab eodem Moyſe Nu-
11 mer. 12. 8. *Ore enim ad os loquar ei, & palàm, & non per enigmata, & figuras Dominum video.* Deus ergò eſt, qui immediatè loquitur nullo corpore, nulla re mediante inter ejus eſſentiam, & perſonam, cum qua loquitur.

12 ℟. Deus nulli oculo corporeo ſecundùm ſuam ſubſtantiam aliquandò apparuit; nec in aſſumpto corpore tectus apparuit, ſed ſemper in corporibus loquebatur ſenſibiliter per Angelos.

13 Primum patet ex ſupradictis, quia cum Deus ſit ſubſtantia puriſſima ſpiritualis, non poteſt ſe exhibere oculis hominum, qui non ſpiritualiter, ſed tantùm ſenſibiliter poſſunt videre objecta materialia, & corporalia, juxtà dicta ſuperiùs.

14 Secundum, quòd Deus non tegatur, nec aſſumat corpora, ſicut Angelus, & Anima, probatur, quia cum Deus ſit immenſus ex ſua natura, & eſſentialiter, Baruch. 3. 25. *Magnus eſt, & non habens finem, excelſus, & immenſus.* Non poteſt ſe conſtituere in aliquod corpus limitatum, & menſura terminatum. Confirmatur, quia Deus eſt ubiquè per eſſentiam, præſentiam, & operationem, quia omnia creat, videt, & gubernat, ut docent S. Patres cum D. Thoma par. 1. q. 8. art. 3. ergò non poteſt ſe reſtringere in corpus aliquod, in quo aſſumens dicitur eſſe definitivè, ut Angelus, & Anima.

15 Tertium, quòd Deus per Angelos appareat hominibus, & illis paritèr loquatur, expreſsè colligitur ex Sacra Scriptura, nam Act. 7. 53. dicitur, quòd Hæbrei receperunt legem in diſpoſitionem Angelorum. *Qui accepiſti legem in diſpoſitione Angelorum.* Ad Hebr. 2. 2. *Si enim, qui per Angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus,* Ad Galat. 3. 19. *lex ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris* ideſt Moyſis, qui illam dedit populo Judæorum, In libro autem Exodi

cap.

cap. 31. 18. & in Deuter 9. 10. & 10. 1. nulla fit mentio de Angelis, ſed tantùm de Deo, & tamen locis citatis expreſſè dicitur quòd lex data eſt per Angelos, inſinuare volens, quòd Deus immediatè non loquitur homini, ſed per Angelos ſuos, quòd enim facit per Angelos, per ſeipſum facere dicitur, ſecundùm vulgatum legis; itaque Deus per Angelum dedit legem Moyſi, & Moyſes eam populo promulgavit. Ita omnes cum D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3. Confirmatur, qui à myſterium Incarnationis per ſeipſum Deus non tractavit, ſed per Angelum Gabrielem, & tamen erat res maximè momenti. Deus ergò nulli loquitur immediatè, ſed per Angelos, qui dicuntur nuntii ejus ad homines.

16 Ad auctoritates ſuperiùs allatas reſpondet ad primam quidem S. Auguſt. tom. 9. lib. 4. de Symbolo ad Cathecum. cap. 3. quòd Moyſes videbat Deum facie ad faciem, oculis ſcilicèt mentis, & non oculis corporeis. Quod idem reſpondetur pro alia auctoritate, qua dicitur, quòd Moyſes loquebatur ore ad os cum Deo, & non per enigmata, eſt id per os intellectuale mentis, & non per enigmata, hoc eſt, per oculum corporeum, quo Deus non poteſt videri immediatè, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed tantùm in enigmate, hoc eſt, in corpore, in quo loquitur per Angelum. D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3. dicit, quòd Moyſes vidit Deum facie ad faciem, ſecundùm opinionem populi, qui ita putabat. Sed diſplicet, quia verba textus præſertim ſecundo loco relata, ſunt ipſius Moyſis dicentis de ſe *Ore enim ad os loquor ei*, non erat ergò opinio vulgi, ſed ipſius Moyſis aſſertio, qui ſciebat, quid diceret.

Dubitari poteſt, cujuſnam naturæ ſint corpora per Angelos bonos, & animas ſeparatas aſſumpta ex divina ordinatione.

Quamvis nòn repugnet eis aſſumptio corporum propriorum alicujus hominis jam defuncti, tamen eorum ſtatus, & conditio non permittit eorum aſſumptionem, indecens enim eſt, & valdè incongruum, ut ingrediantur corpora fætida, & vermibus ſcatentia, ideò corpora aerea à ſe formata, dicuntur aſſumere, quia per ea ſufficientèr, & rectè, ac completè fungi poſſunt officio, ſuo, ad quod à Deo mittuntur. Ita Delrius lib. 2. q. 26. ſect. 22. Verſ. Sed inſtabis.

Sed major difficultas oritur, an Angeli ſcilicèt, & Animæ beatæ, dum nobis apparent, deſerant locum Paradiſi, in quo ſunt?

17 ℞. Non deſerere Paradiſum, quia Chriſtus apparet hominibus abſque deſertione Cœli, Act. 3. 21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſquè in tempore reſtitutionis omnium*. Ergò idem dicendum de Angelis, & Animabus, & quidem à fortiori, quia ſi corpus Chriſti quandoquè deſcendit, & nobis apparet, cœlo non derelicto, dicetur utrobiquè eſſe circumſcriptivè; ergò & ſpiritus, qui non circumſcribitur, ſed tantùm definitur, poterit faciliùs replicari in terra, cœlo non relicto. Confirmatur, quia Sancti adhuc viventes cum mirabilitèr apparent, non deſerunt locum, in quo naturalitèr ſunt, ex dictis ſuprà num. 3. ergò nec ſpiritus beati relinquunt Paradiſum, quandò à Deo nobis mittuntur.

Dices 4. Apparitiones, quæ nobis fiunt, non eſſe à Sanctis Spiritibus, ſcilicèt ab Angelis, & Animabus ſeparatis, ſed à Dæmonibus, qui homines decipiunt, ut ex multis Hiſtoriis legitur, ut retuli Medit. 2. num. 6. & colligitur ex 1. Regum 28. ubi per Pithonem mulierculam fingitur apparere Samuel; nam ibi dicitur,
18 num. 11. *Dixitque ei mulier, quem ſuſcitabo tibi? Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere, quid vidiſti. Et ait mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitq; Qualis eſt forma ejus? quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul, quod Samuel eſſet. Et inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quarè inquietaſti me, ut ſuſcitarer.* de qua re latè Delrius lib. 2. qu. 26. ſect. 4. ʃ. Octavò probatur.

19 ℟. Verum quidem eſſe, quòd Saul per Pythoniſſam magam tentavit excitare à mortuis Samuelem, biennio antè defunctum contrà Dei præceptum de non conſulendo pythones, & divinos, ut ſibi nuntiaret de exitu belli, & quid ſibi agendum eſſet. Reſuſcitatio tamen Samuelis fuit tantùm à Deo, & non à Pythoniſſa, ut colligitur ex contextu verborum, ibi: *Dixitque ei mulier, quem ſuſcitabo tibi? cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamavit voce magna*, quaſi diceret, nondùm vocavi illum per incantationem, & apparvit. Tu me decepiſti, non indiges meo carmine. A Deo ergò ſolo ſinè Pythoniſſa revocatus fuit Samuel, ut Sauli prænunciaret malum finem belli, & exitium vitæ ſuæ, ut dicitur Eccl: 46. extremis verbis. Et id confirmatur per D. Thomam part. 1. q. 89. art. 8. ad 2. ubi dicit per divinam revelationem Samuelem apparviſſe, & alibi cum D. Aug. tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum q. 3. tom. 3. lib. 2. de mirabil. cap. 11. dicit, non Samuelem, ſed Dæmonem in aſſumpto corpore apparviſſe pro Samuele, quod probat ex illis verbis 1. Regum 28. 19. *Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*. Saul autem cum filiis non tranſivit ad Limbum cum propheta Dei, ſed ad Infernum, ut docent Sancti Patres; Samuel autem ſervus, & amicus Dei non perexit in Infernum; ergò ad verificationem illorum verborum *Cras eritis mecum*. Dicendum eſt, illa fuiſſe prolata à Dæmone, qui ſe fingebat Samuelem, cum quo Dæmone Saul cum filiis ſuis deſcendit ad Infernum. *Mecum eritis* interpretatur S Auguſt. tom. 4. cit. quò ad conditionem naturæ, quia vos, & ego erimus mortui, non quò ad locum, quia vos deſcendetis in Infernum, & ego ad Limbum. Vide cap. Nec mirum 14. 26. q. 5.

20 Apparitiones dicuntur viſiones ex parte videntium rem mirabilem; undè apparitio Chriſti in myſterio ejus transfigurationis fuit viſio miraculoſa oculis Petri, Jacobi, & Joannis; dicit enim, D. Thomas part. 3. qu. 45. art. 2. quòd ille fulgor in corpore Chriſti tunc apparens fuit miraculoſus, cũ fuerit per modum paſſionis tranſeuntis, non permanentis, ſicut beatis, & glorioſis corporibus, in quibus dos claritatis non eſt

quid

quid miraculoſum illis compe-
tens ratione illius ſtatus glorioſi.
21 Viſiones quoq; ſanctarum ani-
marum de hoc ſæculo volantium
in Paradiſum ſub ſpecie lucis,
ſtellæ fulgidæ, & aliis modis ocu-
lis corporeis, ſunt miraculoſæ,
ex quo rarò eveniunt, & viribus
naturæ, nec oculis corporeis animę
ſeparatæ videri nequeunt, niſi ſub
illis figuris ex ſpeciali Dei gratia,
quā facit ad conſolationem viden-
tium ex eorum meritis, & ad
honorem ipſorum Sanctorum,
qui ſpeciales Dei amici facti ſunt.
22 Profero exempla, nam anima
S. Benedicti à duobus ejus mo-
nachis viſa fuit ire in cœlum or-
nata pretioſiſſimo pallio, circum
eam fulgentibus lampadibus, ut
legitur in ejus lect. VI. 21. *Mar-
tii*. Anima quoque S. Franciſci
Patris noſtri viſa fuit à quodam
ejus diſcipulo ſub ſpecie ſtellæ
fulgidæ, candida nube in cœlum
conſcendere, ut legitur in lect.
VI. diei octavæ illius in Brevia-
rio ejuſdē ordinis. Sāctus quoque
23 Felix III. cujus corpus venera-
tur in noſtra Eccleſia Sanctorum
Coſmæ, & Damiani Romę, ata-
vus Gregorii Papæ, apparuit S.
Tharſillæ nepti, quam ad regna
cœleſtia vocavit, ut legitur in
Martyrol. Romano ad 25. Fe-
bruarii.
Aliæ apparitiones Sanctorum
miraculoſæ leguntur de nonnul-
lis ſanctis; nam Sanctus Leo
I. Papa, ut legitur in ejus lect.
24 IV. dum divina eloquentia per-
ſuaderet Attilæ nuncupato fla-
gello Dei, ut ab Italia regredere-
tur, qui Sanctiſſimo Pontifici
obediens, reverſus in Pannoniam,
à ſuis interrogatus, quid eſſet,
quòd præter conſuetudinem tàm
humiliter Romani Pontificis im-
perata faceret, reſpondit, ſe
aſtantem quendam alium, illo
loquente, ſacerdotali habitu
veſtitum eſſe, ſibi ſtricto gladio,
minitante mortem, niſi Leoni ob-
25 temperaret. Sanctus quoque
Gregorius, ut legitur Lect. 3.
Sancti Joannis Papæ, & martyris
27. Maii, ſcribit, quendam Ere-
mitam vidiſſe Theodoricum Re-
gem, inter dictum Joannem
Papam, & Symachum patri-
cium, quem idem occiderat,
demergi in ignem Liparita-
num, ut videlicet illi, quibus
mortem attulerat, tamquam ju-
dices eſſent ejus interitus. Nulli
dubium eſt, has apparitiones, &
viſiones eſſe vera miracula; tran-
ſcendentes curſum naturæ ordi-
narium, cum Sancti præfati, uti
in Paradiſo cum Deo exiſtentes,
ex ſpeciali ejus favore in terris
apparverunt; ut Romam à bello
præſervarent, & ut eſſent judi-
ces contrà impiiſſimum Theodo-
ricum condemnatum ad pęnas
æternas.

MEDI-

MEDITATIO XIV.

An ratio miraculi locum habeat in Prophetiis?

1 *Prophetia à procul, & phanos ideſt à longè apparens.*
2 *Definitio prophetiæ.*
3 *Abſcondita manifeſtantur per prophetiam.*
4 *Eſt circà præterita.*
5 *Eſt circà præſentia.*
6 *Magis propriè circà futura.*
7 *Videntes vocantur Prophetæ.*
8 *Prædicunt res non ſolùm bonas.*
9 *Sed etiam malas.*
10 *Prophetata excedunt vires Prophetantium.*
11 *Deus ſolus illuminat mentes Prophetarum.*
12 *Miniſterio Angelorum, qui mediant inter Deum, & homines.*
13 *Prophetia pro miraculo habetur in Canonizandis.*
14 *Finis prophetiæ eſt ad utilitatem Eccleſiæ.*
15 *Dæmones, & mali homines prophetant.*
16 *Sed non verè, quia ipſi non illuminantur.*
17 *Nec revelationes quorumdam excedunt eorum intellectum.*

MEDITATIO XIV.

1 Prophetiæ nomen componitur a procul, & phanos, ſignificans rem apparentem procul ab oculis, & intellectu noſtro, quibus abſconditur; ideò per prophetiam fit propè nos, & cognoſcitur res nobis apparens.

2 Definitur autem prophetia, quòd ſit prædictio rerum nobis abſconditarum, præteritarum, præſentium, & futurarum, tàm bonarum, quàm malarum, excedentium virtutem humani intellectus, facta à Deo per illuminationem intellectus prophetantis ad utilitatem Eccleſiæ. Singula declarabo, ut ex earum explicatione cognoſcatur, prophetiam habere rationem miraculi, nam excedit cognitionem naturalem à ſolo Deo infuſam, & impreſſam intellectibus Prophetarum.

3 Dixi primò, quòd eſt prædictio rerum à nobis abſconditarum, nam prædicuntur, ut de abſconditis fiant apparentes hominibus per manifeſtationem prophetarum; & ex hoc colligitur in Prophetiis ratio miraculi, dum res abſconditæ fiunt manifeſtæ, non naturalitèr, ſed ſupernaturalitèr à Domino, qui illuminat

minat intellectum prophetanſis.

4 Dixi ſecundò rerum præteritarum, nam prophetæ res præteritas omninò ſecretas, & abſconditas intellectibus humanis, quas per ſe agnoſcere non poterant, à ſolo Deo revelantur; undè cum Moyſes ſcripſit librum Geneſis, prophetavit rem præteritam, quia cognovit divina revelatione mundum in principio fuiſſe creatum, ex D. Gregorio ſuper Ezechiel. apud D. Thomam 2. 2. q. 171. art. 3. Verſ. ſed contrà; ex hoc etiam Capite habetur miraculoſa prophetia, quia nullus viribus intellectus naturalibus poterat id ſcire.

5 Dixi tertiò, prophetiam referri etiam ad res præſentes ſecretas, & abſconditas incognoſcibiles naturalitèr, ut ſecreta cordium, & alia, quæ de præſenti fiunt in abſentia prophetantis; hoc modo Eliſeus ſciebat quæcunque faciebat ejus famulus, 4. Reg. cap. 5. num. 25. Daniel ſciebat occultum ſomnium Nabuchodonoſoris, Daniel. 2. 26. & S. Gregorius loco citato refert exemplum, & prima Corinth. 14. 24. ibi: *Si omnes prophetant, occulta cordis ejus manifeſta fiunt*. Propheta ergò manifeſtans ſecreta cordis, facit miraculum, quia nullus intellectus creatus ea ſcire poteſt, niſi Deus ea ſibi revelet.

6 Dixi quartò rerum futurarum, & in hoc magis propriè conſiſtit ratio prophetiæ, ex quo eſt prædictio futurorum, quæ antequàm ſint, à prophetis videntur,

7 qui ideò *Videntes* ſunt appellati 1. Reg. 9. 9. *Venite, & eamus ad Videntem, qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns;* Ita dixit famulus Saul domino ſuo in itinere ad quærendum aſinas, miſſo à Cis patre ſuo, S. Auguſt. tom. 2. Epiſt. 112. cap. 20. extremis verbis. Propheta ergò dicitur Videns, & prophetia Viſio, non quia res prophetata oculis corporeis videatur, cum nondùm ſit, ſed oculis mentis ita repræſentatur, ac ſi eſſet præſens oculis corporis. Quis negabit tale miraculum, dum videntur præter ordinem naturæ ea, quæ nondùm ſunt?

8 Dixi quintò, quòd prophetæ prænuntiant res bonas; quid melius, quàm prædictio Iſaiæ prophetæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, ſcilicèt Verbum incarnatum. Quæ prophetia mirabilior iſta inveniri poteſt, quòd Virgo pariat, repugnans viribus naturæ? prophetia ergo miraculum eſt.

9 Dixi ſextò, quòd prophetæ etiam mala prædicunt, ut peſtem, famem, bellum, & c. Jerem. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*. Prædicitur enim malum, ut homines retrahantur timore ejus à peccatis. Undè Iſaia cap. 21. à num. 1. ad 5. dicit, viſionem, quam habuit claram de Babilone, eſſe ſibi poſitam in miraculum.

10 Dixi ſeptimò prędictiones prophetarū exceſſiſſe vires mentium illorum, & quoruncunque hominum, quia ſecreta cordium, & futura contingentia naturaliter ſciri non poſſunt, ergò ſi ſciuntur, nonniſi miraculosè cognoſcuntur per divinam manifeſtationem. D. Thom. 2. 2. q. 172. art. 1. ubi, quòd prophetia non eſt

eſt naturalis, ergò ſupernaturalis, & miraculoſa.

Dixi octavò, prophetiæ cognitionem à Deo procedere, qui illuminat intellectum ejus, qui prophetare debet, mediante miniſterio Angelorum, qui ſunt medii inter Deum, & homines, ex D. Thoma 2. 2. q. 172. art. 2. Undè ex cauſa productiva prophetiæ, qui eſt ſolus Deus ſinè concurſu prophetæ, qui tantùm illuminatur, ut poſteà Dei populum doceat, colligitur, prophetiam non carere ratione miraculi. Confirmatur id, quia in canonizatione Sanctorum attenditur in illis donum prophetiæ connumeratum inter alia illorum miracula. Pro qua re vide Contelor. de Canonizat. Sanct. cap. 25. fol. 421.

Demùm finis prophetiæ eſt, ut populus Chriſtianus inſtruatur, arguatur, reprehendatur, & illuminetur circa ea, quæ crediturus eſt, vel facturus eſt, & ſic referuntur ad utilitatem Eccleſiæ.

Dices, prophetiam non includere rationem miraculi, quia dæmones, & homines mali prophetant, ſed iſti non poſſunt facere miracula ſaltem vera, ut dixi Medit. 2. 6. ergò prophetare non eſt miraculizare.

℞. Dæmones facere miracula ad deceptionem, non ad utilitatem Eccleſiæ, ut ibidem dixi, & de homine malo eadem Medit. 2. num. 55. qui facit miracula, ſed non ad utilitatem propriam, cum careat gratia Dei, ſicut faciunt ſervi Dei ad utilitatem Eccleſiæ, & propriam; undè cum veri prophetæ ſervi Dei prædicant Eccleſiæ, quæ ventura ſunt, & non ſolùm illuminent fideles, ſed etiam ipſi à Deo illuminentur, eorum prophetiæ habent rationem miraculi; Dæmones verò à Deo non illuminantur ad prophetandum, ſed ea, quæ naturaliter agnoſcunt, manifeſtant hominibus, quæ viribus propriis ſcire nequeunt. Vide D. Thomam 2. 2. quæſt. 172. art. 5.

MEDI.

MEDITATIO XV.

De miraculoſis conceptibus ſterilium; & de periculoſis partibus.

1 *STerilitas eſt impotentia ad generandum.*

2 *Fœminæ propriè dicuntur ſteriles.*

3 *Maſculus uſquè ad 14. fęmina ad 12. expletos ſteriles.*

4 *Semen eſt ſuperfluum alimenti.*

5 *Sterilitas in ſenibus variè accipitur.*

6 *Fœminæ citiùs maſculis florent, & ſeneſcunt.*

7 *Maſculi callidiores fœminis.*

8 *Variæ opiniones circà ſenectutem.*

9 *Fęmina incipit eſſe ſterilis poſt 50. annum, maſculus poſt 70.*

10 *Conceptus fœminæ poſt annum 50. eſt ſupernaturalis.*

11 *Leges majorem 50. annis judicant ſterilem.*

12 *De ratione miraculi non eſt, quòd ſit contrà naturam.*

13 *Sara uxor Abrabæ ſterilis peperit Iſaac.*

14 *Uxor Manue ſterilis concepit, & peperit Sampſonem.*

15 *Anna uxor ſterilis Helcanæ peperit Samuelem.*

16 *Eliſabeth uxor Zachariæ Joannem concepit.*

17 *Anna uxor Joachim ſterilis concepit Mariam.*

18 *Sanctæ fœminæ comparantur inter ſe.*

19 *Conceptus ſenis quandò miraculoſus.*

20 *Mulier in pariendo ſentit dolorem.*

21 *Maria Virgo læta, non dolens peperit.*

22 *Liberatio à periculo mortis in partu quandò miraculoſa.*

MEDITATIO XV.

1 STerilitas eſt carentia fœcunditatis ejus rei, quæ nata eſt ad generandũ; & licèt ſterilitas dicatur non ſolùm de animalibus, verùm etiam de vegetantibus, & terra, quæ & ipſa ſterilis quandoque dicitur, ut legitur 4. Reg. 2. 19. *Aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis*, fructum, ſcilicèt, non producens. Nihilominùs magis propriè elicitur de animalibus, & præſertim attenditur in præſenti Meditatione, reſpectu hominis, maris, &
2 fœminæ, quæ ſola in Sacra Scriptura exprimitur ſterilis, nil de mari, qui tamen & ipſe ſterilis dicitur, ut patet apud Doctores agentes de impotentia ad contrahendum matrimonium, cum Sanch. lib. 7. diſp. 92. ubi num. 25. refert opinionem negantium validum matrimonium ſterilitatem, aliis affirmantibus, cum quibus ipſe eſt num. 26. Nam matrimonium inter Abraham, & Saram, inter Manue, & uxorem ſuam, & inter Zachariam, & Eliſabeth, quæ uxores erant omnes ſteriles, tamquàm validum, & legitimum

 ſemper

ſemper habitum fuit. Eſt ergò
ſterilitas impotentia ad generatio-
nem prolis, tàm in maſculo, quàm
in fęmina, undè Plinius lib. 11.
cap. 39. dicit, quod ſolus homo
pubeſcit, quòd niſi contingat,
ſterilis eſt in gignendo maſculus,
vel fęmina.
3 Sterilis autem homo dicitur,
maſculus uſq; ad decimum quar-
tum completum, & fęmina uſq;
ad duodecimum expletum, & ſi
enim aliqualem virtutem habeant
ſeminalem, ea tamen eſt ineffi-
cax ad generationem, & exigua;
nam ſemen in pueris ferè totum
convertitur in nutrimentum cor-
poris, propter incrementum illo-
rum; ideò antè id tempus dicun-
tur ſteriles, & impotentes ad ge-
4 nerationem. Semen autem dici-
tur illud, quod non eſt neceſſa-
rium ad alimentum, undè eſt id
omne, quod ad illud ſuperfluit
in ſententia Phyloſophorum, Me-
dicorum, & Theologorum, *cum
Scoto in 2. diſt. 18 & 32. Meldu-
lenſ. diſp. 8. de generat. num. 12.*
5 Sterilitas verò in ſenibus maſ-
culis oritur ex eo, quòd natura
jam debilitata non poteſt materiā
cibi coquere, & diſtribuere in nu-
trimentum, & ſuperfluum alimen-
tum in ſemen; deficit enim calor
naturalis, & quidem citiùs in fęmi-
nis, quam maſculis; ac proindè
6 fœminæ ſicut præſtò creſcunt, &
ætate florent quàm maſculi, ita
citiùs macerantur, & tendũt ad ſe-
nectutem, ut docet *Ariſtot. lib. 7.
de Hiſtor. Animal. cap. 3. Plinius
lib. 7. Hiſtor. natural. cap.* 4 quia
vita in calore ſita eſt, *ex Ariſt.
ſect. 3. problem. 22. & ſect. 14. pro-
blem.* 10. Maſculi autem callidio-
7 res ſunt, quàm fœminæ, quæ fa-
cilè frigeſcunt, ut probat *Tiraquel.
lib. 9. de Connub. num.* 142.
8 Variæ autem ſunt ſententiæ
ſenum ſterilium, nam Ariſt. *lib. 7.
de Hiſtor. Animal. cap.* 5. ait, plu-
res fęminas anno quinquageſimo
peperiſſe, & ultrà id tempus nul-
lam concepiſſe. *Et lib. 5. cap.* 14.
dicit, maſculos genuiſſe uſquè ad
ſeptuageſimum, fœminas verò uſ-
que ad quinquageſimum, ſed ra-
rò, ſubdens illas concipere uſquè
ad quadrageſimum quintum, &
mares gignere uſque ad ſexageſi-
mum quintum *lib. verò 7. Politic.
cap.* 16. dicit fœminas deſinere in
quinquageſimo, viros in ſeptua-
geſimo *Plin. lib. 7. Hiſt. Natural.*
cap. 14. dicit, fęminas poſt quin-
quageſimum non ampliùs genera-
re. Viris terminum generationis
eſſe annum ſexageſimum, atten-
to naturali ſtatu generationis,
quòd ſi contrarium appareat, ac-
cidenti potiùs tribuendum eſt,
quàm naturæ, ut tradunt Maſcar-
dus, *Menochius cùm aliis Sanchez.
lib. 7. diſput. 32. num.* 16. ubi con-
cludit, virum dici ſenem, ſi ſit ſe-
xagenarius; & ejus uxorem ſe-
nem, ſi ſit quinquagenaria, quan-
dò agitur de ingreſſu religionis,
ut alter poſſit uti ſenex manere in
ſęculo ſinè periculo incontinen-
tiæ. Divus Auguſt. tom. 3. lib. 1.
de mirabili occaſione ſterilitatis
Saræ uxoris Abraham, dicit cap.
12. fęminas poſſe concipere ab
anno duodecimo uſque ad qua-
drageſimum nonum, intellige
9 completum, & non ultrà. Itaque
fęmina incipit eſſe ſterilis poſt
annum quinquageſimum in ſen-
tentia omnium, dum etiam priùs
incipit eſſe talis. Maſculus verò
poſt annum ſeptuageſimum ſe-
cundùm Communem, dum nul-
lus aſſerit poſſe deinceps genera-
re.

re. His præmiſſis ponitur ſequens concluſio.

10 Conceptus mulieris poſt quinquageſimum ætatis ſuæ annum, non poteſt eſſe naturalis ſecundùm naturæ curſum, ſed eſt ſupernaturalis, & miraculoſus. Ratio eſt, quia fœmina quælibet poſt eam ætatem incipit eſſe ſterilis, & impotens ad generationem, ut docent omnes; ergò ſi concipiat, id non poteſt tribui naturæ viribus, ſed aliundè petenda eſt cauſa talis conceptionis, nempè à Dei omnipotentia, quæ mulierem de ſterili, facit fœcundam ſecundùm illud Pſal. 112. 9. *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem*; ergò talis conceptio eſt miraculoſa. Confirmatur per leg.

11 Si major 12. C. de legit. hæred. ubi ità ſcribitur: *Si major quinquagenaria partum ediderit, ſi debet hujuſmodi Soboles ſuo patri ſuccedere, & hæreditatem ejus nanciſci, à Cæſariana advocatione interrogati ſumus. Et ſancimus, licèt mirabilis hujuſmodi partus inveniatur, & raiò contingat, nihil tamen eorum, quæ probabilitèr à natura noſcuntur eſſe producta reſpui &c.* Quæ autem mirabilitèr, & raiò accidunt, inter miracula connumerantur..

Sed dices, ex hoc textu colligitur, illum partum fuiſſe opus naturæ ibi: *Quæ à natura noſcuntur eſſe producta*; ergò non miraculum, quod excedit vires totius naturæ. Et confirmatur per S. Auguſt. tom. 3. lib. 1. de mirabil. cap. 12. ubi loquens de conceptu Saræ nonagenariæ, inquit: *Et hoc quamvis contrà conſuetudinem, non tamen adverſùs naturam factum eſt, quoniam & ſi contrà conſuetudinem eſt, ut pariat à materia, adverſùs tamen naturam non eſt, ut in utero fœminali naſcatur quandoquè filius.*

12 ℟. De ratione miraculi eſt, quòd ſit inſolitum, & præter vires naturæ, non verò quòd ſit contrà naturam, ſed conforme naturæ, quæ in viventibus nata eſt, quantùm eſt ex ſe producere, & generare; undè fœmina nata eſt concipere, quòd ſi ſterilis ſit, & nihilominùs concipiat, id non eſt contrà ejus naturam, licèt id excedat vires naturæ, non tamen id eſt adverſùs naturam, quia natura appetit in viventibus conceptionem, & generationem; cum ergò conceptio in fœmina ſterili ſit præter ejus conſuetudinem, quia excedit vires naturæ, non eſt tamen contrà ejus naturam, quæ de ſe tendit ad propagationem Naturæ in ſua ſpecie. Miraculum ergò in eo conſiſtit, quia opus eſt inſolitum, & excedens vires totius Naturæ, cum nulla fœmina ſterilis concipiat. Vide D. Thom. part. 1. q. 105. art. 4. ubi, quod eſt præter ordinem totius Naturæ, & arduum, ideſt, ſupra virtutem Naturæ creatæ, & inſolitum, hoc eſt, præter modum ejus conſuetum, & ſolitum, *ibid. art.* 7. & 1. 2. *q.* 113. *art.* 10. & *quæ ego dixi Medit.* 1. *q.* 3. *num.* 20. & *ſeq.*

Plures invenio ſanctas mulieres, quæ ſteriles ex ſpeciali gratia Dei filios pepererunt miraculosè, inter quas in primis.

13 Sara uxor Abraham ſe offert, de qua in lib. Geneſ. cap. 11. 30. dicitur: *Erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos*. Cap. verò 17. 15. *Dixit quoquè Dominus ad Abraham, Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium,*

lium, cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham *in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo; putaſne, centenario naſcetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen ejus Iſaac.*

Diximus ſupra, quòd ſterilitas in fæminis incipit poſt annum quinquageſimum, & ſeptuageſimum in maſculis, Saræ ergò conceptus, & generatio Abrahæ fuit miraculoſa, propter eorum decrepitam ætatem, ut etiam colligitur ex textu, ibi: *Dabo tibi filium*, Deus enim in creatione animantium dedit eis virtutem producendi, & ipſi homini: *Creſcite, & multiplicamini*, uſque ſcilicèt ad tempus naturæ ſingulorum proportionatum, & non ulteriùs ſecundùm naturæ curſum, ideò in his excedendo naturæ limites, ſpecialiter dixit: *Dabo tibi filium* inſinuando miraculum. Vide D. Auguſt. tom. 10. Serm. 68. & 73. de tempore.

14 Manue uxor concepit, & peperit Sampſonem, quamvis eſſet ſterilis, ut dicitur Judic. 13. 3. per Angelum; *Sterilis eſt, & abſque liberis, ſed concipies, & paries filium*. Ortus autem eſt ab anno mundi 2802. ignoro nomen ejus uxoris.

15 Anna quoquè uxor Helcanæ anno 2842. concepit, & genuit Samuelem, quamvis ſterilis, ut legitur 1. Reg 1. 5. *Dominus concluſerat vulvam ejus*. Quandocunque enim illud vas genituræ manet clauſum, impoſſibilis eſt naturalis conceptio. Subjungat textus ſub num. 19. *Cognovit autem Elcana Annam uxorem ſuam, & recordatus eſt ejus Dominus*. Hoc eſt, aperuit uterum ejus, ut poſſet concipere ſemine accepto intra vas jam apertum, *Et factum eſt poſt circulum dierum concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo, quòd à Domino poſtulaſſet eum*. Sterilis erat ex concluſione vulvæ, quam ei aperuit, ut poſſet concipere, quod excedit vires naturæ, nemo enim poteſt aperire, quod Deus clauſit. Samuel autem dicitur natus anno mundi 2842.

16 Eliſabeth, uxor Zachariæ ſterilis erat, & ambo valdè ſenes impotentes ad Generationem, *Et utero ſenectutis, & ſterili Joannes natus eſt*. Cantat. Eccleſia, & Lucæ 1. 36. *Et ecce Eliſabeth cognata ſua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic eſt menſis ſextus illi, quæ vocatur ſterilis*. Quaſi diceret Maria uti, alter Eliſabeth concipies filium ſinè ſemine viri ſed per ſolam Dei voluntatem obumbratione Spiritus Sancti, ex hoc enim ſterilis eris ſemine virili. Eliſabeth igitur ex ſpeciali Dei gratia, & miraculoſè concepit, & peperit Joannem Domini præcurſorem.

17 Anna quoquè Dei genetricis Mariæ mater, quæ ſterilis erat, filiam miraculoſè concepit, ut teſtatur S. Joannes Damaſcenus relatus ad diem 26. Julii Lect. 4. *Congaudete mecum, quæ promiſſionis germen ex ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructum uberibus meis, ut optaveram nutrio. Sterilitatis maſtitiam exui, ac lętam fœcunditatis veſtem indui, Congaudeat mecum hodie Anna illa Phenenæ adverſaria, & novum hoc, ac inopinatum mira-*

miraculum, quod in me geſtum eſt, ſuo exemplo concelebret.

Colligitur ex hactenus dictis, illum conceptum dici miraculoſum, qui evenit in fœmina excedente quinquageſimum annum, quia cum incipiat eſſe ſenex, & ſterilis, concipiendo contrà conſuetudinem, & vires ſuas, videtur cauſam ſui conceptus occultam, à Deo ſpeciali modo dependentèr trahere.

18 Sed obſervandum eſt, quòd inter ſanctas mulieres prædictas nulla ſe affligebat de ſua ſterilitate, præter Annam Helcanæ uxorem, undè Deus ejus deprecationes, & orationes, quas aſſiduè in templo faciebat, reſpiciens, petitum ſummis precibus filium dedit Samuelem. Reliquas verò ſteriles non legi in Sacra Scriptura à Domino filios poſtulaſſe, nam Sara ancillã ſuam conſignaverat in uxorem nomine Agar viro ſuo Abraham Genes. cap. 16. ex quo concepit, & peperit Iſmaelem. Nihilominus Deus eiſdem, licèt non flagitantibus, dedit ſingulis filium Saræ Iſaac, uxori Manue Sampſonem, Eliſabeth Joannem Domini Præcurſorem, & Annæ Sanctam Dei genitricem. Diſcant ſteriles ab Anna uxore Helcanæ aſſiduis orationibus, & precibus exorare Dominum, ut ex ſuis maritis concipiant, & tunc earũ conceptus cenſendi erunt miraculoſi, ſi ambo ſenes ſint juxtà ſuperiùs dicta. Extrà tempus ſterilitatis, ſi qua mulier ex viro ſuo, cum quo multo tempore ſtetit in conjugio ſine prole, tandem concipiat, præmiſſis orationibus, & ſupplicationibus ad Deum, talis partus non eſt judicandus miraculoſus, quia ex quo concepit, antequam ſeneſceret, non eſt dicenda ſterilis, & de ſterili facta fœcunda, ſed eam anteà non concepiſſe ex aliquo accidenti, facile enim ſimiles caſus accidunt, ut uxores diù morentur cum ſuis viris ſine prole, vel quia cum illis ſunt nimis rigidi, vel quia ad eas non accedunt quodam affectu benevolentiæ conjugalis, ſed ad explendam libidinem, non ad prolem propagandam, quæ contingit, cum ambo affectu maritali, & mutua benevolentia ad invicem copulantur. Negari tamen non poteſt, quin proles poſt longum tempus ſuſcepta præmiſſis ſupplicationibus ad Deum, ſit, ſi non miraculoſa, ad minus gratioſa, qualis non poteſt denominari ea, quam mulier habet ſine ſpecialibus orationibus.

Quid dicendum eſt de conceptu ejus mulieris, quæ prolem habet poſt annum quinquageſimum cum viro ſene, aut juvene, numquid judicandus eſt miraculoſus?

19 ℟. Si præceſſerunt aſſiduæ precationes ad Deum, ſeu ad ſanctos ejus, talis conceptio cenſenda eſt miraculoſa, quia ex communi omnium ſententia, ut dixi ſuprà, mulier ſenex, qualis eſt quinquagenaria ultrà, incipit eſſe ſterilis, ac proinde de ſe inepta ad generationem, & conceptionem. Nec juventus viri tollere poteſt eam ſterilitatis impotentiam ad concipiendum, quia uterus jam rugatus, & clauſus non poteſt recipere ſemen quamvis robuſti juvenis, cum de ſe nullam vim habeat aperiendi vulvam, nam ſemen exciſum jaculatum non habens obviam uterum

rum apertum; incaſſum tendit, & evaneſcit; natura enim, non ſemen aperit uterum, & cum illum ipſa natura rugaverit, ulteriùs non aperiet, ne contraria operetur. Reliquum ergò eſt, ut talis conceptus dicatur miraculoſus, quia fœmina de ſterili facta eſt fœcunda ex ſpeciali favore Domini, cui hoc non eſt difficile, ut ipſemet Deus Geneſ. 18. 14. dixit ad Abraham: *Quare riſit Sara? Dicens: Nùm verè paritura ſum annus? Numquid Deo quicquam eſt difficile?* Si ergò ſterilis parit, id eſt Dei opus ſpeciale, & miraculoſum, cum uterùm jam clauſum aperiat.

Dixi, *ſi præceſſerunt aſſiduæ prœcationes ad Deum*, aliàs miraculum non eſt, ſed cauſa tribuenda eſt optimæ complexioni mulieris, cujus uterus nondum eſt clauſus, licèt caſus ſit rarus, & admirabilis, ut dicit Imperator, cujus verba ſuprà retuli ſub num. 11. Non eſt ergò hujuſmodi fęcunditas Deo ſpecialiter tribuenda, cum non præceſſerint orationes Sanctorum factæ à conjugibus, vel aliis tamquam conditionibus meritoriis miraculi. Nec obſtat, quòd prælibatæ mulieres non patierint à Deo gratiam, cum non conſtet in Sacra Scriptura de hac re. Quia Deus non eſt alligatus prædictis, ſicut homo in cognitione ſimilium, quæ non poteſt diſcernere uti miracula ab effectibus naturalibus, niſi ex præcedentibus requiſitis, per quæ devenit in notitiam cauſæ occultæ, nimirùm Dei miracula ſolius facientis.

Reliquum eſt, ut calamum convertamus ad partus periculoſos, quomodò dicendi ſint miraculoſi?

20 Pręmittendum autem eſt, quòd mulier in pariendo graviſſimos, & acerbos ſentit dolores, comminatos Evæ, & cæteris mulieribus, Geneſ. 3. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* Periculum autem in partu, vel ſe tenet ex parte mulieris, quæ in partu moritur, & proles ſimul cum ea, vel ſuperſtes manet; aut ex parte prolis morientis, remanente ſalva matre ejus.

21 Miracula ergò in his contingere poſſunt tribus modis. *Primò*, ſi mulier ſine ullo dolore pariat; non legi hoc ſpeciale privilegium, niſi in Virgine glorioſa, & tamquam illi proprium nulli alteri conceditur. *Secundò*, quando mulier judicio medicorum cenſetur peritura in parturitione ob acerbitatem, & infeſtationem partus, implorando divinum auxilium, ſeu ſe alicui ſancto ſibi devoto commendando, ſi pariat incolumis, mortem imminentem evitando, dicitur in eo partu miraculoſè liberata à periculo mortis. *Tertiò*, idem dicitur de periculo prolis, nam medicis atteſtantibus de imminenti periculo mortis, miraculum erit, ſi prolem ſalvam pariat, fuſis precibus, & ſanctis invocatis.

Itaque, ut liberatio à periculo
22 mortis in his caſibus judicetur miraculoſa, tria concurrere debent. *Primò*, ſancta invocatio, *Secundò*, medici atteſtatio periculi probabilis imminentis mortis. *Tertiò*, diuturnus dolor ex parturitione; e. g. duorum, aut quatuor dierum, maximè quandò

dò fœtus moritur ante egreſſum è corpore. Requiro ad miraculum hanc diuturnitatem dolorum & difficultatem pariendi, quia cum dolor, & periculum ferè reperiatur conjunctum cum parturitione prima, ut ſit miraculum, requiritur diuturnitas, & mora in pariendo, ex qua deducatur evidens periculum mortis. Sanctus Pater Franciſcus nonnullas parturientes ab hoc periculo liberavit, ut legitur in ejus Cronicis par. 1. lib. 3. cap. 11. & 12.

Digitized by Google

MEDITATIO XVI.

De Jejuniis Miraculoſis.

1 *Jejunium duplex, naturale, & eccleſiaſticum.*
2 *Hoc non poteſt habere rationem miraculi.*
3 *Sed tantùm naturale.*
4 *Ad quod tria requiruntur.*
5 *Primò, quòd jejunans ab omni potu, & cibo abſtineat.*
6 *Secundò, quòd ultrà hebdomadam abſtineat.*
7 *Tertiò, quòd jejunans ſit bonæ famæ.*
8 *Moyſes, Elias, & Chriſtus 40. dies jejunarunt.*
9 *S. Ivo, & Catharina de Senis jejunarunt.*
10 *Licetus refert quoſdam vixiſſe multos annos ſinè cibo.*
11 *Ultrà hebdomadam quis vivere non poteſt ſinè cibo.*
12 *Species conſecratæ nutriunt.*
13 *Varii modi, quibus ex illis aliquid de novo fit.*
14 *Ex illis corruptis à Deo immediatè tota ſubſtantia generatur.*
15 *Errores hæreticorum de Sacramento Euchariſtiæ.*
16 *Quare Chriſtus non manducatur à muribus manducantibus Species ſacramentales.*
17 *Creatio ſubſtantiæ ex ſpeciebus corruptis non eſt miraculoſa.*

MEDITATIO XVI.

1 Jejunium dicit abſtinentiam, & ſi fit ab omni comeſtibili, & potabili, appellatur naturale, & hoc jejunium eſt neceſſarium ſacerdoti à media nocte uſque ad peractam celebrationem miſſæ; unde in tribus miſſis Natalis Domini purificatio Calicis non ſumitur niſi in tertia, quando ſacerdos intendit celebrare eas tres miſſas. Si verò jejunium admittat comeſtionem, quæ eſt unica hora meridiei, cum colatiuncula in ſero hora cœnæ, vocatur jejunium ordinarium, & eccleſiaſticum, cum abſtinentia à carnibus, & à lacticiniis certis temporibus. His præmiſſis tamquàm certis ſecundùm omnes Theologos in materia Jejunii.

2 Obſervandum eſt, quòd miraculum reperiri non poteſt in abſtinentia jejunii Eccleſiaſtici; dum enim quotidiana admittitur comeſtio certorum ciborum, & vini potatio, homo ſic jejunans non ceſſat ab alimentis, ſed corpus ejus continuò nutritur, & alitur ſecundùm naturæ curſum, & indigentiam, ut vivere poſſit, & ſe manutenere in vita; unde in illa unica comeſtione non præſcribitur quantitas eſculentorum, & poculentorum, ſed unuſquiſq; tantum comedere poteſt, quantum indiget ad conſervationem

vitæ,

vitæ; neque enim jejunium tendit ad deſtructionem naturæ, neque ad hunc finem fuit inventum, ſed ad macerationem carnis, ad reprimendos ſenſus motus inordinatos; cantat enim Eccleſia in Præfatione Quadrageſimali: *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas; virtutem largiris, & præmia*. Bonum ergò eſt jejunium, Tobia 12. 8. *Bona eſt oratio cum jejunio*. Non deſtruit ergo corpus humanum, ſed tantùm illud mortificat, ut valeat ſe homo abſtinere à tyranno libidinis. Quare cum hoc ſit naturæ conſervativum naturaliter, quia homo cibis utendo ſecundùm naturæ curſum, dicitur vivere, non poteſt habere rationem miraculi, quod licèt naturæ de ſe non adverſetur, eſt tamen præter naturam, & ejus conſuetudinem. Quare videndum eſt, an in jejunio naturali, quod ſimpliciter excludit omnia poculenta, & eſculenta, dari poſſit ratio miraculi, & quomodo.

3 Dari autem poteſt ratio miraculi in jejunio naturali, in eo conſiſtens, quòd quis ſe abſtinendo à cibo, & potu per longum tempus vivat, & conſervetur in vita, & non moriatur, id enim naturalitèr eſt impoſſibile, cum cibus homini, & cæteris animalibus ſit neceſſarius ad conſervationem vitæ, ut experientia patet. Ut autem hæc abſtinentia habeat rationem miraculi, tria ſunt neceſſaria.

4

5 Primò, quòd hæc abſtinentia ſit ab omnibus rebus comeſtibilibus, & potabilibus, quam diximus jejunium naturale, quo homo diù vivere non poteſt, dum continuò eget cibis ad reparandas partes corporis per alimentum, ut poſſit conſervari in vita, ſi ergò ſinè his conſervatur, id ſinè dubio tribuendum eſt divino miraculo, cum diù ſe conſervare in Vita ſinè cibis excedat vires naturæ, & ſit præter illius uſum, & conſuetudinem, ac proindè miraculoſum, rarum, & inſolitum.

6 Secundò, diù durare debet hæc abſtinentia, & carentia à cibis, & potu, nempè ultrà hebdomadam ſecundùm Hipocratem in lib. de carnibus, dicentem, quòd homo non poteſt vivere ſinè cibo ultrà ſeptem dies, nam licèt nutrimentum homini ſit neceſſarium, ut conſervetur in vita, tamen quandoquè nutritio ceſſare poteſt, & vivere homo, ut docet etiam Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 9. *apud Meldul. diſp.* 8. *de Generat. nu.* 87. Interrumpitur autem nutritio non ſolùm per ſubtractionem cibi, ſed etiam ex cauſa morborum, nam calor naturalis in infirmitate debilitatur, & quandò quis nimis utitur cibis, & potibus, aggravatur ſtomachus, & calor ſuffocatus non poteſt agere, niſi remiſsè, & imperfectè, ac proindè diſponere non poteſt alimentum, & potentia nutritiva non poteſt illud alimentum, ut malè diſpoſitum, convertere in ſubſtantiam aliti, & indè aliis morbi naſcuntur, & ducunt ad interitum. Certum ergò eſt, quòd vivens non poteſt diù vivere ſinè alimento, quia cibo deficiente, calor conſumit humidum radicale, & ſic ſequitur mors, ità quòd ſi quis non manducavit per ſeptem dies, & ſupervivat, dicatur vitam miraculosè ducere.

7 Tertiò, ſic vivens, ut vitam

X dicatur

dicatur traducere miraculoſam, neceſsè eſt, quòd ſit bonæ vitæ, & famæ, ne quis poſſit decipi, præſertim, qui judicium ferre debent de miraculo in jejunio; nam accidere poteſt, quòd quis fingat ſe jejunare coram aliis, & in occulto epuletur ſplendidè, juxtà quod Chriſtus, Matth. 6. 16. admonet: *Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*. Jejunium ergò miraculoſum habet locum in ſervis Dei, qui ſunt bonæ vitæ, & famæ.

8 Produco nonnulla exempla de miraculoſis jejuniis, in primis Moyſes jejunavit quadraginta dies, & noctes nihil manducando, nec bibendo. Exodi 34. 28. *Fuit ergò ibi*, ideſt, in monte Sinai, *cum Domino quadraginta dies, et quadraginta noctes, panē nō comedit, & aquā non bibit*. Elias quoque, ut legitur 3. Reg. 19. 8. ſimile jejunium proſecutus fuit: *Qui cum ſurrexiſſet, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus uſq; ad montem Dei Horeb*. Chriſtus quoq; ut habetur Matth. 4. 2. ſimilitèr jejunavit: *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit*. Cur de Chriſto, & non de Moyſe, & Elia, dicitur, & *poſteà eſuriit*? Ut planè conſtaret, Jeſum eſſe verum hominem, quia hominis eſt proprium eſurire ex carentia ciborum.

Nulli eſt dubium, prædicta jejunia involvere rationem miraculi, cum illa tria inveniantur in Moyſe, Elia, & Jeſu, qui ſinè dubio fuerunt viri probatæ vitæ, in quibus diù viguit abſtinentia ab omni cibo, & potu, nequè enim quicquam guſtarunt, nec biberunt per ſpatium quadraginta dierum, & noctium, quibus ſupervixerunt miraculosè, ad quod facit D. Petrus Chryſol. ſerm. 12. num. 23. *Poſt jejunium, non divina virtus, ſed infirmitas humana diſquirit, nec ſic laſſeſcit famæ Deus, ut ad providendum ſibi cibum, quod eſt ſuæ poteſtatis, addicat*. Loquitur de Chriſto, qui pane non egebat in ſuo jejunio, cum eſſet Deo addictus, qui non pane, ſed potentia ſuſtentat hominem, *non enim in ſolo pane*, ut ipſe dicit, *vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Conſervatur ergò in vita non per panem, qui jejunat ab illo ſe abſtinendo, ſed per verbum Dei, ut non moriatur; ergò tale jejunium eſt miraculoſum. Idem S. Petrus ſerm. 166. loquens de Moyſe jejunante inquit ſub. nu. 11. *Et revera fratres, neſcit laſſari, mori non poteſt, cui panis, cui vita, Deus eſt*. Voragines dicit, quòd Moyſes jejunavit divina ſuſtentatus locutione, Elias verò Angelica refectione, Jeſus verò divina virtute, qui ultra non eſt progreſſus in jejunando, ut ſe oſtenderet hominem, ſicut erant Moyſes, & Elias.

9 Prædictis adjungo alia duo exempla Sanctorum; nam Sanctus Ivo confeſſor Tertii Ordinis, ut legitur in ejus Lect. VI. jejunium produxit per hebdomadam, ibi *Aliquandò etiam contigit, ut abſque omni cibo, & potu corporali hebdomadam totam in cubiculo ſuo incluſus maneret, ex quo egreſſus, non alio oris, aut totius corporis ſtatu apparuit, quàm ſi quotidie oppiparè epulatus fuiſſet*.

ſet. Alterum B. Angelę Fulginatis ejuſdem Tertii Ordinis, quæ per duodecim annos alio non fuit ſuſtentata cibo, quàm Sacræ Euchariſtiæ, Vadingus in Annal. tom. 3. Anno 1309. num. XIV. Addo tertium S. Catharinæ virginis Senenſis Ordinis Prædicatorum, quæ ut in ejus Lect. 4. ſcribitur: *inventa eſt aliquando à die Cinerum uſque ad Aſcenſionem Domini jejunium perduxiſſe ſola Euchariſtiæ communione contenta*. Exceſſerunt ergò in jejunando Sanctos Patres Eliam, & Moyſen, & Chriſtum ipſum, qui ſolùm 40. dies perduxerunt in Jejunio.

10 Dices, jejunium quadraginta dierum non eſſe miraculoſum, imò neque illud S. Catharinæ, neq; illud duodecim annorum B. Angelę, quia animal naturalitèr diù vivere poteſt ſine alimento, ſecundùm Licetum in ſuo opere de his, qui diù vivunt ſinè alimento, ubi ex auctoribus fide dignis refert, homines uſque ad quadraginta, & ultrà annos vixiſſe ſine alimentis, ergò id tribuendum non eſt miraculo, dum quis ſine alimento diu vivere poteſt. Probat lib. 3. à cap. 14. aſſignando duplex alimentum; remotum, & proximum, ſine quibus poterit vivere, remoto, ſi cibum non ſumat, nutriatur tamen interiùs alimento proximo, & ſinè permanente, vel ſine utroque. Contingit jejunium in quibuſdam animalibus, ut in Urſa ex Ariſt. de hiſtor. anim. lib. 6. cap. 30. quæ 40. latet ſine cibo; Glires quoque per totam hyemem dormiunt, & evadunt pingues, & alia quoque nonnulli animalia per totam hyemem dormiunt ſine cibo. Ratio eſt, quia alimentum proximum conſtat ex pituita, & ſucco valdè viſcoſo reſiſtens calori naturali, ne citò conſumatur, & ſuccus ille non perfectè concoctus convertitur in pinguedinem. Probat id ratione, ſi detur æqualitas activitatis in calore naturali & humido radicali, itaut unum non poſſit agere in alterum ad deſtructionem, & ſic non erit opus aliquo alimento. Sed non eſt immorandum, ut ait Mel. dul. diſp. 8. de Generat. num. 88. quia id eſt potius fabuloſum, quàm verum, quòd homo poſſit diù

11 naturaliter vivere ſine cibo. Quod dicitur de illis animalibus, non adverſatur noſtro inſtituto, in quo ſermo eſt de vita hominis & non de aliis animalibus; certum enim eſt, quòd homo diù vivere non poteſt ſinè alimento, quia eſt talis naturæ, quòd calor naturalis continuò adverſatur humido radicali exſiccando, ne ulteriùs vita protrahatur; nequè datur illud temperamentum ad pondus, & juſtitiam, ut dixi Medit. 3. num. 38. Quarè hæc non obſtant eis, quæ diximus de prædictis miraculis.

Iterùm dices, non eſſe miraculoſum jejunium Sanctæ Catharinæ, & B. Margharitæ de Cortona, quia quotidiè ſacrum Domini corpus ſumebant, quo non ſolùm ſpiritualitèr, ſed etiam corporalitèr vivebant ex nutritione ſpecierum Sacramentalium, quarum nutritio eſt naturalis, non miraculoſa, quia ſicut ex ſpeciebus panis, & vini corruptis naturalitèr generantur vermes, ità in ſtomacho receptæ naturalitèr convertuntur in ſubſtantiam aliti,

& illud nutriunt, non vivunt ergò ſinè omni cibo; neque enim dicitur jejunus, qui Corpus Chriſti, & Sanguinem ſumpſit, cum ſpecies panis cibus ſit corporalis, & ſpecies vini ſit potus naturalis, ergò tollitur ex his ratio jejunii, & miraculi. Quòd autem ſpecies Sacramentales nutriant etiam corporalitèr, eſt ſententia Scoti in 4. diſt. 11. q. 3. num. 10. & 58. tom. 8. Becani cap. 20. de Sacram. q. 4.

12 Reſpondetur, quamvis ſpecies conſecratæ, ut omnes docent *cum D. Thoma part. 3. q. 77. art. 7. Scoto in 4. diſt. 12. q. 5. verſ. contrà, & q 6. verſ. contrà*. ſint nutritivæ, tamen non tollitur ratio miraculi, quia cum illæ ſint valdè exiguæ, non ſufficiunt ad conſervandum hominem diù in hac vita; productio ergò vitæ in iis, qui diuturno tempore jejunant, abſtinendo ſe à cibis, & potibus, à Deo immediatè pendet, & non à cauſis etiam ſecundis, ergo miraculoſa eſt, & non naturalis.

13 Diſputant hìc Theologi, quomodo ex illis accidentibus ſacramentalibus poſſit aliquid produci ſubſtantiale, cum non adſit materia, ſuper quam agens naturale operetur, educendo formam ſubſtantialem ex ea?

Aliqui ex antiquioribus dixerunt, nihil verè ex illis generari, & ſi quandoque aliquid generatur, illud miraculoſè accidere. Sed quia experientia conſtat, illa alterari, & corrumpi, & alterius ſequi generationem, eorum dictum planè falſum eſt.

Nonnulli aſſerunt, non eſſe opus aliqua materia, per quam agens naturale agat, ſed ſufficere quantitatem, quæ vices materiæ gerit, dum manet in genito. Sed hęc opinio quoque falſa eſt, quia quantitas nullam habet proportionem cum forma ſubſtantiali, quę valeat eam informare; neque enim accidens, ſed ſubſtantia informatur, & actuatur; ac proinde nec inter eas dari poteſt unio ſubſtantialis, quia quantitas, & forma non ſe habent ut potentia, & actus, cum ambæ ſint actus, ex quibus ſequitur, nec agens naturale id efficere poſſe. Quòd ſi ponamus, quantitatem remanere, & eſſe communem etiam genito, neque ex hoc colligitur eam ſufficere pro materia, quia forma ſubſtantialis non eſt nata perficere quantitatem, ſed materiam, ideò non poteſt ſubire vicem materiæ. Adde, quòd ſubſtantia genita conſequens ſpecies ſacramentales corruptas, ut ignis ex illis combuſtis, vermes ex illis deſtructis, eſt unum per ſe, ergò quantitas non poteſt facere unum per ſe cum illorum formis, neque proinde eſſe illarum ſubjectum, ex quo educantur.

14 Scotus *in 4. diſt. 12. q. 6. Verſ. Dico ego, num. 11. tom. 8. ex Vadingo, Laurentius Brancatus de Lauræa ejus diſcipulus vir excellentis ingenii, de Sacram. diſp. 23. art. 4. Modeſtus Gavatius Ferrar. ejuſdem Scoti diligens interpres, de Sacram. Euchar. diſput. 9. q. 7. ex ordine Minor. Convent.* aſſerit, omnem, & totam ſubſtantiam, quæ ex ſpeciebus ſacramentalibus ab agente naturali alteratis, & corruptis fit, à ſolo Deo immediatè produci, & creari, ita quòd nullum agens naturale ibi cooperetur ad productionem novæ ſubſtantiæ.

Probatur, quòd tota ſubſtantia

tia à Deo immediatè producitur, quia per corruptionem accidentium ſacramentalium, deſinit eſſe ibi Chriſtus, nulla remanente ibi materia, cum non eſſet ante; ergò totum de novo genitum eſt ſine præexiſtente materia; ergò talis generatio, & productio eſt verè creatio; ergò id totum eſt à ſolo Deo, cujus eſt ſolius creare.

15 Hinc colligitur reſponſio ad argumenta hæreticorum negantium Chriſti Corpus eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus; nam ipſi dicunt, quòd ex illis ſpeciebus naſcuntur vermes, imò & quòd mures illas comedunt, & quòd illæ ſpecies ex nutrimento abeunt in ſeceſſum ſecundùm illud Matth. 15. 17. *Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Abſurdum autem eſt, & valde indecens, quòd corpus Chriſti convertatur in vermes, manducetur à muribus, & quòd emittatur per ſeceſſum; eſt enim omninò incorruptibile; ergò ad evitanda hæc inconvenientia perſtat dicere, nullo modo Chriſtum eſſe ſub illis ſpeciebus.

16 Reſponſio, inquam, ea eſt, nil prædictorum ſequi, quia in alteratione, & corruptione ſpecierum prius eſt, quòd Chriſtus recedat, quàm quòd à Deo producantur, ut patet ex dictis. Itaque Corpus Chriſti non convertitur in vermes, nec manducatur à muribus, nec vadit in ſeceſſum; quia dum à Deo iſta creantur, jam Chriſtus receſſit. Vide Comment. Scoti in 4. diſt. 42. q. 6. à num. 23. tomo. 8.

Sed quis poteſt quærere, an hujuſmodi creatio novæ ſubſtantiæ immediatè facta à Deo, ſit miraculoſa?

17 ℟. Negativè, quia divina actio tunc non eſt miraculoſa, quando ſupplet vicem naturæ, quæ non poteſt de ſe operari principalem effectum, ut patet in creatione animæ, reſpectu cujus Deus ſupplet per creationem, juxtà exigentiam cauſæ naturalis, quæ ſolùm poteſt præparare, & diſponere ſubjectum, & non attingere formam introducendam; ſic in præſenti caſu agens naturale poteſt quidem alterare ſpecies Sacramentales, & illas corrumpere, tamen novam formam inducere non poteſt, quia caret materia, ex qua illam educat, juxtà exigentiam diſpoſitionum; Deus ergò eſt, qui totam materiam producendo ſupplet id, quod agens naturale facere non poteſt. Vide dictum Brancatum cit. diſp. 23. num. 99.

MEDITATIO XVII.

De miraculoſa unione membrorum præciſorum Sanctorum Martyrum.

1 *Dionyſius Sanctus proprium caput manibus portavit.*
2 *Sancti Herculani unitum Corpori.*
3 *Differentia inter utrumque miraculum.*
4 *Objecta referuntur.*
5 *Reſolvuntur.*
6 *Corpus S. Stanislai conciſum, & ſparſum reunitur.*
7 *Caput S. Lamberti ab eo portatur.*

MEDITATIO XVII.

1 Produco in primis duo exempla Sanctorum martyrũ, qui propria Capita ſibi divinitùs recuperarunt, quãvis à perſecutoribus præciſa à ſuis corporibus. Nã S. Dionyſius Areopagita martyrio affectus apud Pariſios fertur, proprium caput ſuis portaſſe manibus, Baronius ad 9. diẽ Octobris in Martyrol. Romano, de quo Mantuanus ita cantat.

Cum ſociis pœna Capitali affectus, in ulnas
Ipſe ſuum caput aſſumpſit, Truncuſque propinquum
Attulit in collem. Quo nunc ſublimia Regum
Buſta loco reſident, magno ſub Culmine templi.

2 Sanctus quoque Herculanus Peruſiæ Epiſcopus, ubi ejus Sacrum corpus requieſcit, qui juſſu Totillæ Regis Gothorum decollatus eſt, ſicut S. Dionyſius, inventus fuit cum capite unito ſuo corpori, quadrageſimo die poſt abſciſſionem, ut ſcribit S. Gregorius Papa, ità miraculosè, ac ſi nulla ferri inciſio illud tetigiſſet, ut legitur in Martyrologio Romano ad 1. Martii ejus translationis; in novo, & ad diem 7. Novembris ejus mortis.

3 Patet differentia inter utrunque; nam Dionyſius redivivus ſuum geſtabat manibus Caput; Herculani verò Caput mortuum defuncto Cadaveri ità fuit conjunctum, quod apparet continvatio unius cum alio, ac ſi non præceſſiſſet crudelis tyranni præciſio capitis. Numquid unicum in utroque Dei ſervo miraculum, an duplex? Certè unicum in ambobus, in Dionyſio cognoſcitur ex reſurrectione tantùm, quæ fuit admirabilis, anima caput non informante, dum remanſit præciſum etiam in manibus ejuſdem; geſtatio autem Capitis non fuit miraculoſa, ſed naturalis, quia non erat tanti pon-

ponderis, ut excederet ejus vires ad portandum. Unicum quoque fuit in conjunctione, & continvatione Capitis præciſi S. Herculani cum ejuſdem corpore, ac ſi non fuiſſet præciſum. Portatio capitis in S. Dioniſio ſupponebat vitam, quia portare eſt actus vitalis; Conjunctio verò per actum continvationis vitam non ſupponit in patiente continvationem, qua non agit, ſed tantùm ab alio patitur; S. verò Dionyſius agebat ferendo ſuum Caput: ideò ei neceſſaria fuit vita, ut agere poſſet.

4 Quamvis ſit probatum in S. Dionyſio miraculum ex ejus reſuſcitatione à Deo, & quidem mirabiliùs, quàm illi, qui reſurgunt ſecundùm utrumque, corpus ſcilicèt, & caput, ſine quo homo vivere non poteſt ſecundùm curſum naturæ ordinarium; tamen reſpectu S. Herculani non videtur apparere miraculum ex illa conjunctione, quæ potuit eſſe naturalis; nam omnis pars naturaliter appetit eſſe conjuncta ſuo toti, ad quod ſemper habet naturalem inclinationem; fuit ergò ea conjunctio naturalis, & id confirmatur experientia; Tùm quia aqua diviſa ſe ipſa reſtituit in unum, & continuatur, quæ erat diviſa; Tùm quia auriculæ, & naſus arte conjunguntur ſuo toti; Tùm quia arbuſta ſilveſtria domeſticantur per bonum inſertum, quod naturalitèr continvatur cum trunco; ergò id non excedit vires naturæ; potuit ergò hoc modo conjungi Caput buſto S. Herculani.

Reſpondetur, conjunctionem capitis cum Corpore S. Herculani fuiſſe verè miraculoſam, quia

5 in inſtanti facta fuit à Deo, quod excedit vires naturæ, maximè in eo, quòd conjunctio continvativa dabilis non eſt inter carentia vita, quæ ſola fovere, & conjungere poteſt diſunita non in inſtanti, ſed ſucceſſivè arte, & remediis, ut inſeritur arbor ſilveſtris in bonam, & domeſticam. Ad oppoſita dico, aquam diviſam naturalitèr reuniri propter ſuam homogeneitatem, ſicut contingit aeri, & igni, qui ità conjunctione continuantur, ac ſi inter eos nulla fuiſſet facta diviſio, quod etiam evenit propter eorum fluxibilitatem. His autem carent hæterogenea, ideò non poſſunt continuari, niſi miraculosè. De conjunctione, & continuatione auriculæ, & naſi præciſorum, alia eſt differentia, quia id in eis efficitur arte, & remedio, & quidem ſucceſſivè, & in tali ſubjecto, in quo eſt vita, & anima, quæ illas partes poteſt informare, & in eis continuarè vitam. In mortuis nihil hujuſmodi invenitur, unde ſi caſus conjunctionis in his contingit, id eſt miraculum, eo quòd in inſtanti evenit. An autem idem ſit numero reunitum? Vide, quæ dixi Medit. 12. num. 27. & ſeq.

6 Accidit aliud miraculum in corpore S. Stanislai Poloni Epiſcopi Cracovienſis, prædictis mirabilius, ut legitur in ejus lect. VI. his verbis. *Poſtremò impius Rex ſacerdotem Dei, hoſtiam immaculatam ad altare offerentem, ſua manu obtruncat, corpus membratim conciſum, & per agros projectum, aquilæ à feris mirabiliter defendunt. Mox Canonici Cracovienſes ſparſa membra nocturni de cœlo ſplendo-*

plendoris indicio colligunt, & *ſuis ocis aptè diſponunt*, *quæ ſubitò ità inter ſe copulata ſunt*, *ut nulla vulnera extarent*. Cauſam hujus martyrii retuli Medit. 12.num. 57.

S. Lambertus Martyr Cæſar-
7 auguſtanus miraculoſè poſt mortem caput ſuum portat ad ſepulturam, ut legitur in Martyrologio Hiſpano ad 16. Aprilis. ubi hoc diſticon legitur.

Aſſumpſit caput ipſe ſuum, gradienſque propinquum
Attulit in Campum, quo tunc conciſa jacebant
Scilicèt membra ejus corporis, & aliorum martyrum.

MEDI-

MEDITATIO XVIII.

De Sonis, Vocibus, & Cantibus miraculoſis.

1 *Sonus motus eſt aëris percuſſi ab alio corpore.*
2 *Vox idem quod ſonus, ſed cum imaginatione.*
3 *De differentia, & eorum convenientia.*
4 *An ad ſonum tria concurrant corpora?*
5 *Cantus qualis ſonus ſit?*
6 *An vox brutorum dicatur loquela.*
7 *Campanæ per ſe ſonarunt mortem ſervorum Dei.*
8 *Aſina Balaam locuta fuit.*
9 *Aſina videbat Angelum, & non Balaam, & cur?*
10 *Vox articulata exprimit conceptum intellectualem.*
11 *Vox quando ſit vitalis, & quando non?*
12 *Vox audita ex rubo à Moyſe, & Eſdra.*
13 *Vox audita in baptiſmo, & transfiguratione Chriſti.*
14 *Cur tunc non apparuit Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ?*
15 *Apoſtoli loquebantur variis linguis.*
16 *Etiam ex parte loquentis, & non tantùm terminatione.*
17 *Unica erat loquela diverſimodè terminata ad diverſas linguas.*
18 *Reſponſio ad objecta.*
19 *Explicantur verba Actorum cap. 2.*
20 *Cantus Angelorum miraculoſus.*

MEDITATIO XVIII.

1 Sonus eſt motus aëris percuſſi ab aliquo alio corpore. Editur enim ſonus per aërem ab aliquo pulſum, & percuſſum, quies enim ſonum gignere non poteſt. Dividitur autem ſonus immediatè in duas ſpecies ex appoſitis differentiis imaginationis, & ſinè imaginatione. Aer autem pulſus ab aliquo inanime, & vita carente conſtituit ſonum in ſpecie, & eſt duorũ inanimatorum colliſio, ut cùm malleus percutit campanam medio aere ab utroque colliſo; ex quibus ſequitur ſonus ſinè imaginatione, quæ in ſolis animalibus reperitur. Altera ſpecies ſoni appellatur vox, quæ à ſolis animalibus fit cum imaginatione.

2 Vox autem eſt motus aeris percuſſi ab animali cum imaginatione aliquid ſignificandi. Ut latratus canis, mugitus bovis, rugitus leonis, locutio hominis &c. Et hæc ſubdividitur in alias duas ſpecies, nimirùm in articulatam, & inarticulatam. Vox inarticulata eſt ſonus brutorum, qui ſonum habent magis continuum, quàm diſcretum, nullam ferè dicentem diverſitatem, eorum, ergò vox non dividitur in ſua ſignificatione, cùm nullum

habeat ſenſum diſcretivum. Vox verò articulata nuncupatur loquela, ſeu locutio, vox ſcilicèt articulata ex eo, quòd ſonus ab homine editus articulatur, hoc eſt, dividitur in literas, ſyllabas, dictiones, & orationem, undè locutio eſt clara ſignificatio ſoni articulati diſtinguentis pluralitatem, & diverſitatē in eodem ſono.

3 Conveniunt ſonus, & vox in ratione generica, quia ambo dicunt motum aeris percuſſi ab alio corpore. Differunt verò in eo, quòd ſonus in ſpecie eſt ſinè imaginatione, quia percutiens, & percuſſum carent illa, ut malleus, & campana, malleus, & ferrum, duo ligna ſe collidentia &c. Undè ſonus ab his exire in actum non poteſt, niſi prędicta, & illis ſimilia ab aliquo vivente moveantur. Vox verò eſt ab animali cum imaginatione, & per ſeipſum movet, & percutit; undè per ſeipſum dicitur edere ſonum, qui eſt actus vitalis; inanimatorū verò ſonus vitalis non eſt, quia percutiens caret vita, undè ſonum vitalē edere non poteſt ſicut animal.

4 Difficultas eſt, quot corpora ſint neceſſaria ad edēdum ſonum, nam Ariſtot. 2. de Animal. 78. requirit tria corpora, unum percutiens, alterum percuſſum, tertium aerem interceptum, ex quibus ſequitur ſonus, ut patet in Campana, in qua eſt malleus, aer, & æs, ex quo campana eſt compoſita. In animali, lingua, palatus, & aer, cum reliquis inſtrumentis, de quibus dixi Medit. 9 à num. 2. Nihilominùs nonnulli dicunt ſufficere etiam duo, nempè percutiens, & percuſſum, ut patet in virga percutiente aerem, & in ferula quadrigarii, adeſt enim in his ſolùm percutiens virga, ſeù ferula, & aer percuſſus, ex quibus tantùm oritur ſonus. Item cum carra, tela, vel baculus in duas partes ſcinduntur, crepitat aer, & fit ſonus; aqua paritèr decurrendo magno impetu edit rumorem, & ſonum, & tamen ſola aqua rumorē producit ſinè percuſſione, & paritèr ventus ſonum edit ſola aeris agitatione.

℟. Conymbr. Ariſtotelē definiſſe ſolum ſonum perfectum provenire ex illis tribus, non imperfectum. Alii dicunt tria quidem intervenire realitèr inter ſe diſtincta, non tamen diſcontinuata, undè aer in exemplis allatis habet rationem percuſſi, & medii diſcontinuati à virga. In aliis illa tria poſſunt eſſe continuata, & realitèr diſtincta, ut aeris agitatio, una enim pars aliam pellit. Sed hæc ſatis, cum non ſint hujus inſtituti niſi allatę definitiones; Vide Meld. diſp. 5 de Ani. à n. 121.

5 Cantus demùm eſt vocis modulatio, & includit articulationem quandam, & diverſitatem ſoni, ut patet, non ſolùm in cantu edito ab homine, ſed etiam ab aliquibus avibus, ut luſcinia, merula, &c. & aliis inſtrumentis ſonoris, quæ ſonos edunt articulatos.

6 Quærunt nonnulli, an vox brutorum dici poſſit loquela, & ſermo, ſicut appellatur vox edita ab homine? Affirmat Meldul. ea diſp. 5. num. 135. & 136. quia emittunt voces articulatas, & diverſas, bruta enim exprimunt ſuas voces diſtinctis notis, per quas homo diſcernere poteſt unū appetere, & non aliud. Et locutio in picis, & pſitacis manifeſtè auditur tàm diſtinctè, quàm in hominibus. Alii melius reſpondent,

pondent, vocem brutorum propriè non eſſe loquelam, ſed illi aſſimilari per quãdam analogiam, non enim bruta articulizant, ſed ſonum diverſum edunt, quem literis, ſyllabis, nec dictione diſtingui poteſt, quod ſoli loquelæ convenit. Vera ergò, & propria locutio eſt ſonus, & vox edita expreſſiva rationalis conceptus, undè locutio picæ, & pſitaci verè non poteſt dici locutio, cum non ſit expreſſiva alicujus rationalis conceptus. Sed hæc ſatis, deveniamus ad miracula ſoni.

Refero miracula manifeſtata in ſonitu Campanarum, nullo earum trahente funem, ſed ſeipſis ſonantibus divinitùs in morte alicujus ſervi Dei, demonſtrantibus eos ex hac vita in gratia Dei migraſſe ad Dominum. In primis Campanæ Hibleæ, & Netinæ civitatum in Sicilia per ſe ipſas ſonuerunt in morte S. Conradi Confeſſoris Placentini, ex *Annalibus Vading. tom. 4. ad annum* 1351. *n.* 28. Idem accidit in morte B. Joannis ad Caſtrum Maſſacium Marchiæ Aneonitanæ, *ex eodem ibidem ad annum* 1399. *nu.* 5. B. Petri de Caſtro Podii Bonitii Campanæ denuntiarunt mortem fuiſſe Deo gratam; *ex eodem tom.* 1. *ad annum* 1242. *num.* 20. Poſt mortem B. Torelli de Caſtro Puppii in Tuſcia, ſtatim Campanæ per circunvicina loca ſonum ſuũ ex ſeipſis dare cæperunt, ſignificantes mortem ſervi ſui, *ex eodem tom.* 2. *ad annum* 1282. *nu.* 6. Mortem quoquè B. Veridianæ ex Caſtro Florentiolæ in Tuſcia ſonuerunt campanæ, *ex eodem tom.* 1. *ad annum* 1242. *num.* 22. Vivaldi quoquè mortem patefecerunt Campanæ Caſtri S. Geminiani, *ex eodem tom.* 2. *ad annum* 1300. *nu.* 11. Supradicti omnes Beati ſunt profeſſi Tertii Ordinis S. Franciſci, cujus & ego indignus ſum alumnus.

Conſtat ex his, earum Campanarum ſonitum denuntiantem illos Dei ſervos, & amicos migraſſe in gratia ad Chriſtum, & talem ſonum fuiſſe miraculoſum, dum Campanæ per ſe ipſas ſonitum dedere à nullo tractæ, niſi per occultam cauſam, nempe Deum, qui ea miraculosè ſonare fecit, campanæ enim numquàm ſonant, niſi ab aliquo per funem trahantur, vel percutiantur, cum ergò nullo trahente ſonum ſuum darent, miraculoſus fuit earum Sonitus. Et de hac re non eſt dubitandum.

Videndum modò eſt, an ex vocibus animalium fiant miracula, & qu omodo; non loquor de eorum vocibus naturalibus, in quantùm dicunt motum aeris percuſſi per eorum linguam ſinè articulatione; vocem enim naturalem habent illis inſervientem ad ſignificandas proprias paſſiones.

8 Nihilominus, ſi aliter eorum voces exprimant ſuas paſſiones, articulando ſcilicèt ſonos per loquelam, & ſermonem, ut faciunt homines, dicendæ ſunt eorum voces miraculoſæ, quia talis locutio more hominum excedit vires brutorum, & eorum vocem edendi conſuetudinem, ut patet. Miraculum accidit hujuſmodi in Aſina Balaam Num. 22. dum ibat maledicere populo Dei ad inſtantiam Balaæ Regis Moabitarum, num. 21. ſequentia habentur. *Surrexit Balaam manè, & ſtrata aſina ſua profe-*

ctus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus. Stetitque Angelus Domini in via contrà Balaam, qui inſidebat Aſinæ, & duos pueros habebat ſecùm. Cernens Aſina Angelum ſtantem in via, evaginato gladio, avertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam ducere; ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns Aſina junxit ſe parieti, & attrivit ſedentis pedem. At ille iterùm verberabat eam. Et nihilominus Angelus ad locum anguſtum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram poterat deviare obvius ſtetit. Cumque vidiſſet Aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſtantis, qui iratus, vehementer cædebat fuſte latera ejus. Aperuitque Dominus os Aſinæ; & locuta eſt: Quid feci tibi? Cur percutis me? Ecce jàm tertiò? Reſpondit Balaam; quia commeruiſti, & illuſiſti mihi, utinam haberem gladium, ut te percuterem; Dixit Aſina: Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti uſque in præſentem diem? Dic, quid ſimile unquàm fecerim tibi: At ille ait: Nunquàm. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.

Duo miracula hìc cernuntur, unum in locutione Aſinæ, alterum in cæcitate Balaam relativè ad Aſinam, quæ Angelum vidit, non viſum à Balaam. Locutio ergò in Aſina fuit miraculoſa, quæ & ſi inſtrumentum linguæ haberet, non tamen ad ſermonem aptum, ſed tantùm ad proferendam vocem inarticulatam; undè ſit ejus locutio appareret admirabilis, & non conformis ejus naturæ, *aperuit Dominus os Aſinæ, & locuta eſt*, audiebatur vox inſolita difformis naturæ hujus animalis, & non videbatur cauſa talem ingerens locutionem, qui erat Dominus homini inviſibilis, unde Scriptura cauſam notificat, dicendo *Aperuit Dominus os Aſinæ*, quod non ſufficiebat, quia os quandoquè aperitur ab animali, & non loquitur, ideò textus ſubdit *Et locuta eſt*. Clarus, & manifeſtus eſt effectus locutionis, & quòd non convenit naturæ Aſinæ, occulta ejus cauſa manifeſtata per ſacram Scripturam; eſt ergò talis locutio miraculoſa procedens ex cauſa occulta movente linguam ad locutionem articulatam excedentem vires ipſius animalis, quod nonniſi inarticulatè vocem emittere poterat de ſe. Vide D. Aug. tom. 3. lib. 1. de Mirabil. cap. 34. ubi de locutione mirabili hujùs Aſinæ, quæ loquebatur, Deo movente linguam ejus, & ignorabat quid, & quomodò loqueretur.

9 Alterum miraculum eſt, quòd Balaam non videbat Angelum viſum ab Aſina, quod valdè eſt admirabile, quòd oculi corporei non cœci non viderent obiectum ſenſibile ſibi vicinum, cum videretur ab Aſina exiſtente in eodem loco proximo, dum illi inſidebat; objectum enim viſibile habens omnia requiſita, non poteſt non tranſmittere ſpecies ſuas ad potentiam ſibi debito modo approximatam, nullo interpoſito medio, ſicut enim objectum neceſſariò ſuas tranſmittit ſpecies ad potentiam, ità hæc neceſſariò illas recipit, & efficit viſionem; ſed id factum non fuit in hoc caſu, ergò id fuit aliud miraculum,

lum, in quo ſuſpenſus fuit effectus tranſmiſſionis ſpecierum ab objecto ad potentiam, contrà curſum naturalem ipſorum objecti, & potentiæ, quæ operantur naturalitèr, & neceſſariò, & impediri non poſſunt, niſi deſuper, vel diabolica illuſione per artem magicam, quæ hic locum non habuit; ergò cum hujuſmodi ſuſpenſio fuerit à Deo, dicenda eſt miraculoſa. Cur autem Aſina, & non Balaam, viderit Angelum? Reſpondet D. Auguſt. tom. 10. ſerm. 103. de tempore, id accidiſſe propter avaritiam ipſius Balaam.

Dices, animalia loqui non eſt miraculum, quia loquela eſt vox communis utriſque, animalibus tàm irrationalibus, quàm rationalibus, ut dixi ſuprà ex Meldulenſi; & experientia notum eſt, pſitacas, & picas loqui etiam articulatè, ergò locutio Aſinæ fuit naturalis, non ſupernaturalis, & miraculoſa.

10 Reſpondi jam ſuprà, loquelam, quæ eſt vox articulata ſyllabis, & dictionibus, non eſſe communem bellvis, ſed propriam hominis, qui per eam exprimit audientibus ſuos conceptus rationales, quales nullatenus bruta formare poſſunt tamquam rationales; & ſi qua animalia, ut cum eis corvus, aliqua verba articulata proferunt, propriè loqui non dicuntur; quia conceptus expreſſi per tales voces animalium, & ſi actio vitalis, cum ſit ab eorum vitali lingua; non ſunt rationales, neque procedentes ab anima rationali, qua carent talia animalia; ratio enim facit diſtinguere, & articulare vocem in ſolo homine, qui ſolus ratione præditus eſt. Itaque Aſina Balaam cum careat ratione, per ſe loquelam emitere non potuit, ſed Deus per Angelum os ejus aperuit, & linguam movit ad locutionem. Supradictæ beſtiolæ inſtructæ fuerunt ab homine, qui ſæpius loquendo immittit vocem articulatam in ejus auribus, & ſic ipſæ quoque ea verba proferunt ſono, non mente, quia neſciunt, quid dicant. Aſina verò nullatenùs fuit inſtructa, ſed Deus os ejus aperuit, & movit linguam ad locutionem ſtatim abſque inſtructione.

11 Quærit Delrius lib. 2. Diſquiſ. Magic. q. 19. An locutiones hujus generis ſint actiones vitales animalis bruti loquentis? Diſtinguit, actionem locutionis in animalibus habentibus organa apta, & accommodata ad loquendum, eſſe vitalem, ſi vivum animal proferat verba, ſed eam non eſſe intellectualem reſpectu illius animalis, quia caret intellectu; eſſe verò intellectualem reſpectu Angeli moventis illius organa, & loquentis. Non eſſe verò vitalem eam locutionem in aliis animalibus, quæ organa non habent accommodata locutioni, quia, tunc vocem articulatā non agunt ob defectum organorum, ſed eam locutionem facit Angelus formatam in aere intrà animal, vel extrà illud propè. Idem à fortiori dicendum eſt de rebus inſenſatis, quæ ſimplicitèr carent organis loquutionis.

12 Non ſolùm in animalibus Deus locutus fuit per Angelos ſuos, ſed etiam ex rebus inſenſatis, oſtendendo mirabiles locutiones, nam Moyſi 3. Exodi 2. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi,*

rubi, & ait: Moyſes, Moyſes, ne appropies huc, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Similem quoque locutionem Deus fecit cum Eſdra, ut legitur in ejus lib. 4. cap. 14. 2. *Et ecce vox exivit contrà me de rubo, & dixit: Eſdra, Eſdra: Revelans revelatus ſum ſuper rubum, & locutus ſum Moyſi &c.* Loquebatur ergò Deus per Angelum Moyſi, & Eſdræ de medio rubi, à quo vox perveniebat ad aures illorum, nihil activitatis conferente ipſo rubo, ſed Angelo formante vocem intellectualem, & articulatam à rubo procedentem ad aures ſervorum Dei; rubus ergò erat ſignum locale demonſtrans locum, à quo vox incipiebat. Vide Delrium multas referentem prodigioſas locutiones arte Dæmonum, quæ non ſunt miracula, ſed illorum illuſiones, & deceptiones, ac proindè non ſunt hujus loci, & inſtituti.

13 Vox mirabilis ſinè ſubjecto ſenſibili audita fuit de cœlo deſcendere poſt baptiſmum Chriſti à Joanne factum, Matth. 3. 16. *Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Similem quoque vocem de nube audivit ſibi factam, quandò fuit transfiguratus in monte Thabor, Matth. 17. 5. Lucæ 9. 35. Marci 9. 6. Petri Epiſt. 2. 1. num. 17. Fuit vox miraculoſa nullo animalis inſtrumento formata, ſed in nube ex aeris organo angelicis manibus formato, prolata paritèr per Angelum utriuſque productorem, per quam Deus Apoſtolis notificavit Chriſtum eſſe ejus filium naturalem, & legitimum ab æterno genitum, ac proindè ipſum eſſe audiendum, & obediendum, ſicut ſeipſum, cum quo ipſe Deus eſt in unitate ſubſtantiæ. Deſcendit prior Spiritus Dei in forma Columbæ, quod eſt aliud miraculum, & poſteà vox audita fuit, quia amorem per Columbæ ſpeciem Spiritum Sanctum repræſentantem, voce cœleſti manifeſtavit, cũ dixit: *Hic eſt*
14 *filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* In transfiguratione non cõparvit Spiritus Dei in ſpecie Colũbæ, quia in ſeipſo tunc exteriùs apparentem habebat candorem lucis, & veſtimenta alba magis, quàm ſi apparuiſſet Columba, cum ſuis pennis albis.

15 Agendum modò eſt de variis linguis, quibus Apoſtoli locuti ſunt, maximè in die ſancto Pentecoſtes, de quibus dicitur in Act. Apoſt. 2. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquàm ignis, ſeditque ſuprà ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jeruſalem habitantes Judæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt. Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt; & quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?*

Stupebant

Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem, dicentes: Quidnam vult hoc eſſe? Alii autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt iſti. Planè ex his conſtat, locutionem variarum linguarum in Apoſtolis fuiſſe miraculoſam, tùm quia illis infuſa fuit per Spiritum Sanctum, ut id indicat ejus ſeſſio ſuper capita ſingulorum. Tùm quia antè; hoc genus locutionis non habebant, ſed vehementia Spiritus Sancti de repente infudit illis pluralitatem linguarum. Tùm quia omnes audientes ſtupebant, & mirabantur, quòd nonniſi miraculum in tàm varia locutione arguit. Tùm quia inter ſigna, ideſt miracula, connumeratur locutio variarum linguarum, Marci ult. 17. *Linguis loquentur novis*. Ad formationem hujus tàm admirabilis miraculi hæc intervenerunt, in primis deſcendit de cœlo quidam ventus repentinus, & vehemens, qui diſpoſuit organa vocis, & intellectum Apoſtolorum ad recipiendum varietatem linguarum; deinde Spiritus Sanctus in forma ignis, quaſi capita eorum purificando, ad intelligenda divina myſteria ſedit ſuper ſingulos illorum; demùm Spiritus Sanctus inviſibiliter ſeipſum infudit in illis per gratiam non ſolùm ſanctificantem, ſed etiam gratis datam, hoc eſt, *genera linguarum* de qua Apoſt. 1. ad Corinth. 12. 10. quibus edocti, & illuminati cæperunt loqui variis linguis. Fuit ergò miraculum, quòd loquerentur Apoſtoli variis linguis, ut ex Gloſ. & Beda ſuper cap. 2. Actor. refert S. Thomas 2. 2. q. 176. art. 1. ad 2.

Non levis difficultas hinc oritur circa modum, quo Apoſtoli loquabantur variis linguis; nam quamvis de fide certum ſit, quòd habuerunt genera omnium linguarum, quia cum jam à Chriſto deſtinati eſſent ad inſtruendas omnes gentes per univerſum orbem, ne linguas ab eiſdem gentibus addiſcerent, quia id erat incongruum, imò periculoſum, ne deciperentur, neceſſe fuit, quòd Deus illis infunderet donum linguarum, ut fecit, tamen non conſtat de modo loquendi, qui in eis ſpectari poteſt dupliciter, *primò* quòd Apoſtoli ſucceſſivè loquerentur variis linguis, e. g. Judæis lingua hebraica, Chaldæis chaldaica, Arabibus arabica, Romanis romana, & in hoc neque ſtat difficultas, quia omnes linguas habebant conformes linguis eorum, quibus prædicabant. *Secundò* quòd ſimul loquerentur variis linguis e. g. in die Pentecoſtes Jeroſolimis erant de omnibus nationibus mundi homines, ut dicitur in textu, numquid Petrus ſimul, & ſemel loquebatur variis linguis tàm ex parte ſua, quàm ex parte audientium, qui omnes Petrum intelligebant ſinguli ſecundùm ſenſum ſuæ linguæ, an ſcilicet, ſicut in eo puncto temporis, quo Petrus loquebatur, Judæi, Arabes, & Chaldæi ſuis linguis intelligebant, & ſic tres erant linguæ ex parte auditorii, an pariter tribus linguis ſimul, & ſemel ipſe Petrus exprimeret ſuam vocem, & loqueretur Judaicè, Arabicè, & Chaldaicè, ſicut illi audiebant. An verò ex parte Petri unicus eſſet ſonus articulatæ vocis, & cujus linguæ? & ex parte auditorii ſpecies ſenſibiles ab unica, & eadem

locutione

locutione procedentes reciperentur ſingulæ in auribus audientium producentes in eis diverſitatem linguarum juxtà eorum capacitatem, & intelligentiam ſuorum idiomatum?

16 Sanctus Thomas 2. 2. q. 176. art. 1. ad 2. dicit, quod quamvis fieri potuiſſet, quòd Apoſtoli per unam linguam loquentes ab omnibus intelligerentur, aut quod omnibus linguis loquerentur, tamen convenientius fuit, quòd ipſi omnibus linguis loquerentur, quia hoc pertinebat ad perfectionem ſcientiæ ipſorum per quam non ſolùm loqui, ſed intelligere etiam, poſſent, quæ ab aliis dicebantur. Si autem omnes unam eorum linguam intellexiſſent, hoc vel fuiſſet per ſcientiam illorum, qui eos loquentes intelligerent, vel fuiſſet quædam quaſi illuſio, dum aliorum verba aliter ad eorū aures proferrentur, quàm ipſi ea proferrent. Et ideò majori miraculo factum eſt, ut omnium linguarum generibus loquerentur; & Paulus 1. Corinth. 14. ait: Gratias ago Deo, quod omnium veſtrum lingua loquor. Ita Sanctus Thomas.

Ex quibus deducitur reſponſio ad quæſtionem; nam, ut dixi ſuprà, certum eſt, Apoſtolos habuiſſe cognitionem omnium linguarum, & in hoc nulla difficultas, quia id ſatis manifeſtè dicitur in textu cap. 2. Act. ſucceſſivè ergò loquebantur variis linguis juxtà capacitatem illius gentis, cui prædicabant, undè cum Judæis loquebantur lingua Judaica, non Arabica, ſicut faciebant cum Arabibus.

17 Dicit, quòd Apoſtoli unica lingua potuiſſent intelligi à diverſis linguis, quòd tamen nòn fecerunt, ob rationes ibi adductas, nempè, quia hoc fuiſſet per ſcientiam audientium Apoſtolos loquentes; vel per illuſionem, dum Apoſtolorum verba aliter pervenirent ad aures audientium. Ego autem hic dicerem, quemlibet Apoſtolum ſimul, & ſemel prædicantem pluribus diverſarum linguarum, unica tunc uſum fuiſſe lingua, & quidem propria & naturali hæbraica, quæ deindè per diverſitatem ſpecierum juxtà ſingulorum audientium capacitatem perveniret ad eorum aures, in hoc enim majus miraculum perſpicitur; nam valdè admirabile eſt, quòd unica lingua diverſis linguis ſerviat; & admirabilius, quòd diverſitas ſpecierum ab eadem cauſa locutionis procedat. Loqui autem ſimul, & ſemel pluribus linguis videtur impoſſibile; quia cum unica ſit vox, & ſonus indiviſibilis, & uniformis, impoſſibile eſt, quod ſit varius, & diverſus in ſeipſo, aliter non eſſet unus ſonus, & eſſet unus ſonus ex ſuppoſitione, ergò cum ſit impoſſibilis unica loquela ad diverſas impoſſibile quoque erit, quod unica vox ſit plures voces. Reſtat ergò, quod illa loquela ſit quidem una, ſed ex parte audientium attendatur diverſitas linguarum reſpectu ſpecierum tendentium ad auditum juxtà capacitatem, & exigentiam auditorum, una ergò numero lingua, & vox tranſire non poteſt ad aures audientium, & facere illos intelligere juxtà propriam linguam, ſed id munus pertinet ad ſpecies terminatæ ad diverſitatem linguarum, & ſicut termini ſunt diverſarum linguarum

rum, ita oportet, quòd ſpecies tales ſint reſpectu ſuorum terminorum.

18 Et ex his reſpondetur ad rationes D. Thomæ. Ad primam dico, quòd unuſquiſq; audiens audiret per proprium auditum, & intelligeret per propriam ſcientiam acquiſitam à loquente, ſicut diſcipulus acquirit cognitionem, & ſcientiam à ſuo magiſtro; neque enim auditores concionis Apoſtolicæ dicuntur facere miraculum, dum audiunt; & intelligunt prædicatorem, ſi apti ſunt audire, & intelligere, quod eis prædicatione, & inſtructione tribuitur. Ad ſecundùm, quòd tunc videretur illuſio, dum eorum verba aliter ad eorum aures pervenirent; dico ibi nullam eſſe illuſionem, quia non verba, non ſonus, nec vox loquentis pervenit ex ſua formalitate ad aures audientis, ſed ſecundùm impreſſionem ſpecierum cauſabatur auditus mirabilis in audientibus; ex quo apparet majus miraculum, quàm quòd ſi plures linguæ terminarent ad plures alias linguas ſimiles reſpectivè, cum in his appareret ſimplex miraculum ex parte tantùm loquentis: in illis verò eſſet majus, & compoſitius, tùm ex parte loquentis, tùm ex parte audientis ex diverſitate ſpecierum reſpectivè ad diverſas nationes. Apoſtoli ergò cum ſimul, & ſemel loquerentur ad diverſas linguas, ſua lingua loquebantur, ut probatum fuit, nòn autem pluribus linguis ad plures linguas, quia hujuſmodi locutio ex parte loquentis eſt impoſſibilis, ut ſupra dixi; & confirmo, quia diverſa verba relata etiam ad eundem ſenſum in re ſimul, & ſemel proferri non poſſunt, ſed tantùm ſucceſſivè; menſurantur enim tempore etiam ſecundùm eorum diverſitatem; ergò unica tantùm lingua Apoſtoli locuti fuerunt, ex qua fluebant diverſæ ſpecies ad auditum diverſarum linguarum.

Sed contra, quia ſi non admittamus pluralitatem linguarum ex parte loquentis, tollitur ratio miraculi, quia quis ſtudio poteſt acquirere plures linguas, & eis loqui relativè, & proportionalitèr ad audientes juxtà eorum capacitatem, & de hoc non eſt dubitandum, quia experientia patet. Adde, quòd ſupradicta manifeſtè adverſantur ſacræ Scripturæ, quæ apertè dicit loco citato Act. *Loquebantur variis linguis*. Item. *Facta hac voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Nonne omnes iſti, qui loquuntur Galilęi ſunt, & quomodò nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Cum ergò ex his manifeſtè colligatur, Apoſtolos in illo die locutos fuiſſe non una lingua, ſed diverſis, juxtà diverſitatem illarum gentium, falſum eſt, illos ſimul, & ſemel una tantùm lingua locutos fuiſſe, ſed revera pluribus ex parte ipſorum Apoſtolorum.

19 Reſp. Non tollimus pluralitatem linguarum ab Apoſtolis, ſed aſſerimus donum linguarum; ſolùm dicimus non poſſe ſimul, & ſemel loqui variis linguis ex parte loquentis reſpectu diverſorum, ſed unica tantùm, quæ deinde cauſat diverſitatem ſpecierum juxtà audientium diverſas linguas. Ad textus ſacræ Scripturæ reſpondeo, Apoſtolos locutos

Digitized by Google

fuiſſe ſucceſſivè, non ſimul variis linguis ex parte eorum. Et illo die Pentecoſtes *Facta hac voce*, hoc eſt, unica omnium Apoſtolorum voce, ſcilicèt hebraica, qua omnes loquebantur, *convenit multitudo*, ideſt, multitudo audientium erant ſimul ad audiendam concionem, *& mente confuſa eſt*, Ideſt, illa vox uniformis Apoſtolorum loquentium hebraicè *confuſa eſt mente* ideſt diviſa, & diverſa facta juxtà diverſitatem audientium, ut patet ſequentibus verbis, *quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes*, non loquebantur Apoſtoli linguis audientium, ut videtur textus dicere, ſed ita videbatur audientibus propter diverſas ſpecies immiſſas ad eorum aures, quarum ſenſum ſinguli audientes intelligebant ſecundùm propriam ſingulorum linguam, & ideò textus dicit, *& mente confuſa eſt*, ſcilicèt ea unica vox hebraica Apoſtolorum confuſa eſt, quia ab eis auditoribus intelligebatur confuſè ideſt diverſimodè, & ſecundùm diverſitatem linguarum ipſorum; & magis id confirmatur ex ſequentibus verbis: *Nonne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt?* habentes ſcilicet linguam propriam, ſcilicèt hebraicam. *Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?*

Admiratio hæc, & curioſitas audientium fuit in eo, quòd Apoſtoli propria lingua loquebantur, & auditores ſentiebant unuſquiſque diverſitatem linguarum propriarum, quæ dependebant ab illa unica lingua, quæ auditoribus videbatur lingua Apoſtolorum propria, quæ tamen terminativè talis non erat ſecundùm voces, ſed multiplex, & diverſa ſecundùm diverſitatem linguarum audientium; unitas ergò linguæ ſe tenebat ex parte Apoſtolorum; diverſitas verò linguarum ab ea dependens tamquam à cauſa, terminabat ad aures juxtà audientium idioma, & ex hoc auditores putabant, Apoſtolos loqui lingua eorum, quia nihil aliud audiebant, niſi propriam linguam, in qua erant nati. Lingua ergò Apoſtolorum, fuit multiplex & diverſa terminativè, ut audiebant auditores, non elicitivè, & prout erat vox illorum propria, quæ erat unius idiomatis, mente poſtea confuſa, & diviſa inter auditores per diverſitatem ſpecierum; ſicut enim ſpecies ſoni per aerem juxtà refractionem variatur, ita poſſibile eſt, quòd ſpecies diverſimodè, Deo ſic diſponente, tranſeant juxtà diverſa idiomata ad aures auditorum.

Addamus in confirmationem prædictorum miraculum S. Vincentii Ferrerii Ordinis Prædicatorum, de quo refertur in Lect. 8. in Martyrol. Hiſpano ad diem V. Aprilis. *Fuit autem imprimis ei donum linguarum conceſſum; nam cum apud diverſarum linguarum populos ſua paterna lingua prædicaſſet, à ſingulis tamen diſtinctè, ac perſpicuè ſingula ejus verba intelligebantur, perinde ac ſi in eorum terris natus eſſet*. Ergo ex parte prædicantis unica erat lingua, quæ diverſa verba infundebat in auribus omnium juxtà eorum capacitatem.

20 Reliquum eſt, ut aliquid dicamus de cantibus miraculoſis, quæ ſolent accidere, ut in nativitate Domini, in morte aliquorū, San-

Sanctorum, concinatis ab Angelis, & beatis ſpiritibus Dei juſſione, ut legitur apud Lucam cap. 2. 13. *Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Gloria eſt in Paradiſo, pax verò neceſſaria eſt in terra, quæ de cœlo deſcendit ad homines bonæ voluntatis; unde pax Natalis Domini non fuit pro Herode, nec ejus ſequacibus, qui necem pueri nati quærebant. In morte plurium Sanctorum Angeli cecinerunt laudem Deo, per hujuſmodi lætitiam demonſtrantes eorum mortem fuiſſe pretioſam in conſpectu Domini. Hoc accidit in morte Sancti Martini, ut legitur lect. 6. ejus officii: *Martinus unum, & octoginta annos natus animam Deo reddidit, quam Angelorum chorus excepit, eoſque divinas laudes canentes multi, inprimiſque Severinus Colonienſis Epiſcopus audivit.*

Cantus autem hujus generis ſinè dubio ſunt miraculoſi, quia eos operatur Deus miniſterio Angelorum in aere formantium voces ſonoras, quod excedit vires humanas; nam homo intrà ſe, & vitali modulatione cantum edit, & non extrà ſe vocem modulatam intonat, ut faciunt Angeli non intrà ſe, ſed in aere ſic efformato, ut audiatur cantus artificio Angelico.

MEDITATIO XIX.

De Converſione miraculoſa unius rei in aliam.

1 *Converſio eſt mutatio unius rei in aliam rem.*
2 *Corruptio unius eſt generatio alterius.*
3 *Converſio alia generatio, alia alteratio.*
4 *Differunt generatio, & alteratio.*
5 *Converſio ſex requirit conditiones.*
6 *Defectu unius, vel alterius eſt ſupernaturalis.*
7 *Uxor Loth converſa in ſtatuam ſalis.*
8 *Converſiones factæ à Moyſe, & Aaron miraculoſæ.*
9 *Chriſtus aquam in vinum vertit.*
10 *Sanctus Franciſcus aquam in vinum, & acetum in vinum fecit.*
11 *Mixta an convertantur.*
12 *Converſio aquæ in vinum fit per alterationem.*
13 *Sancti Conradi miraculoſa converſio carnis in piſces.*
14 *Eliſabeth junioris miracula de aqua in vinum, & de roſis in pecunias.*
15 *In probatione miraculoſæ converſionis debet conſtare de utroque.*
16 *Converſio panis in Corpus Chriſti ſola dicitur Tranſubſtantiatio.*
17 *De ratione miraculi, quòd ejus effectus ſit ſenſibilis.*
18 *Miracula videntur, non creduntur.*
19 *Admiratio miraculorum alia ab admiratione inviſibilium.*

MEDITATIO XIX.

1 Converſio eſt mutatio unius rei in aliam à priori diverſam, facta ab agente de potentia materiæ, & ſubjecti formam educente; neque enim agens naturale operari poteſt ſinè communi ſubjecto utriuſque formæ, corruptæ ſcilicèt, & genitæ; nam cum materia, quæ mutationis ſubjectum eſt, ſit ingenerabilis, & incorruptibilis, neceſsè eſt, quòd maneat pro ſecundo compoſito; quia materia, & forma ex ea educta dant eſſe compoſito, cui inſunt, ergò utrique communis eſſe debet. Et in hoc differt converſio, & mutatio à creatione, nam hæc nullum præſupponit ſubjectum, ex quo educat formam, ſed totum eſſe tribuit creato independenter à materia, cum ſit productio ex nihilo ſubjecti, converſio verò eſt productio compoſiti dependenter à ſubjecto, ex quo forma educitur.

2 Quoniam autem corruptio unius eſt generatio alterius, hine eſt, quòd in converſione ſpectantur quatuor termini oppoſiti, duo ex parte corruptionis, & alii duo ex parte generationis, nam in corruptione ſubjectum tranſit à termino à quo poſitivo de eſſe ſub

ſub illo ad terminum ad quem negativum non amplius exiſtentem; in generatione res è contra ſe habet, nam ſubjectum tranſit à termino a quo privativo, & à non eſſe, ad terminum ad quem poſitivum incipientem eſſe.

3 Allata definitio convenit non ſolùm generationi, ſed etiam alterationi; dicimus enim, quòd aqua convertitur in aerem, & lignum in ignem, quæ vocatur generatio, & mutatio unius ſubſtantiæ in aliam, ex cujus materia forma ſubſtantialis dicitur educta, undè generatio habet pro termino formali eductionis formam ſubſtantialem erutam dependentèr à materia, & pro totali ipſum ſubſtantiale compoſitum. Competit etiam ea definitio Alterationi; eſt enim converſio unius in alium, nempè unius accidentis in aliud; dicimus enim, quòd callidum convertitur in frigidum, & nigrum in album. Itaque generatio pro termino partiali habet eductionem formæ ſubſtantialis, & pro totali productionem compoſiti ſubſtantialis. Alteratio verò pro formali partiali aliquam formam accidentalē, & pro totali compoſitum accidentale.

4 Differunt autem generatio, & alteratio in eo, & quidem *primò*, quia generatio terminatur ad ſubſtantiam, alteratio ad qualitatem. *Secundò*, forma ſubſtantialis nata eſt per ſe introduci in inſtanti in ſubjectum, quia non ſuſcipit magis, & minus, nec habet contrarium; forma verò accidentalis ſucceſſivè, & in tempore inducitur, quia intenditur, & remittitur, atque contrarium habet. *Tertiò*, generatio eſt propter ſe, non enim ordinatur ad aliam mutationem; alteratio verò quatenus corruptiva ordinatur ad generationem. *Quartò*, in generatione ſubjectum incompletum à forma ſubſtantiali corrupta tranſit ſub formam noviter advenientem, in alteratione verò ſubjectum idem ſubſtantiale manet ſub utraque accidentali forma, homo enim de calido fit frigidus.

5 Colligitur ex dictis ad converſionem ſecundùm naturæ curſum ordinarium, requiri quinque conditiones. *Prima* eſt, quòd ſit inter duos terminos poſitivos cum connexione eorum inter ſe, ex quo eſt mutatio unius rei in aliam. *Secunda*, ut prior res deſinat eſſe, & poſterior illi ſuccedat, in quam prior dicitur converti. *Tertia*, ut id contingat duabus actionibus realibus, quarum una ſit corruptiva præcedentis rei, & altera poſterioris generativa. *Quarta*, quòd materia utrique ſit communis; ac proinde præcedat tempore poſterius compoſitum. *Quinta*, quòd præcedat alteratio diſpoſitiva ad corruptionem prioris compoſiti, & generationem ſubſequentis, quæ cum ſit inter contrarias qualitates, non niſi ſucceſſivè ſubjectum diſponi poteſt; ideò non in inſtanti, ſed in tempore fit converſio unius rei in aliam, & hæc ſucceſſio erit ſexta conditio.

Ex his ergò cognoſcitur naturalis converſio unius rei in aliam, quæ non excedit vires agentis.

6 Defectu autem unius, & alterius conditionis converſio facta non poteſt dici naturalis, ſed tantùm ſupernaturalis, & miraculoſa, ut magis apparebit in ſequen-

ſequentibus converſionibus, quæ ſine dubio excedunt vires naturæ, ut converſio uxoris Loth in ſtatuam ſalis, aquæ in vinum, panis in corpus Chriſti, &c. de quibus mox dicam.

7 Prima converſio fuit uxoris Loth in ſtatuam ſalis inobedientis Deo, cui cum Loth præceperat; *noli reſpicere poſt tergum* Gen. 19. 17. dum exibat è civitate Sodomitarum, undè legitur infra numer. 26. *Reſpiciens uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Moyſes quamplures fecit miraculoſas converſiones, nam virgam convertit in colubrum, & manu accipiens caudam colubri, illum convertit in eandem virgam; & propriam manum de ſinu extrahentem leproſam fecit ſanam, ut legitur Exodi 4. & cap. 7. ubi coràm Pharaone Aaron virgam convertit in colubrum, & ſimiliter incantatores Pharaonis ſuas virgas converterunt in dracones; ſed virga Aaronis devoravit virgas illorum, & multa alia ſigna fecerunt Moyſes, & Aaron, ut Pharaonem flecterent ad dimitendum populum, qui obſtinatior factus recuſabat dimittere illum niſi in manu potenti.

8 Nulli dubium eſt hujuſmodi converſiones non fuiſſe naturales, ſed miraculoſas, quia in his deficinnt 4. 5. & 6. conditio; nam Deus per ſervos ſuos Moyſen, & Aaron projectione virgæ convertebat eam in ſerpentem, & ejuſdem percuſſione aquarum, iſtæ convertebantur in ſanguinem, qnod non niſi in inſtanti fiebat ſola projectione, aut percuſſione virgæ, quæ actiones ab eis fiebant in ictu oculi, nulla præcedente alteratione, quà virga diſponeretur ad corruptionem, & ad generationem ſerpentis, aut ad converſionem aquæ in ſanguinem; nihil enim aliud præmittebatur illis converſionibus, præter projectionem, ſeu percuſſionem, quæ certè rationem non habent alterationis diſpoſitivæ, dum nullam habent proportionem, nec vim, aut contrarietatem reſpectu corruptionis, & generationis illarum rerum, undè cum deficiat 5. & 6. conditio, converſio non poteſt eſſe naturalis. Deficit quoque 4. quia productio ſecundæ rei ex prima non habet commune ſubjectum, ſed Deus ex toto poſterius produxit, deſinente in totum re priori; neq; enim Deus cum ſit omnipotens, eget in ſuis operationibus ſubjecto, ex quo tamquàm præexiſtente educat formam, cum id nonnihil imperfectionis videatur inſinuare.

9 Chriſtus in nuptiis Canæ Galilææ aquam in vinum optimum convertit, Joan. 2. 7. *Implete hydrias aqua, & impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus. Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, undè eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam.* Juſſit Chriſtus ſex hydrias aqua impleri, & uſque ad ſummum, ne quis diceret, vinum aqua fuiſſe mixtum, & ſic non eſſe miraculum, ut reverà erat, cum textus ſub num. 10. ſubjungat: *Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc*, quale dici non poteſt mixtum aqua. Evangeliſta Joannes, ſub num. 11.

hanc

hanc converſionem appellat miraculum, ibi: *Hoc fecit initium ſignorum Jeſu in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Nomine autem ſigni venit miraculum, ut docui Medit. 1. num. 4. quod etiam confirmatur illis verbis: *Manifeſtavit gloriam ſuam*, quæ oſtenditur ab iis, qui opera heroica, & excedentia propriam virtutem faciunt cum admiratione omnium.

Multi alii ſancti imitati ſunt
10 Chriſtum Dominum, convertentes aquam in vinum. Nam S. P. Franciſcus operariis laborantibus in ædificatione Conventus loci de Trabe Bonantis, & ardore ſitis quaſi deficientibus, miſit duos ex Fratribus ſuis ad Caſtrum Jovis vicinum, ut eleemoſinam vini quærerent, ſed moram facientibus, illis compatiendo, ſcaturientem aquam ſigno Crucis in optimum vinum illis miniſtravit, ex quo per integram horam licuit illis haurire, & ſitim abundè extinguere. Vading. tom. 1. ad annum 1215. num. 26. qui ibidem ad annum 1213. num. 11. retulerat aliud miraculum de aceto in vinum converſo. Quodam enim die pranſus fuerat in domo Præfecti Eccleſiæ S. Chriſtophori cum aliis multis convivis, & dum ipſe narraret ſe in cellario ſuo habere quædam vini dolia in acetum converſa, voluit, ut deguſtaretur à convivis recumbentibus, vir Dei accepto aceti Cyatho, & Cruce ſignato tradidit Præsbitero ſibi vicino Joanni nominato Eccleſiæ S. Caſſiani ſacellano, qui dum acetum ſe guſtaturum putaret, ut cæteri fecerant, vinum invenit mox optimum, & ſubridens totum deglutivit poculum, unde ex hoc omnes convivæ agnoverunt Dei virtutem in ſervo ſuo Franciſco.

11 Videntur obſtare his de converſione aquæ in vinum nonnulli Philoſophi, qui probant, aquam naturaliter converti in vinum, quos ſequuntur *Conymbr. 1. de Gener. cap. 10. q. 1. art. 2. Suar. par. 3. tom. 3. diſp. 45. ſect. 4. Vaſq. de Euchar. diſp. 178. num. 4. cum aliis Meldulenſ. diſp. 7. de Generat. q. 5. à num. 51.* Contra multos alios cum Areſio lib. 1. de Generat. q. 52. negantes hujuſmodi converſionem, quorum argumentis reſpondet ibidem Meldul. à num. 54. antecedenter enim probaverat converſionem in multis mixtis.

12 Sed quicquid ſit de hoc, an mixta ſint activa, nec ne, pars enim affirmativa videtur experientia conſtare, cum magnes in ſuam naturam convertat ferrum, ex Ferdinando Medic. tract. 2. de facult. q. 1. concl. 5. item plumbum in locis humidis acquirit majus pondus ex aere in ſe converſo, Scalig. exercit. 104. num. 17. & acetum in ſe convertit vinum, & aqua in dolio convertitur in vinum, ex Ariſt. 2. lib. 1. de gener. tex. 34. 39. & 42. Adhuc admiſſa ſententia affirmativa de naturali converſione aquæ in vinum; nihilominus ſalvatur ratio miraculi in dictis converſionibus. Nam in converſione naturali, non ſtatim, ſed ſucceſſivè fit converſio aquæ in vinum; unde Dominicani initio Miſſæ ponunt vinum, & aquam in calice, ut ab initio miſſæ uſque ad conſecrationem poſſit converti per ſucceſſivam alterationem; neutrum autem

tem

tem neceſſarium eſt in prædictis converſionibus, in quibus, nulla præmiſſa alteratione, in inſtanti aqua tranſmutata fuit in vinum.

13 Dignum memoratu eſt miraculum, quod contigit S. Conrado Tertii Ordinis S. Franciſci de converſione carnis ſuillæ in piſces, quod legitur in ejus Lect. VI. his verbis: *Cum autem ſexta quaque Feria in urbem ad imaginem Crucifixi, quæ ſumma religione colebatur apud Netinos, adorandam mira pietate ventitaret, improbi quidam irriſores per eam occaſionem religioſiſſimum virum ludos facere voluerunt. Itaque per ſimulationem ad prandium piſcium invitato, carnem ſuillam apponunt, nec aliud ipſi manducant. Inde hominis improbitatem exagitare, vel ſimplicitatem cavillari. Negat ille ſe quidquam guſtaſſe, præter piſces; ſtatimque ſpinas, & ſquammas, amota mappula, qua tegebantur, oſtendit; & eorum impudentiam redarguit.*

Deus omnipotens, ne ſervo ſuo iter agenti deeſſet prandium, paravit piſces, in quos carnem ſuillam converterat, ut extantes ſpinæ & ſquammæ teſtificabantur factum miraculum à ſancto viro etiam non petitum.

14 Sancta Eliſabeth junior Regina Portugalliæ, ut legitur tom. 2. Annalium apud Vadingum ad annum 1282. num. 14. Alenquarii dum ægrotaret, renuit paululum vini deguſtare ſibi à medico præſcripti, quia erat abſtemia, & id reputabat valetudini ſupervacaneum, nihilominùs divina providentia accidit, ut aqua, quam illi porrigebant ancillæ bis, converteretur in vinum optimum, cum reſiſtentiam ante feciſſet. Aliud converſionis roſarũ in pecunias refert idem tom. 3. ad annum 1311. num. 9. In eodem oppido Alenquearii à Spiritu Sancto in columbina ſpecie apparente admonita templum erexit; & dum pergeret ad videndum inchoatum ædificium in veſperis à quadam puella recepit faſciculum roſarum, & allocuta operariis donavit ſingulis roſas dicens: Hæc ſit pro hodierno die merces veſtra. Unuſquiſque in ſero domum ſuam rediit cum ſarcinulis, ex quibus extractas roſas mirifici odoris ſinguli in manibus tenentes odorant; & mox illæ convertuntur in ſcuta aurea, cum ſumma omnium admiratione.

15 Quoniam converſio quælibet etiam miraculoſa duos reſpicit terminos adæquatos; rem ſcilicèt, quæ deſinit eſſe, & rem alteram, in quem prior deſinens dicitur converſa, ad probationem ſimilis miraculi, neceſſarium eſt, quòd probetur præcedens res extitiſſe, & quòd ſequens fuerit, poſt illius deſitionem, ut de miraculo conſtare poſſit.

16 Sed numquid converſio panis in corpus Chriſti, quæ per quandam excellentiam appellatur à SS. Patribus Tranſubſtantiatio, etto aliæ converſiones unius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam non ſint ita vocandæ, quia tale nomen non merentur, cum ſint longè inferiores ad hanc, quæ ſine dubio omnes excedit, ſit miraculum?

17 ℞. Negativè, quia ad rationem miraculi, ut dixi Medit. 1. num 8. requiritur, quòd ſit ſignum ſenſibile, ac proindè res ſub ſenſibus cadens; patet id in exemplis allatis, nam uxor Loth viſa fuit ſtatua ſalis, converſiones ex virga Moy-

Moyſis omnes viderunt, vinum
ex aqua, ex aceto, & pecunias
ex roſis viderunt operarii S. Eliſa-
beth; nullus verò videt Chriſti
corpus ſub ſpeciebus panis, ſub
quibus latet inviſibiliter, & tan-
tùm creditur; objecta verò mira-
culorum videntur, aut ſentiuntur
à circumſtantibus, non credun-
18 tur. Quòd ſi aliquando Chriſtus
ſub ſpecie pueri apparet in hoſtia,
apparitio eſt quidem miraculoſa,
ſed non ideò tranſubſtantiatio,
& converſio panis in corpus Chri-
ſti videtur, ſed tantùm creditur,
& ideò quamvis ſit admirabilis
ſecundùm fidem, non tamen ſe-
19 cundùm ſenſum; admiratio enim
miraculorum provenit à cauſa ſen-
ſibili, in aliis verò ſupernaturali-
bus, quæ ſunt inviſibilia, conci-
pitur ex fide divina.

MEDITATIO XX.

De miraculoſa rerum multiplicatione.

1 *Multiplicatio rerum triplex, ſecundum ſubſtantiam.*
2 *Secundùm quantitatem, &*
3 *Secundùm qualitatem.*
4 *Differentia earum.*
5 *De panibus à Chriſto multiplicatis.*
6 *Eliſei miraculum de oleo Viduæ aucto.*
7 *Oleum crevit B. Catharina de Vino.*
8 *Beatæ Coletæ pannus auctus.*
9 *Beati Pauli de Ambroſiis lignum auctum.*
10 *Transfiguratio Domini miraculoſa.*
11 *Virtutum augmentum non eſt miraculum.*
12 *In his miraculis ſupponitur effectus naturalis.*
13 *De utroque conſtare debet.*

MEDITATIO XX.

1 Multiplicatio eſt plurificatio rerum. Dicitur autem in tribus modis. Primò ſecundùm ſubſtantiam, cum ſcilicèt una ſpecies propagatur, & conſervatur in ſuis individuis, quod intelligi poteſt tàm de viventibus, quàm non viventibus, de illis res clara eſt, ut experientia patet in animalibus, quę generatione cõſervant ſuas ſpecies, & plantis, quarũ una deſcendit ab alia, utriſq; enim Deus dedit virtutem producendi ſibi ſimile, & de illis Deus præceptivè dixit: *Creſcite, & multiplicamini*: Etiam non viventia propagantur, & generantur, cum unum in aliud commutetur, ut patet in elementis multiplicatis, augetur enim terra, aqua multiplicatur &c. Undè quæ diximus in præcedenti Medit. de Converſione, applicari poſſunt generationi; hæc enim eſt ſpecies converſionis, ac proindè dum efficiens operator, ſemper præſupponit ſubjectum, circà quod operari poſſit illud tranſmutando ab una forma, quæ corrumpitur in aliam, quæ de illius potentia educitur; exigit enim forma materialis produci dependentèr à ſubjecto, à quo etiam in conſervari eſſentialitèr dependet ex ſua natura.

2 Secundò, multiplicatio ſecundùm quantitatem eſt acquiſitio quantitatis partialis in ſubſtantia de novò addita, quod contingit dupliciter, *primò*, per cauſam extrinſecam, ut cum aqua additur aquæ, ut enim patet, prior aqua augetur ſubſtantialitèr, & accidentalitèr, & ſic multiplicatur, & fit major. *Secundò*, per cauſam intrinſecam, ut cum animal nutritur, augetur ſub ſubſtantialitèr, & accidentalitèr; naturalitèr enim loquendo nutritio fieri non poteſt, niſi productione novæ ſubſtantiæ corporeæ cum ſua quantitate. Ter-

3 Tertiò demùm multiplicatio fit ſecundùm qualitatem , cum ſcilicèt ſubſtantia acquirit denuò partialem qualitatem priori additam, quæ dicitur intendi , & augeri ; qualitas enim ſuſcipit magis , & minùs , ſicut quantitas
4 majus , & minùs , ſeù majorem, vel minorem extenſionem.

Conveniunt hę tres multiplicationis ſpecies in hoc, quòd pluralitatē dicunt, & præterea in eis multiplicatio ſucceſſivè fit, hoc enim indicat ipſa propagatio generativa in individuis ; in augmento ſubſtantiæ nutritivæ & aucti ſubjecti ſecundùm quantitatem, quæ paulatim illud quantificat, ut experientia patet ; in alteratione quoquè qualitas ſucceſſivè , & paulatim intenditur, ut conſtat in manu e. g. quæ paulatim calidior fit. In his ergò multiplicatio ſucceſſivè, & paulatim fit. In eo autem differunt, quòd in propagatione generativa multiplicatio refertur ad plura individua inter ſe numero diſtincta. In augmentatione verò , & alteratione multiplicitas dicit additionem, ſecundùm quam continuatur additum addito.

5 Produco miracula ſecundùm prælibatam multiplicationem , quæ in illis non poteſt dici naturalis , dum non ſucceſſivè , nec paulatim , ſed in inſtanti contingit.

In primis Chriſtus Dominus panem multiplicavit ſecundùm ſubſtantiam, & numerum Matth. 14. 17. Chriſto Diſcipuli: *Reſponderunt ei, non habemus hic niſi quinque panes , & duos piſces ; qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis, & manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt ; & tulerunt reliquias duodecim Caphinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum , exceptis mulieribus, & parvulis.* Repetitur Marci 6. 43. Lucæ 9. 16. & Joan. 6. 11. Simile miraculum narratur Matth. 15. 32. Marci 8. 2. quo Chriſtus ex ſeptem panibus, & paucis piſciculis ſatiavit quatuor mille homines , ultrà mulieres , & parvulos , & de fragmentis diſcipuli collegerunt ſeptem ſportas plenas. Ratio miraculi planè conſtat, quia ita panes fuerunt multiplicati nulla ex eis præexiſtente materia, & in inſtanti datæ benedictionis, ut omnes ſaturati ſint, & quòd mirabilius eſt , reliquiæ majoris erant quantitatis , quàm panes ipſi, quos habebant apud ſe ſinè miraculo.

Numquid illi quinque panes, & illi ſeptem fuerunt quaſi materia, ex qua Chriſtus produxit, & eduxit aliorum multiplicationem? an verò tot panes, qui ſufficerent ad ſaturandam turbam, Deus ſua omnipotenti manu ſecundùm materiam , & formam creaverit, & produxerit?

Reſpondetur, Chriſtus panibus , qui præexiſtebant , non egebat, quaſi ex illis alios extracturus, & educturus de potentia materiæ; non enim Deus eſt finitæ virtutis, ut medio ſubjecto operetur, ſed ut omnipotens tot panes ex nihilo per ſuam benedictionem produxit , ut turbam ſaturaret.

Simile miraculum fecit Deus

per ſervum ſuum Eliſeum, de quo legitur 4. Reg. 4. 42. quòd ad eum venit quidam homo ei offerens viginti panes hordeaceos pro primitiis, quos juſſit dare populo, ut comederet, cui miniſter reſpondit, eos non ſufficere pro centum viris, Eliſeus autem dixit: *Da populo, ut comedat; hæc dicit Dominus: Comedent, & ſupererit. Poſuit itaque coram eis, qui comederunt, & ſuperfluit juxtà verbum Domini*. Viginti panes diviſi in quinque partes unicuique ex centum contigit quinta pars unius panis, omnes comederunt, & ſuperfluit panis, ſignum quòd erant ſaturati, ergò id accidit miraculoſè, non enim quinta panis pars ſatiare poteſt hominem, imò erat quid minus, dum ſuperfluit panis, quod arguit ejus multiplicationem.

6 Miracula de multiplicatione ſecundùm quantitatem refero; nam Eliſeus, ut legitur 4. Reg. 4. cuidam viduæ, cujus filios ſibi ſervire volebat creditor illius mariti defuncti debitoris, multiplicavit, & auxit oleum hoc modo: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca, & ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu, & filii tui, & mitte inde in omnia vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles. Ivit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos, illi offerebant vaſa, & illa infundebat; cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit non habeo, ſtetitq; oleum.*

Parum olei valdè multiplicatum fuit viduæ à Deo per merita Sancti Eliſei, ut notum eſt ex hujuſmodi hyſtoria de fide à nobis credenda. Clauſit oſtium, ne quis dicere poſſet extrà domum accepiſſe oleum, vaſa quoquè vacua illi fuerunt accommodata, non oleum, quod deſuper ideò venit. Obſervo quoquè quòd mulier mittebat in vaſa, & infundebat, ſed in textu non exprimitur quid mitteret, quid infunderet; conſtat tamen ex verbis ſubſequentibus, quòd omnia vaſa fuerunt plena ex alio, quod ſtetit, ideſt, non amplius crevit, quia alia vaſa non extabant. Cur non exprimere rem miſſam, & infuſam in vaſa? tacetur effectus, qui vaſa implevit, ad ſignificandum viduam non multiplicaſſe oleum, ſed deſuper miſſum fuiſſe à Deo. Sed numquid oleum multiplicabatur à Deo per additionem novi olei conjuncti cum alio paruo oleo, quod erat in vaſe proprio illius viduæ? Utique, quia oleum auctum è ſuo vaſe mittebat in alia vaſa; ſupponebatur ergò miraculosè additum prius in vaſe proprio, ex quo trahebatur in alia vaſa accommodata ſibi à vicinis; & hoc ſuadet etiam naturalis multiplicatio ſecundùm quantitatem, cujus auctionem in rebus inanimatis diximus fieri per cauſam extinſecam additione rei ad rem, ut aquæ ad aquam, olei ad oleum.

7 Beata Catharina à Vino, cujus reliquiæ venerantur in Apulia in conventu S. Mariæ de Valle Aſpera ad Teſſam, cum ſua Sorora Joanna, dum in hoc ſæculo Deo ſerviret in habitu Tertii Ordinis Fratribus S. Franciſci

ciſci ex eodem vaſe olei, quo pro ſeipſis utebantur, miniſtrarunt per integrum annum, ad uſum lampadis, & ſervitium Cucinæ, & elapſo anno inexhauſtum vas omninò redundans optimo oleo inventum fuit. Martyrolog. Franciſcanum ad 3. Maii.

8 Volebat Beata Coleta Virgo Tertii Ordinis Sancti Franciſci apud Corbeam oppidum Piccardiæ ad dexteram fluvii Somonæ diœceſis Ambianenſis, veſtire quendam religioſum, & pannum oſtendit alteri religioſo Sutori, qui dixit, non ſufficere, & deeſſe plus ulna. At illa ſubridens, ait, Abi F. Andreas, & ora Deum, & poſt orationem ad me redibis, & ambo, tu, & ego utrinque extrahemus, ut fiat pannus longior. Rediit ab oratione Sutor, qui pannum, ea jubente, diviſit in partes proportionatas habitui, & quia erat latior, & amplior, quàm ferret religioſa paupertas, neceſsè fuit aliquid de veſte auferre. Ità refert Vading. tom. 5. ad annum 1406. nu. 17.

9 Simile miraculum de B. Paulo de Ambroſiis de Cropano diœceſis Catanzarii in Calabria ejuſdem Tertii Ordinis Sacerdotis refero *tom. 3. Reſol. Moral. inſcr. Controverſiæ Morales Romæ impreſſæ, controverſ. 23. de Canonizat. Sanct. à num.* 47. Fratres ejuſdem Ordinis in dicto loco volentes cum cæmentariis accommodare lignum præparatum ſuper duos parietes, & non invenientes ſufficientèr longum, nimis enim breve erat, & non poterat contingere utrumque parietem, & aliud non habentes vocaverunt F. Paulum, qui admonitus de ineptitudine trabis, dixit: Confidite filii in Domino, qui lignum elongabit juxtà noſtram indigentiam, aptamus iterum lignum, & Deum laudabimus gratias agentes. Miniſtri igitur, Beato adjuvante, lignum extulerunt, & impoſuerunt ſuper ambos parietes utrinque, & ſatis, ſuperque in extremis parietum apparebat. Quod augmenti miraculum videntes Deo gratias egerunt.

10 Pro multiplicatione ſecundùm qualitatem, & intenſionem refero, miraculum in Transfiguratione Domini Matth. 17. *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*. Nulli dubium eſt, ſplendorem faciei, & albedinem veſtimentorum illius, intenſa fuiſſe per additionem novi ſplendoris, & albedinis deſuper advenientium. Et ita docent Sancti Patres, Hieron. *Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit*. Ex Catena Aurea D. Thomæ ad hoc cap. 17. Matthæi, & ad cap. 8. Lucæ refert Cyrilli hæc verba: *Non tamquam corporis humanam formam mutante, ſed quadam ſplendida gloria ſupervenìente*. Fuit ergò Domini Tranſfiguratio miraculoſa ex multiplicatione ſecundùm qualitatem ſplendoris, & albedinis cœleſtis; fuit enim hæc ſignum ſenſibile, & inſolitum à ſolo Deo proveniens, teſtatur vox paterna è cœlo delapſa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, ut ibidem ſubjungitur in textu.

11 Numquid auctio gratiæ, quæ per multiplicationem ejus ſecuncundùm qualitatem, ſit miraculum, quod idem quæritur de fide,

de, & ſpe, de quibus canit Eccleſia: *Da nobis fidei, Spei, & caritatis augmentum*.

℟. Negativè, quia id non eſt quid inſolitum, cum hæ virtutes augeantur regulariter, & ordinariè in ſervis Dei. Præterea harum virtutum augmentum non eſt ſenſibile, neque proindè habet rationem miraculi.

12 In hujuſmodi miraculis duo ſpectantur, res præcedens multiplicationem, quæ de ſe eſt effectus naturalis, ut patet in exemplis allatis, ac proindè in ea non conſiſtit ratio miraculi, quæ tantum ſupponitur ad miraculum ad eam ſequens, quod eſt ſecundùm conſiderabile, in quo conſiſtit ratio miraculi dicentis entitatem rei additæ à Deo ſolo immediatè provenientis, qui per Eliam prophetam ſuum 3. Regum 17. dixit num. 14. mulieri viduæ *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur*. Quamvis ex iſtis rebus, & aliis reficiantur pauperes, & ſervi Dei, non tamen deficiunt, Deo multiplicante donatum.

13 In probatione autem miraculorum hujus generis, de utraque re conſtare debet, eſto res præcedens non habeat rationem miraculi, eſt tamen quædam conditio, ſine qua non ſtabilitur, nec cognoſcibile eſt miraculum, ſicut dictum fuit præced. Medit. de converſione miraculoſa, ad cujus probationem debet conſtare de utraque re, licèt prior ſit effectus naturalis ſuppoſitus ad ſequentem, in qua eſt ratio miraculi cum relatione ad præcedentem, ut adæquata ſit cognitio, & probatio. Pari ergò paſſu, & modò proceditur in probatione utriuſque.

MEDI-

MEDITATIO XXI.

De rebus è Cœlo divinitus miſſis ſervis ſuis.

1 *OMne donum à Deo eſt.*
2 *Corvus Eliæ panem, & carnem portabat.*
3 *Sicut, & Sancto Paulo primo Eremitæ.*
4 *Quatuor placentæ calidæ Sancto Conrado donatæ.*
5 *Racemi Uvæ S. Franciſcæ de Januaria.*
6 *Clara Ariminenſis liquorem è Cœlo guſtavit.*
7 *Angela Fulginas ſacram Communionem recepit ab Angelo.*
8 *Sicut Clara de Monteſalco.*
9 *In quo conſiſtat ratia miraculi in his donis.*
10 *Sacra communio confecta à Sacerdote confertur per Angelum.*
11 *Angelus fert hoſtiam duobus Eremitis.*

MEDITATIO XXI.

1 SAnctus Jacobus Apoſtolus in ſua Epiſtola Canonica cap. 1. 17. teſtatur, quòd *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſùm eſt, deſcendens à Patre luminum.* Optimum, & perfectum eſt omne id, quod à Deo donatur, quia omnia Dei opera ſunt perfecta, cum à Deo nulla imperfectio procedere poſſit, ex quo ipſe eſt perfectiſſimus quo ad eſſentiam, & operationem. Varia autem ſunt Dei dona, quæ hominem perficiunt, præſertim Spiritus Sancti, quæ ſeptem enumerantur, Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini, de quibus S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 4. de quibus hìc agendum non eſt, ſed præſertim de donis materialibus, & ſenſibilibus à Deo datis miraculosè ſervis ſuis ad eorum uſum, præſertim corporis beneficium. Eſt autem donum res à Domino gratis, & liberalitèr donata alicui ad uſum, dum Deus ex mera ſua liberalitate vult recognoſcere ſervum ſuum eſſe ſibi gratum, & amicum, ex donis autem, quæ Deus dat in hac vita conjicere poſſumus, quæ in alia vita dat eiſdem ſuis ſervis, ut colligitur ex D. Auguſt. tom. 5. lib 22. de civit. Dei cap. 24. propè finem. Propono varia hujus generis miracula.

2 In primis ſe offert miraculum à Deo factum pro Elia, qui paſcebatur à corvis de cœlo ferentibus illi panem, & carnes, ut legitur 3. Regum 17. 3. *Recede hinc, & vade contrà Orientem, & abſconde in torrente Carith, qui eſt contrà Jordanem, & ibi de torrente bibes, corviſque præcepi, ut paſcant te ibi. Abiit ergò, & fecit juxtà verbum Domini, cumque abjiſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contrà Jordanem: Corvi quoquè deferebant ei panem, & carnes manè;*

nè; ſimilitèr panem, & carnes veſperi, & bibebat de torrente. Certum autem eſt, quòd corvi tantam virtutem non habent, ut panem fabricare valeant, & occidere animalia, ex eis præcidendo fruſtulum carnis, & eam coquere, imò ipſi propterea carnes crudas mortuorum devorant; ideò Deus deſuper donabat eſculenta ejuſmodi, corvis deferentibus, qui nec carnes, quibus avidè veſcuntur, furabantur Sancto viro, quod quoquè mirabile eſt.

3 Paulus quoquè primus Eremita ſemipane de cęlo per corvum à Deo demiſſo ſuſtētabatur, ut legitur in ejus 4. lect. *Corvus, qui anteà ſemper Paulò dimidiatum panem attulerat, integrum detulit. Poſt Corvi diſceſſum. Eja, inquit Paulus Antonio: Dominus nobis prandium miſit, verè pius, verè miſericors. Sexaginta jam anni ſunt, cum accipio quotidiè dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus ſuis Chriſtus duplicavit annonam*.

4 Miraculum quatuor placentarum deſuper miſſarum à Deo Sancto Corrado Confeſſore Placentino Tertii Ordinis S. Franciſci legitur in ejus VI. Lect. his verbis: *Item, ab Antiſtite Syracuſano fama ſanctitatis excito viſitatus, & ab eodem ut ſecum cœnaret invitatus, protinùs è cellula placentas quatuor calidas ex tempore divinitùs paratas protulit*. Miraculum probant ea verba. *Protinùs, ex tempore, divinitùs*. In inſtanti coctæ ſinè igne apparuerunt tempore oportuno, ut Epiſcopus poſſet illas deguſtare cum ſervo Dei.

5 Sancta Franciſca Romana ejuſdem Ordinis dono accepit uvas à Deo extrà ſuum tempus pendentes ex arbore, ut in ejus Lect. VI. refertur: *Aliquando earundem ſororum extrà Urbem menſe Januario ligna parantium ſitim recentis uvæ racemis ex vitæ in arbore pendentibus mirabiliter obtentis abundè expleverit*. Quamvis uva pendens ex vite ſit effectus naturalis, attenta tamen temporis circunſtantia, judicatur miraculoſus, nam eo tempore vites non poſſunt ſuos producere fructus, niſi ſtatuto tempore autumnali. Quòd ſi arte racemi conſerventur in vite, & appareant, ſicuti videntur tempore autumni, non ideò id eſt miraculo tribuendum, ſed humanæ induſtriæ; ut ergò miraculum ſit, requiritur tempus extrà autumnale Januarii, Februarii &c. & quòd tunc ſit producta Uva, cum non eſſet antè.

6 Vadingus tom. 7. in Addit. ad tom. 3. num. 31. refert, quòd B. Claræ Ariminenſis de Agolantibus Tertii Ordinis S Franciſci, poſt rigoroſum jejunium multorum dierum, moleſtamque à potu abſtinentiam, apparuit Angelus, qui ciathum aureum limphati vini ei porrexit. Iterum per argenteam fiſtulam cęleſtem accepit liquorem, qui proſtratas vires erexit, & longo poſt tempore ab omni potus neceſſitate præſervavit. Hæc Deus Beneficia ſuis ſervis concedit.

7 B. Angela Fulgentina ſoror Tertii Ordinis S Franciſci fuit multùm devota Sacroſanctæ Euchariſtiæ, undè meruit Criſtum Dominum videre in Euchariſtia, ut refert Vadingus tom. 3. ad annum 1309. num. 14. ubi ait, quòd circà auguſtiſſimum hujuſmodi

modi Sacramentum habuit ſeptem viſiones, in quo multoties vidit Chriſtum Dominum infantulum; & alias ipſas ſpecies in carnem converſas. Dum aliquandò vellet divinum hoc donum ſumere, nec eſſet qui miniſtraret, apparuerunt Angeli, & ſacro cibo eam refecerunt.

8 B. Clara de Montefalco prius Terriaria, poſteà Auguſtiniana Chriſtum ſub facie peregrini frequenter vidit, & ab eo in forma Angeli ſacrum ejus corpus ſuſcepit, ut refert idem Croniſta celeberrimus eodem tom. 3. ad annum 1308. num. 73.

In prædictis exemplis non videtur aſſignabilis ratio miraculi, præſertim in illis Eliæ, & Pauli; nam panis, & Carnes ſunt eſculenta, quibus naturaliter homo alitur, & ſuſtentatur; & delatio hujuſmodi ciborum non excedit vires corvorum, cum non ſint tanti ponderis, quin Corvus etiam unus ea deferre poſſit, & delatio fuit ordinaria, quia quotidiana, & non inſolita, ergo non fuit miraculoſa.

9 ℞. Ratio miraculi conſiſtit in illo modo inſolito paſcendi hominem, qui certè fuit miraculoſus, & extrà ordinem, qui ab omnibus ſervatur; nam homo vel ſibi ipſi inſervit, vel alio homine utitur ad ſerviendum ſibi in comeſtionibus, & potationibus, non verò animalibus irrationalibus, quæ eſculenta homini convenientia devorant, præſertim carnes, & modum ſerviendi hujuſmodi ignorant. Et ex his patet ratio miraculi; nam mirabile eſt, quòd corvus ſtatutis horis deferat cibos ſervis Dei, & quòd carnes non deglutiat, quas avidè appetit. Unde & à quo cibos Corvus habuit, non eſt aſſignabile, niſi ab ipſo Domino, qui hoc perceptum paſcendi Eliam in torrente fecit, & qui cibos quoque conſignabat angelicis manibus fabricatos, ipſe Deus eſt, *qui*, ut dicitur in Pſal. 146. 9. *dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Itaque miraculum conſiſtit in illis modis, quòd corvi ſerviant, quòd cibi Angelicis manibus ſint editi, quòd panis ſit dimidiatus poſteà integer. Et ex his patet ad argumentum, cibos præfatos naturaliter nutrire, inſolitum tamen, quod miniſtrentur talibus modis.

Difficultas eſt, à quonam fuerit facta conſecratio panis in corpus Chriſti miraculoſè donatum ſervis Dei ſub ſpeciebus conſecratis?

10 ℞. Angelos in hujuſmodi ſacris communionibus ſumpſiſſe ſpecies panis conſecratas regulariter per ſacerdotes; licèt enim Deus ex ſua omnipotentia infinita poſſit Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis adducere per verba conſecrationis, ſeu ſine illis; Deus enim nulli legi hujuſmodi eſt alligatus, tamen, quia in hujuſmodi donis miraculoſis non eſt neceſſarium multiplicare miracula; per Angelos ſacra communione ordinaria reficit ſervos ſuos.

11 Subjungo aliud exemplum ſatis mirabile, ex Martyrologio Hiſpano ad diem 24. Aprilis. Daniel juvenis Anacorita ex Quilichia urbe Armeniæ, ex Patrigue comite, & Uliana conjugibus natus, inſtructus à venerabili ſene Eremita nomine Joſepho, qui volenti ſecum vitam de-

gere dixit: Fili mi, nihil hic habeo ad eſum; ſolùm quòd Angelus Domini mihi unicam hoſtiam ſolet dimittere die Dominico pro tota hebdomada; ſi tibi aliam dimittere voluerit, mecum manebis. Moratus Daniel per ſequentem hebdomadam cum ſene, comparuit Angelus cum hoſtia pro ſene, nihil deferens pro juvene. Senex ei dixit, voluntatem Dei eſſe, ut ulteriùs procederet ad interiora deſerti, ut fecit; & cum jejunaſſet 40. diebus, & noctibus, Angelus apparuit Joſepho præbendo illi ſolitam hoſtiam, præcipiendo, ut aliam hoſtiam ab alio delatam Angelo ipſe deferret Danieli, quod fecit comitatus ab Angelo, & cum ad locum perveniſſet, exclamavit: Daniel Deus tuam audivit orationem, qui per me tibi mittit hoſtiam, ut comedas. Reſpondit Daniel, ſi Deus hoſtia me honorare voluiſſet, Angelum miſiſſet. Tunc Joſeph quis eſſet aperuit; Daniel enim dubitabat eum cognoſcere, quia anteà orationem flexis genibus non peregiſſet, & poſteà hoſtiam offerret. Quo audito, Joſephus dixit: Benedictio, claritas, & gratiarum actio ſit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Et Daniel reſpondit Amen. Tunc Angelus videns conſtantiam juvenis, accepit hoſtiam, & illam Dei ſervo obtulit, qui gratias agens Deo, ipſam è manibus Angeli humiliter recepit.

MEDI-

MEDITATIO XXII.

De miraculoſa liberatione carceratorum.

2 *C*Arcer quid ſit.*
1 *Carceratio debet eſſe iniqua.*
3 *Apoſtoli miraculosè liberati à carcere.*
4 *Sicut & Petrus Apoſtolus.*
5 *Quomodo Petrus putabat ſe viſum videre.*
6 *Januæ fuerunt apertæ divinitùs ſine clave.*
7 *Sanctus Franciſcus liberavit plures è carceribus.*
8 *Quomodo probentur hujus generis miracula!*

MEDITATIO XXII.

1 CArcer eſt locus clauſus, & benè munitus, in quo ſervantur homines Rei, ſive ad cuſtodiam, ſive ad pœnam, ex quo exire non poſſunt incluſi, niſi per fractionem carceris, aut aperitionem januæ facta à carcerario per legitimas claves, aut ab alio per adulterinas.

2 Quare ſi quis alio auxilio exit è carcere non humano, ejus exitus cenſendus eſt miraculoſus, quia non eſt ſecundùm vires, & humanam induſtriam, ſed præter hujuſmodi, & per modum inſolitum liberatio. Neceſſe autem quoque eſt, ut liberatio ſit miraculoſa, quòd carceratio ſit iniqua; nam ſi quis juſtè detinetur, tunc cum liberatio ſit injuſta, id tribuendum non eſt Deo, qui nihil iniquè facit, ſed diabolo, cujus proprium eſt malè agere.

3 Prædicta comprobantur ex Act. Apoſt. cap. 5. qui iniquè carcerati fuerunt, & miraculosè fuerunt liberati, ut legitur ibidem num. 18. *Et injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus*, ideſt Chriſti Domini. Et infra num. 22. *Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto carcere non inveniſſent illos, reverſi nuntiaverunt dicentes. Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante januas, aperientes autem neminem intus invenimus*. Iſta liberatio ſine dubio fuit miraculoſa, quia carcer erat benè clauſus, & cuſtodes excubabant ante oſtium, & Apoſtoli exierunt januis apertis per Angelum Domini, nihil videntibus cuſtodibus, niſi januas omninò clauſas. Liberatio ergò fuit miraculoſa à ſolo Deo proveniens per Angelum ſuum, qui portas reſeravit, & iterùm clauſit. Carceratio quoque fuerat iniqua, quia Apoſtoli erant innocentes, non autem noxii, quia nullum fecerant delictum, ſed benè agebant prædicantes vitam Chriſti.

4 Alio tempore, ut ibidem ſcribitur cap. 12. carceratus fuit Petrus de mandato Herodis, quem cuſtodiebant quatuor quaterniones militum, poſt Paſcha producendum populo, quem Angelus liberavit è carcere hoc modo: *Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt Catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat, quia verum eſt, quod fiebat per Angelum; exiſtimabat autem, ſe viſum videre. Tranſeuntes autem primam, & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum, & continuò diſceſſit Angelus ab eo.* Mirabilior fuit Petri liberatio, cum extrà carcerem ſexdecim milites cuſtodirent oſtium, & intùs ipſe Petrus dormiret inter duos alios milites, & tamen nullus eorum vidit, nec audivit, quid ab Angelo ageretur pro Petro, qui etiam, antequam Angelus appareret, nihil timebat, dum ſoporoſè dormiebat, detractis exuviis, nihil cogitando de periculo, in Domino confiſus, qui dicit Pſal. 54. 23. *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit fluctuationem juſto.* Et quia cum cæteris Apoſtolis, ut dixi, liberatus fuerat, eandem gratiam à Domino ſperabat.

Duo dubiola propono, unum eſt, an Angelus aliqua clave oſtium carceris aperuerit, alterum, quomodo ſcivit Petrum, ſe ab Angelo fuiſſe excarceratum, dum putabat ſe viſum videre, ignorans hoc beneficium ſe ab Angelo accipere; credebat enim ſe ſomniare ſuam liberationem, & non eſſe veram?

5 Primo occurritur dicendo, nulla clave Angelum fuiſſe uſum, ſed ſolo juſſu divino ad ejus præſentiam januas fuiſſe apertas ſine inſtrumento, quod ex modo loquendi textus deducitur; nam dicitur de porta ferrea civitatis, quòd *ultrò aperta eſt eis*, ergò ſine inſtrumento, ſed ſola Dei obedientia, ut indicat illud *ultrò* aperta eſt per ſeipſam; hoc igitur modo januæ carceris apertæ fuerunt; nec obſtat, quòd in liberatione Apoſtolorum, ut ſuprà diximus, dicatur: *Angelus Domini aperiens januas Carceris*, quia de nullo inſtrumento fit mentio, ſed de actu aperitionis pendente ab ejus imperio, non à clavibus.

6 Secundo reſpondetur, Petrum quidem initio hujus excarcerationis putaſſe ſe viſum videre, poſteà melius in ſe reverſus cognovit myſterium, & veritatem ſuæ liberationis, ut ipſemet teſtatur eod. cap. 12. nu. 11. *Et Petrus ad ſe reverſus dixit: Nunc ſcio verè*, quia antè ignorabat, *quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.*

7 Per merita diverſorum Sanctorum Deus quamplures innocentes liberavit è carceribus, ut Sanctus Franciſcus, de quo Vading.

tom.

tom. 1. ad annum 1228. num. 42. plura refert, unico ſum contentus his verbis: In Maſſa S. Petri quidam pauperculus militi erat debitor, & ab eo captus dilationem petebat ad ſolvendum, rogando, ut id differret propter amorem S. Franciſci. Superbus miles ſprevit preces pauperis, & amorem Sancti Patris, ſubdens: Tali te loco recludam, quòd nec Franciſcus tuus, nec quilibet alius te poterit adjuvare. Et pauperem illum coniecit in vincula. Paulò poſt S. Franciſcus fracto carcere, & ruptis compedibus illæſum hominem reduxit ad domũ. Quamvis juſta ſit carceratio, qua cogitur debitor ad ſolutionem, tamen hæc, de qua in hoc miraculo, iniqua fuit, cum fuerit facta contrà jura auctoritate propria, quod nulli privato licèt. Et prætereà iſte debitor petebat dilationem ad ſolvendum, nolebat ſubterfugere, ſed ſolvere; meritò igitùr S. Pater pauperem iniquè vexatum liberavit.

8 Miracula hujus generis probantur viſitatione carceris probatæ non fractæ, nec oſtio aperto per aliquem, & in hoc ſufficit juramentũ Cuſtodis claves apud ſe ſervantis. Debet prætereà conſtare, quòd perſona priùs fuerit viſa intrà carceres, & deindè extrà illos, carcere clauſo, & non fracto, & non aperto per claves, & humana induſtria, ut miraculum verificetur.

MEDITATIO XXIII.

De miraculoſa Sepelitione Servorum Dei.

1 *Mos ſepeliendi mortuos natus eſt cum ipſa morte.*
2 *Jus naturæ dictat, mortuos eſſe ſepeliendos.*
3 *Contrà inhumanitatem perſecutorum ſervorum Dei.*
4 *Miraculosè ſepeliuntur 40. Martyres, & S. Stanislaus.*
5 *B. Matthæi de Gulioniſio Cadaver miraculosè ſepelitur.*
6 *B. Jacobi de Caſtro Plebis.*
7 *B. Petri de Caſtro Podii.*
8 *B. Torelli de Caſtro Puppii.*
9 *Quomodo probentur ſi mitia miracula.*

MEDITATIO XXIII.

1 DE variis modis tùm priſcis, tùm recentibus, & modernis, quibus cadavera defunctorum tumulantur, & ſepeliuntur, abundè tractat Lavorius in libro inſcr. *Variarum lucubrationum tomus primus*. Mos autem iſte ſepeliendi mortuos cum ipſa morte ferè natus eſt; nam de Abel, qui eſt primus inter mortuos, dicitur Gen. 4. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, in qua ſcilicèt tu ſepeliſti illum. Homo de terra formatus eſt, ſi deficit, anima recedente, juſtum eſt, & natura exigit, ut corpus reſtituatur illùc,
2 undè formatum fuit. Jus ergò naturæ omnibus dictat, ut cadavera hominum ſepulturæ tradantur, in qua requieſcant uſque ad finem mundi, receptura per reſurrectionem animas à Deo ſuis corporibus reſtitutas. Undè maniſeſtè apparet inhumanitas, &
3 crudelitas perſecutorum fidei Chriſtianæ, qui corpora ſanctorum inhumata projiciebant, ex Pſal. 78. 2. *Poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ.* Ad confirmationem horum ponam exempla ſervorum Dei, quorum corporibus Deus miraculosè dedit ſepulturam.

4 Inprimis ſe offert martyrium quadraginta martyrum ad 9. Martii, in quorum 6. Lect. legitur: *Combuſtis illis, eorum reliquiæ projectæ in profluentem, cum mirabilitèr in unum confluxiſſent locum, ſalvæ, & integræ repertæ, honorifico ſepulcro conditæ ſunt.* Ratio miraculi conſiſtit in eo, quòd currentis aquæ in flumine eſt potius diſgregare, quàm congregare, & unire; virtute ergò divina illa ſacra corpora in unum redacta quaſi acervus grani purgati honorificam receperunt ſepulturam. S. Stanislai, de quo dixi Medit. 17. num. 6. membra conciſa, & per agros diſperſa Canonici colligunt, & ab ipſis apte ſuis locis aptata, ità inter ſe mirabiliter fuerunt copulata, ut nul-

la extarent vulnera, ut unica cuſtodirentur ſepultura.

5 B. Mattheus ex oppido Galionifii in Apulia, à clericis ſepultus fuit in Eccleſia matrici illius loci contra ejus voluntatem, quia ſibi elegerat ſepulturam apud Minores, poſt tertium ab ejus funere diem ſummo mane genuflexus juxtà Crucem, quæ foribus hujus Conventus proxima eſt, inventus fuit, qui, quid ſibi vellet, tandem interrogatus reſpondit, ſe velle humari apud Fratres Minores, in eo ſepulchro, quod ſibi elegerat, dum viveret. Quamobrem à Fratribus in templum illatus, honorificè fuit ſepultus. Eſt Frater Tertii Ordinis S. Franciſci, de quo ita referunt *Gonzaga par. 2. in Conv. S. Joannis, ſeu S. Eremi Galioniſii. Daza par. 4. Cronic. Minor. lib. 1. cap. 33. quos citat Martyrol. Franc. ad 12. Novembris.*

6 B. Jacobus de Caſtro Plebis, nunc eſt civitas Epiſcopalis à Clemente VIII. Tertii Ordinis S. Franciſci, nonnulla prædia ſui hoſpitalis evicit ab Epiſcopo Cluſino, propter quod magnam contrà ſe excitavit inimicitiam capitalem, ideò lætalitèr percuſſus, ſtatim ſepultus fuit in agro. Caſtrenſes non amplius videntes Dei ſervum, curioſè illum requirebant. Factum eſt, quòd paſtores gregem ſuum paventes, vident media hyeme Pirum ſilveſtrem, propè quam ſepelierant, florere, & illùc accedentes, reſpiciunt vepres, & ramos, quibus foveam cooperuerant, floribus contextos, quo prodigio ſtupefacti, timentes retrocedebant. Vocem ſenſerunt eis dicentem *Nolite timere. Ego ſum Frater Jacobus Presbyter pro defenſo jure Eccleſiæ nuper occiſus, me hinc extrahite.* Tunc paſtores illud Sacrum corpus multis vulneribus ſauciatum animosè è fovea extraxerunt, & recurrentes ad Caſtrenſes factum narraverunt. Caſtrenſes, Cluſini, & Peruſini, in quorum confinibus Presbyter fuerat occiſus, contendebant de loco ſepulturæ. Deciſio litis committitur cuidam Juriconſulto, qui noluit judicium ferre, ſed dixit: Imponatur cadaver ſuper plauſtrum ducendum à duobus juvencis indomitis, & quò illud pertraxerint, ibi requieſcere velle credendum eſt. Placuit omnibus conſilium, quod ideò executum fuit; juvenci autem placidè funus deducunt, ſiſtentes plauſtrum ad Xenodochium ſuum, ubi honorificè ſepultus fuit. Vading. tom. 3. ad annum 1304. à num. 1. ad 5.

7 Contentio de loco ſepulturæ B. Petri à Caſtro Podii Bonitii ejuſdem Tertii Ordinis, quam non poterant dirimere Podiani ex diverſitate Eccleſiarum, examen papilionum decidit hoc modo. Nam aviculæ corpus beati viri, omnibus admirantibus, circumvolitant, deindè binas præeuntes, iter monſtrantes, proceſſionali more incedentes, totus Clerus, & populus proſequitur elatum cadaver ad Eccleſiam Plebis, ubi honorificè tumulatur, ubi ejus feſtum colitur in Feſto SS. Trinitatis. Idem Vading. tom. 1. ad annum 1242. num. 20.

8 Non eſt omittendum aliud ſimile miraculum B. Torelli de

Ca-

Caſtro Puppii in Tuſcia ejuſdem Ordinis, ad cujus obitum Campanæ ſonum dare cœperunt ex ſeipſis per circumvicina loca, omnes concurrunt ad Eremitorium; & ſervum Dei mortuum repeniunt. Diſſident Parochi de loco ſepulturæ, lis hoc pacto dirimitur, ut ille Parochus ſepeliat F. Torrellum in ſua Eccleſia, à quo Cadaver ſe permitteret elevari, & poni in feretro. Singuli experti ſunt proprias vires, & nullus potuit illius ſacrum Corpus elevare, niſi Dominicus Abbas S. Felicis Puppii, à quo Sacramenta receperat, ubi honorificè fuit ſepultus. Idem Vading. tom. 2. ad annum 1282. num. 3. ad 10.

9 In probatione ſimilium miraculorum prius conſtare debet de morte ſervi Dei, antequam deveniatur ad examen miraculi, cùm dari non poſſit niſi in ſubjecto defuncto. In prædictis ratio miraculi in Quadraginta martyribus deſumitur ex mirabili unione acervata tot martyrum. In S. Stanislao cognoſcitur ex continuatione partium, nulla apparente inciſione. In B. Mattheo apparet ex ejus genuflexione, & locutione. In B. Jacobo ex ejus corporis inventione cum adnexis, & funere juvencorum indomitorum. In B. Petro ex aviculарum convolitatione, & proceſſione. Demùm in B. Torello ex elevatione corporis ab uno, & non aliis. Omnes ergò ſupradictæ actiones, tamquam mirabiles per Deum ſpecialiter operatæ, arguunt miraculum.

MEDITATIO XXIV.

De Veneno miraculosè non nocente Servis ſuis.

1 *Venenum inducit mortem.*
2 *S. Benedictus evaſit venenum fractione vaſis.*
3 *An præſciverit potionem eſſe venenatam?*
4 *S. Photinæ cum aliis venenum non nocuit.*
5 *Lampadius magus converſus ex hoc miraculo.*
6 *Paulus Apoſtolus illæſus à morſu viperæ.*
7 *Gratia S. Pauli non habet virtutem.*
8 *Quomodò hæc miracula probentur.*
9 *Potio venenoſa probanda an ſit apta ad necandum.*

MEDITATIO XXIV.

1 Venenum eſt quoddam genus maleficii mortem inducens in animali venenato in cibo, potu, vel alia re. Deuter. 32.33. dicitur: *Venenum aſpidum inſanabile*. Toſſicum ergò de ſe deducit ad mortem perſonam, cui præbetur, niſi aliquo potenti medicamine occurrat, ejus virtutem compeſcendo, & comprimendo, vel miraculosè à Deo perſona præſervetur à morte, ſuſpendendo ejus vim, & efficaciam necandi, ut legitur de multis Sanctis, quibus venenum in potionem datum non nocuit, juxtà illud Marci cap. fin. *Et ſi quid mortiferum biberint, eis non nocebit*, ut hæc veritas comprobatur ſequentibus exemplis.

2 Sanctus Benedictus Monachorum inſtitutor, & pater, veneno attentatus miraculosè mortem evaſit, ut legitur in ejus lect. 4. *Sed jam erumpente ex illis latebris fama ejus ſanctitatis, quidam Monachi ſe illi inſtituendos tradiderunt; quorum vivendi licentiam cum ejus objurgationes ferre non poſſent, venenum in potione ei dare conſtituunt. Verùm poculum ei præbentibus Crucis ſigno vas confregit.* Crucis ſignum magnam vim habet à ſervis Dei factum, quo qui utuntur, quamplura perpetrant miracula.

3 An Sanctus Benedictus præſciverit in vaſe fuiſſe venenoſam potionem? An id didicerit ex fractione vaſis? Videtur hoc ſecundum, quia dum vas inviſibilitèr frangitur, dat occaſionem S. Viro cogitandi de maleficio. Sed melior eſt reſponſio, quòd præmonitus fuerit divina revelatione confirmata vaſis fractione.

4 Joannes Tamayus Salazar V. J. C. in ſuo Martyrol. Hiſpano tom. 2. ad diem 20. Martii, refert Neronis perſecutionem in Sanctos Martyres Victorem, qui erat filius Photinæ Samaritanæ, & Sebaſtianum ejus ſocium, ſub cap. 4. his verbis: *Hæc cum ad Neronis auditum perveniſſent, omnes veneno extinguere deſtinavit, quod ut efficaciùs conficeretur, ma-*

5 *gum quendam Lampadium nomine accerſitum; illi ut validam venefica contextam arte potionem conficiat, & martyribus propinet, imperavit. Magus Imperatoris juſſum adimplens, poculum Photinæ præbuit, cui illa ſubridens dixit: Hæc potio, ut agnoſcas Dei virtutem, licèt veneno repleta, mihi ad ſalutem, tibi ad fidem conflata eſt. Poſtmodùm omnes de liquore bibentes, & abſq; læſione remanentes, dixit Lampadius: Si de alio, quod præparabo poculo biberitis, & mortem eludatis, credam. Quo confeſſo, & à ſanctis martyribus hauſto, cum Magus hilari ſanitatis ſplendore omnes proſpiceret, ad aquas ſalutares acceſſit, & omnes libros magicos comburens, Theocletus in baptiſmo nominatus, poſtmodum ad martyrii palmam, imperante Nerone, devenit.* Miraculoſa potio ex ſuſpenſione divinitùs facta necis fidei conſtantiam in Samaritana probavit, & converſionem Magi prophetizatam ab ea, & completam per ſecundam potationem adhuc mirabiliorem ob actualem magi converſionem, qui poſteà martyrium ſubiit.

6 Paulo Apoſtolo, ut legitur Act. ult. vipera mordens non nocuit. Audi verba textus: *Et cum evaſiſſemus* ſcilicet à periculis maris, *cognovimus, quia Melita inſula vocabatur. Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis; accenſa enim pira reficiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantum multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cum proceſſiſſet, invaſit manum ejus. Ut verò viderunt Barbari pendentem beſtiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida eſt homo hic, qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere. Et ille quidem excutiens beſtiam in ignem, nihil mali paſſus eſt. At illi exiſtimabant, eum in tumorem convertendum, & ſubitò caſurum, & mori. Diù autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes ſe, dicebant, eum eſſe Deum.* Morſum viperæ eſſe ex veneno mortiferum, experientia conſtat, unde quia Paulo in nullo nocuit, Melitenſes dixerunt eum eſſe Deum, quia ſolus Deus hanc necationis vim ex veneno viperino ſuſpendere, & reddere poteſt inefficacem, ex quo ſequitur id eſſe miraculum, quod à ſolo Deo fit ob merita ſervorum ſuorum. Hinc originem trahit, quòd Circulatores

7 dicunt, ſe habere *gratiam S. Pauli*, hoc eſt, terram ex illis partibus, quæ præſervat à morſu viperarum. Sed id verum non eſt, cum terra illa non probetur eſſe hujus virtutis, nec à quo illam acceperit, nam S. Paulus terra non ſanavit morſum, ſed gratia Dei per ejus merita, & viperam excuſſit in ignem; terra ergò illa non ſanat, aliter S. Paulus non fuiſſet præſervatus miraculoſè à venenato morſu, ſi terra illa fuiſſet ſanatus, nec ab illis vocatus fuiſſet Deus.

8 Probatur autem ſimile miraculum per extantem morſicaturam Serpentis venenoſi, & non cujuslibet ſerpentis; non enim omnes ſunt venenoſi. Similiter conſtare debet de venenato cibo, aut potu, & de evaſione à periculo mortis, nullis precedentibus remediis, ne illis poſſit tribui effectus ſanationis; miracula enim

excludunt

excludunt quamlibet cauſam ſecundam phyſicè cooperantem cum prima, quia effectus ex earum concurſu dicitur naturaliter procedere. Et quandoque opus eſt conſilio, & aſſertione Medici in dubio, an potio ſit verè ex veneno, an ſerpens ſit ex venenoſis; unicuique enim in ſua arte experto credendum eſt. Unde Farinac. conſil. 184. num. 16. ait, confitentem ſe aliquem veneno necaſſe; non poteſt condemnari de homicidio venenoſo, niſi conſtet, eam potionem datam fuiſſe aptam ad venenandum hominem; poteſt enim mors ex alia cauſa procedere.

MEDITATIO XXV.

An incorruptio cadaveris ſit miraculum?

1 *Corruptio eſt mutatio rei de eſſe ad non eſſe.*
2 *Materia, & contraria cauſa corruptionis.*
3 *De corruptione humani corporis hìc ſolùm agitur.*
4 *Homo naturalitèr mortalis, per gratiam immortalis.*
5 *Corruptio duplex, ſeparatione animæ, & reſolutione corporis.*
6 *Chriſti corpus miraculosè remanſit incorruptum.*
7 *Chriſti corpus naturalitèr putrefactibile.*
8 *Natura non incipit motum, quem perficere non poteſt.*
9 *Chriſti corpus per meritum, & gratiam incorruptum.*
10 *Non antiquo, ſed novo miraculo.*
11 *Incorruptio corporis ſignum ſanctitatis.*
12 *Sed hoc non ſufficit.*
13 *Referuntur nonnulla ſervorum Dei incorrupta corpora.*
14 *Caput B.Luchesii igne non comburitur.*
15 *Henoch, & Elia adhuc vivunt.*
16 *Quod eſt miraculoſum.*
17 *Nullus poſt diluvium natus vixit ultrà 120. annos.*

1 PRæmitto, quòd corruptio eſt mutatio rei de eſſe ad non eſſe; ſubjectum enim eſt materia de ſe ingenerabilis, & incorruptibilis, ut poſſit utrique ſervire in ordine ad agens, quod ſine ſubjecto operari non poteſt, cum ſit appetitiva formarum, & omnes ſimul habere non poſſit, neceſſe eſt, quòd corrumpatur forma, quam habet, ut recipere poſſit, quam appetit, quia non habet, & ſic ſubjectum ab una forma tranſeundo ad aliam, dicitur cauſare corruptionem, per quam deſinit eſſe compoſitum,
2 & forma deſtruitur. Ex quo patet, materiam ex ſuo appetitu eſſe cauſam intrinſecam, & originariam corruptionis compoſiti, ſicut etiam forma, ad cujus deſtructionem, ſeù ſeparationem à materia corrumpitur compoſitum. Datur etiam cauſa extrinſeca corruptionis, quæ conſiſtit in contrariis; omne enim, quod contrariis conſtat, corruptibile eſt, & hæc cauſa poſterior eſt, & dependet ab ipſa materia, quæ intrinſeca, & prior eſt in corruptione. Et in hoc conveniunt omnes, relictis ſpeculationibus.

3 Et quoniam, juxtà propoſitum Meditationis titulum, hìc ſermo eſt tantùm de corruptione hominis,

mi, cujus incorruptionem probabimus miraculum, ſolùm de hac agendum eſt. Certum autem eſt de fide, quòd corpus humanum eſt mortale, & corruptibile ex conditione ſuæ naturæ, dum conſtat materia, & contrariis, quæ conducunt ad corruptionem, & mortem, ut docet S. Aug. tom. 3. lib. 6. de Geneſi ad literam cap. 25. his verbis: *Mortalis erat conditione corporalis animalis, immortalis autem beneficio conditionis.*

4 Undè Pius V. & Gregorius XIII. hunc articulum: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis ejus conditio*, condemnarunt. Verùm ergò eſt, quòd Deus ab initio hominem creavit de ſe mortalem, ſed per gratiam futurum immortalem cum ſua poſteritate, ſi non fuiſſet tranſgreſſus præceptum de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, ut dicitur Geneſ. 2. 17. *In quacumque enim die comederis exeo, morte morieris.* Morte ſcilicèt non ſolùm animæ, ſed etiam corporis. Per tranſgreſſionem igitur hujus præcepti amiſit privilegium immortalitatis, juxtà illud commune axioma: Privilegium meretur amittere, qui illo abutitur. Undè hujus privilegii amiſſionem Deus ore proprio intimavit, Geneſ. 3. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Deſtructo privilegio non moriendi, ſuum ſortitur effectum mortalitatis, & corruptionis naturalis homo in peccato conſtitutus; corpus ergò humanum naturalitèr eſt corruptibile, dum ante peccatum erat incorruptibile per gratiam.

5 Notandum autem eſt, quòd corruptio accipitur duobus modis. *Primò*, pro ſeparatione animæ à corpore, qua ratione compoſitum ex corpore humano, & anima rationali reſolvitur per receſſum animæ à corpore, quod corrumpitur ſeparatione unius ab alio. *Secundò*, per reſolutionem ejuſdem corporis, recedente anima, in elementa; anima enim cum ſit intrinſecè immortalis nullum habens contrarium ſui ipſius deſtructivum, non poteſt ad ſe terminare corruptionem, quæ ideò reſpicit ſolùm corpus humanum, de quo intelligitur illud Pſal. 15. 10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, ſcilicèt hoc ſecundo modo, ut corpus Chriſti mortui corrumpatur, & reſolvatur in elementa, ut ex D. Damaſceno docet S. Thomas par. 3. q. 50. art. 5. Non autem primo modo, quia verè Chriſtus fuit corruptus, hoc eſt, mortuus, in illo enim triduo anima fuit ſeparata à corpore.

6 Corpus igitur Chriſti miraculosè remanſit in illo triduo incorruptum, ut inſinuat S. Thomas par. 3. qu. 51. art. 3. ibi: *Sed per oſtenſionem virtutis ſuæ voluit corpus illud incorruptum permanere.* Erat enim Chriſti corpus ex materia, & forma, & ex contrariis compactum, ſicut aliorum hominum, ut docent omnes Theologi, ac proindè corruptibile naturalitèr; ſed quia non decebat, Chriſti corpus poſt mortem putreſcere, & vermibus ſcatere, ut cæterorum cadavera, quia paulò poſt reſurrecturum erat glorioſum, & triumphans; ideò miraculosè præſervatum fuit à corruptione; miraculum enim eſt id, quod evenit

nit præter ordinem, & curſum naturæ, quæ habet, ut quodlibet corpus ſit corruptibile.

7 Corpus ergò Chriſti ſecundùm naturam erat putrefactibile, quia conſtabat ex contrariis, & cum eſſet mortuum, neceſsè erat, quòd in eo ſequeretur putrefactio, quæ eſt terminus corruptionis mixti aliàs viventis, ſecundùm
8 Ariſtot. 4. Metaph. tex. 3. Natura enim non incipit motum, quem terminare non poteſt, ex eodem 2. Metaph. tex. 8. & 6. Phyſic. tex 91. Motus autem inchoatur in ſeparatione animæ à corpore, ergò ſi natura incæpit motum per mortem Chriſti, neceſſariò debebat ſequi putrefactio in corpore Chriſti; quod alia ratione etiam probatur, nam corpus mortuum diſponitur ad putrefactionem per calorem extraneum deficiente naturali calore, & humore, ſubſequentibus aliis contrariis extrinſecis, quæ deducunt ad putredinem, ut docet Scotus in 3.
9 diſt. 21. Corpus ergò Chriſti, quamvis ſecundùm naturam putrefactibile, tamen ſecundùm meritum miraculosè fuit præſervatum à putredine, in qua præſervatione conſiſtit ratio miraculi, cum id ſit præter ordinem naturæ, quæ in mixtis mortuis tendit ad putrefactionem.

10 Scotus loco citato invehitur contrà Henricum aſſerentem, corpus Chriſti fuiſſe præſervatum à putredine antiquo miraculo, quo fuit unitum Verbo, non miraculo novo ſuperaddito, impugnando hoc; Tùm quia unio corporis Chriſti ad Verbum non fecit corpus vivum incorruptibile; ergò nec mortuum. Tùm quia activo approximato debitè paſſivo novo miraculo impeditur actio; Tùm quia actio præſervativa à putredine fuit nova tempore mortis Chriſti; ergò novum miraculum, in ea enim conſiſtit ratio miraculi.

An incorruptio corporis ſit ſignum arguens ſanctitatem defuncti.

11 ℞. Affirmativè, nam decet Chriſtum habere ſedem incorruptam; ſervi autem Dei ſunt ſedes ipſius Chriſti, ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 6. 15. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra ſunt mēbra Chriſti.* Chriſtus ergò in Sanctis ſuis habitat, ergò dum corpus præſervatur à putredine, ſignum eſt, ejus perſonam eſſe Deo gratam, quòd tamquàm templum, & ſedes reſervat Filiò ſuo. Quòd autem corpus incorruptum arguat ſanctitatem ſervorum Dei, docet S. Auguſt. tom. 1. lib. 9. Confeſs. cap. 7. aliis citatis, Contelor. de Canonizat. cap. 14. num. 17.

Dices, inveniuntur multa cadavera, quæ tamen vel in vita bonum nomen non habebant, vel ſi habebant, à nullo habentur pro Sanctis, nec Eccleſia pro talibus habet, ergò non eſt ſignum ſanctitatis.

12 ℞. Verum quidem eſſe inveniri hujuſmodi corpora; ſint ne Sanctorum, hoc ſignum non ſufficit, ſed multa alia requiruntur ad probandam alicujus ſanctitatem, nempè bona opera, & miracula, cum quibus adjuncta corporis incorruptio adminiculatur, probatur enim ſanctitas potiſſimùm per excellentiam vitæ, ex cap. Venerabili, de teſtibus. Ille enim in vita dicitur excellere, qui in ſingulis virtutibus reſplendet, ut docent Canon. in cap. 1. de Reliq. & vener. Sanct. Re-

13 Referam nonnulla exempla ſervorum Dei mei Ordinis. B. Aldonſa Pantoxia Vallis Aragi in Hiſpania, Abbatiſſa Monaſterii S. Spiritus, poſt ſexennium ſuæ mortis, dum fortuitò terra everteretur, inventa fuit in ſuo corpore, incorrupto, & integro ſuaviſſimè redolente. Martyrolog. Franciſc. ad 7. Septembris. Antonii Nigri ex Africa corpus defunctum anno 1549. inventum fuit omninò integrum ſinè ulla læſione anno 1599. ibid. ad 14. Martii. Caſtoræ viduæ de Gabrielis Eugubii corpus defunctum 1391. uſque ad præſentem diem illæſum à putredine cuſtoditur. Jacobillus tom. 1. Sanct. Umbriæ fol. 635. Hieremiæ Sacerdotis Comenſis corpus veneratum in Eccleſia S. Mariæ Vallis Viridis Forolivii ejuſdem Ordinis omninò integrum, & incorruptum inviſitur, defunctum anno 1513. cum fama ſanctitatis. Ego Reſolut. Moral. 87. q. 15. B. Lucæ de Ceramo in Sicilia corpus omninò integrum, & illæſum ſervatur in Sacriſtia Eccleſiæ Miſericordiæ Meſſinæ ejuſdem Ordinis. Poſſem multorum aliorum Dei ſervorum, tùm hujus Ordinis, tùm aliorum recenſere, ſed hæc ſatis.

14 Aliud notabile exemplum incorruptionis ſacrorum corporum profero ex Vadingo tom. 1. ad annum 1242. num. 19. ubi narrat, Gregorium X. tranſeuntem per Caſtrum Podii Bonitii volviſſe experiri ſanctitatem F. Lucheſii Confeſſoris, qui fuit primus filius Sancti Franciſci Tertii Ordinis; nam illius ſacrum corpus projecit in ignem paratum, quod indè per ſeipſum exivit ſinè ulla læſione. Hoc miraculo ejus ſanctitatem magis probavit, juxtà illud Sancti Laurentii: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Deus ergò non fuit paſſus, ut caput ſervi ſui in nullo nec violentèr læderetur.

Dictum fuit ſuprà, quòd corruptio alia eſt cadaveris quo ad reſolutionem in elementa, & de hac uſque modo dictum eſt; alia contingit in compoſito per ſeparationem animæ à corpore humano. De hac aliquid dicendum.

15 Certum eſt de fide, Henoch filium Jared, Geneſ. 5. 24. nondùm eſſe mortuum. *Ambulavit cum Deo, & non apparvit, quia tulit eum Dominus.* Sicut poſteà tulit etiam Eliam, 4. Regum 2. 11. *Aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Numquid miraculum eſt, quod hi duo adhuc vivant, an eiſdem vita ſit naturalis?

16 ℟. Miraculum eſt, quòd nunc vivant; vita enim naturalis ſuum habet terminum, & ultrà non progreditur homo, cum ſit compoſitus ex materia, & contrariis, quæ illum deducunt ad mortem. Nemo vitam habuit productiorem Noe, qui vixit poſt diluvium trecentis quinquaginta annis, & impleti ſunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus eſt, Geneſ. 9. fine; debebant ergò mori iſti duo prophetæ, attento curſu naturali annorum, quo nullus pervenit ad millenarium, ſignum manifeſtum, quòd ità adhuc miraculoſè vivunt contrà ordinariam ſeriem annorum, ne dicantur naturâ immortales, cum tantùm tales ſint per ſpecialem Dei gratiam. Confirmatur reſpectivè ad Eliam, cujus anni debuiſſent eſſe tantùm centum viginti ex divina

lege,

lego, Geneſ. 6. 3. à diluvio:
17 *Erunt dies illius centum viginti annorum*. Nullus poſt diluvium natus invenitur, vitam ultra illud tempus protraxiſſe; ergò nec Elias produxit ulteriùs ſecundùm illud decretum, conſequentèr illi vita fuit prolungata ex ſpeciali privilegio, & ſic miraculosè.

MEDI-

MEDITATIO XXVI.

De Arboribus miraculosè florentibus, vel arentibus.

1 *Plantæ, & arbores productæ tertia die.*
2 *Arbores more animalium juveneſcunt, & ſeneſcunt.*
3 *Arbor præciſa non ampliùs germinat.*
4 *Arbor ſterilis germinans miraculum eſt.*
5 *Arbor florens hyeme miraculum eſt.*
6 *Areſactio arboris viridis in inſtanti miraculum eſt.*
7 *Ficulnea ſubitò areſacta à Chriſto.*
8 *Arbores florentes in hyeme ad corpus B. Jacobi.*
9 *Roſæ florentes in hyeme.*
10 *Lignum altaris floret in teſtimonium virginitatis Sanctæ Brigidæ.*
11 *Baculus Sancti Franciſci fit Ilex prægrandis apud Senas.*
12 *Morus ab eo plantata adhuc vivit.*
13 *Quomodò hæc duo ſunt miracula?*
14 *Arbor ſterilis reddita frugifera ex martyrio Sancti Papæ.*

MEDITATIO XXVI.

1 DOminus in creatione mundi die tertia produxit herbas, plantas, & arbores, quas appellavit lignum, Geneſ. 1. 12. *Et protulit terra lignum faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam.* Nullam fecit mentionem de frondibus, & floribus, quæ præmittunt fructibus, de quibus tantùm verba fecit, quia iſti tantùm ſunt in eſcam hominis, non flores, nec frondes. Flores autem, & frondes germinant in Vere ab illis dicto, in quo omnes plantæ incipiunt vireſcere, & vernare, & ſubſequentèr in æſtate, fructus ſuos in beneficium hominis producunt. In juventute ergò ſua ſingulis annis frondent, florent, & fructificant ſuis temporibus, dum vivunt; præciſæ verò arbores ſuam perdunt virtutem areſcentes, & humorem perdentes non ampliùs frondeſcunt, ſed aridæ manent. Poſt certum tempus ſeneſcunt, & deficiunt areſactæ ob carentiam humoris, & virtutis vernandi, & fructificandi, remanentes ſteriles quò ad omnia.

2 Et ſicut more hominum juveneſcunt frondibus, floribus, & fructibus ſucceſſivè, & per tempus, ità & ſeneſcunt paulatim, & ad talem ſtatum reducuntur, in quo

non ampliùs frondent, nec floreſcunt, aut fructus edunt. Arbores autem in lignum converſæ
3 propter præciſionem, & detruncationem earum nullatenùs frondeſcere, nec floreſcere, nec fructificare poſſunt, quia carent virtute, humore, & vigore naturali ad productionem; undè ſi lignum præciſum jam factum aridum agat ad productionem, jam is effectus naturæ tribuendus non eſt, cum ſterilis ſit in ligno arido, ſed ſoli Deo, qui ſterilia germinare facit per ſuam omnipotentiam, ac proindè talis effectus erit miraculoſus.
4 Paritèr ſi arbor ſterilis ſubitò frondet, & fructificat, cum anteà nullos produxerit fructus, talis effectus erit ſupernaturalis, & miraculoſus ob eam inſtantaneam productionem. Idem dic,
5 ſi extrà tempus ordinatum fructus producat, ut in hyeme vitis, vel alia planta producat ſuum, vel alium fructum, quem eo tempore producere non ſolet, effectus ſic proveniens cenſendus eſt ſupernaturalis, & miraculoſus, cum arbor tunc de ſe ſit inepta
6 ad productionem. Eodem modo loquendum eſt de areſactione viridantium arborum, ſi enim ſtatim convertuntur vernantes in ariditatem, procùl dubio areſactio eſt miraculoſa, eò quòd non ſubitò, ſed paulatim arbor ſeneſcit, & fit aridus, & ſterilis. Ad exempla in corroborationem prædictorum devenio.
7 Ad ficulneam continuò areſactam à Chriſto, qui eſuriens in ea nullum invenit ficum, ſed ſolùm folia, Matth. 21. 18. & 19. *Manè autem revertens ad civitatem eſuriit, & videns fici arborem unam ſecùs viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea niſi folia tantùm, & dixit ei: Numquàm ex te fructus naſcatur in ſempiternum; Et areſacta eſt continuò ficulnea. Et videntes diſcipuli mirati ſunt, dicentes: quomodò continuò aruit.* Naturale eſt plantis, & arboribus areſieri paulatim, & mori, dum ſeneſcunt, vel aliundè illis deeſt humor earum conſervativus. Si verò areſactio contingat in inſtanti temporis, & in ictu oculi, certum eſt, id eſſe miraculum, ut probatur areſactio hujus ficulneæ, quæ ad illa verba Domini arvit, foliis ex ea cadentibus. Habebat ergò folia viridantia, ut exprimit textus, ne quis diceret, ſicut non habebat fructus, ità neque frondes, & ſic erat arida; conſtabat ergò ejus viriditas, & vita. Miraculum quoquè confirmatur ex admiratione diſcipulorum, qui ficulneam viderant vernantem, & poſteà nullo temporis intervallo areſactam eſſe. D. Thom. in Catena Aurea ad hoc caput inquit: *Ideò autem non in alia planta, ſed in omnium humidiſſima miraculum hoc fecit, ut & hinc majus hoc miraculum appareat.* Humidum enim, quod vocant radicale, vitæ maximè conſervativum eſt.
8 Miraculum quoquè eſt videre arbores florere menſe Januario, quia talis germinatio eo tempore eſt præter ordinem naturæ, cum illud tempus ſit frigidiſſimum, & germinatio indigens calore. Tale autem miraculum accidere non ſolet de ſe, ſed in ordine ad aliud. Produco exemplum de Beato Jacobo de Caſtro Plebis, de quo dixi Medit. 23. num. 6. Nam pro inventione ejus ſacri corporis à Sicariis occiſi ob de-

ob defenſionem jurium ſuæ Eccleſiæ, in media hyeme pirus, propè quam fuerat humatum, floruit, & vepres, atque ramuſculi circum locum, ubi illud invenerint, varios flores emiſerant. Hujus igitùr generis miracula accidunt in ordine ad aliud, ut reveletur aliquid occultum, ut in caſu propoſito, vel ut teſtificetur bonitas ſervorum Dei, ut mox infrà patebit.

9 Delrius lib. 4. diſquiſit. Magic. q. 2. propè finem refert, ſe Burdigalæ vidiſſe in hyeme in ſuo horto roſas productas prognoſticum magnæ peſtis ibidem ſubſecutæ. Numquid ea roſarum productio fuit miraculoſa, an naturalis? Si eo tempore, ut ſolet, terra, & aer frigidiſſimi, certè productio eſt miraculoſa, quia talis effectus tunc à ſua cauſa naturali provenire non poteſt, cum deſit calor; ergò deſuper venit, & habet ſuum finem bonum, ut ſcilicèt homines vigilent circà curam animarum ſuarum, quia imminet morbus peſtilentialis.

10 In Scotia venerantur reliquiæ Sanctæ Brigidæ virginis, quæ cum lignum altaris tetigiſſet in teſtimonium ſuæ virginitatis, ſtatim viridè factum eſt. Martyrol. Roman. ad 1. Februar. Quod lignum aridum, quale erat hoc altaris, ſtatim, & in ictu oculi fiat viridè, non eſt opus naturę, quę unum contrarium continuò mutare non poteſt in aliud, ſed divinæ omnipotentiæ.

11 Sanctus Franciſcus, ut notat Vadingus tom. 1. ad annum 1216. numer. 20. dum pergeret Senas in Tuſcia ſe junxit cuidam juveni, qui ibat in eandem civitatem venditurus vivas turtures, cui Sanctus Pater dixit: Bone adoleſcens quæſo eas meæ fidas cuſtodiæ, & ne tradas in manus crudeles occiſorum, quia ſunt innocentes, & caſtæ mortem non merentur. Juvenis Sancto Franciſco liberè tradidit, qui quadam ſimplicitate eas alloquebatur, dicendo, quod volebat eas eripere à morte, & facere eiſdem nidos, ut poſſent fructificare. Et propè mænia civitatis in loco Fratrum dicto Ravacciano, baculum, quem in itinere geſtabat, fixit in terram, aridum, & ſiccum, qui ſequenti die inventus fuit excreviſſe in proceram, & opacam ilicem, quæ etiam nunc revireſcit, inquit Vadingus; & ſuper eam turtures dimiſit, & per plures annos ibidem nidificarunt, quæ ità familiares Fratribus erant, ut more gallinarum cum illis cibum ſumerent. Illi juveni prædixit ingreſſum in religionem ſuam, & ſalvationem animæ ſuæ, ut poſteà accidit.

12 Refert aliud Sancti viri miraculum, tom. 2. ad annum 1300. num. 14. qui conſtructo Monaſterio ad oppidum Sangueſſæ in peregrinatione Hiſpanica propè Eremitorium Sancti Bartholomæi, in quo primùm Conventuales, & ſubſequentèr Obſervantes inhabitant Provinciæ Cantabriæ, ibidem plantavit morum, quæ nunc etiam videtur prægrandis, cujus fructus ex devotione manducant infirmi.

13 Duo hæc miracula ſunt, primum, quòd lignum converſum arte in baculum, & jam

factum ſiccum, & aridum fiat viridè, & in arborem excreſcat, non eſt opus naturæ, ſed Dei omnipotentiæ; arida enim & ſicca carent humore, quo poſſint vitam habere. Secundum, eſto plantare arborem non excedat vires naturæ, ut experieutia docet, ſed diù vivere, naturæ, noc artis eſt, ſed Dei omnipotentis rem in eſſe conſervantis per tot annos, cum etiam plantæ, ſi-
14 cut homines, & cætera animalia ſeneſcunt, & moriuntur.

Legitur in Martyrologio Romano ad diem 16. Martii Martyrium Sancti Papæ, qui ob Chriſti fidem verberibus cæſus, ungulis ferreis laceratus, clavatis calceis juſſus incedere, deindè arbori alligatus, migravit ad Dominum, & eandem arborem ex ſterili reddidit fructuoſam.

MEDI-

MEDITATIO XXVII.

De lectione, & ſcriptione miraculoſis.

1 *Scientia alia acquiſita, alia infuſa.*
2 *Infuſa acquiritur miraculoſè.*
3 *Utraque ſcientia fuit in Chriſto.*
4 Doctrina mea non eſt mea: *Exponitur.*
5 *Scientia Chriſto infuſa miraculoſa eſt.*
6 *Miraculum ejus, qui ſinè ſtudio legit, & ſcribit.*
7 *Quomodò probantur hujuſmodi miracula.*

MEDITATIO XXVII.

1 Premitto, ſcientiam, ejus vocabulo latè accepto, eſſe cognitionem, qua quis ſcit legere, ſcribere, & intelligere quod legit, & ſcribit. Duobus autem modis ſcientia acquiritur, quantùm facit ad præſentem Meditationem. *Primò*, labore, & ſtudio, quibus homo ſucceſſivè, & paulatim addiſcit, & hæc vocatur ſcientia acquiſita, quam quiſque lucrari poteſt labore, & induſtria ſecundùm uſum, & ordinem, quem potentia exigit in addiſcendo, & hoc modo acquiſitio hujuſmodi dicitur effectus naturalis, quia ſecundùm ordinem naturæ, & exigentiam potentiæ, volens addiſcere hoc modo procedere debet. *Secundò* ſcientia quandoque acquiritur ſinè labore, & arte, ſed ſola imploratione divini auxilii infunditur in homine, qui anteà nihil ſciebat, & hæc ſinè dubio eſt effectus miraculoſus, quia hujuſmodi acquiſitio non eſt ſecundùm ordinem naturæ, neq; ſecundùm exigentiam ſubjecti non valentis addiſcere niſi ſucceſſivè cum labore, & ſtudio, & hæc appellatur infuſa à ſolo Deo. De hoc duplici modo acquirendi ſcientias Theologi in 3. diſt. 14. de ſcientia Chriſti, & D. Thom. ibidem, & part. 3. qu. 9. 10. 11. & 12.

2 Acquirere igitùr ſcientiam alio modo, quàm per proprium ingenium, & laborem, non eſt actus naturalis, ſed effectus miraculoſus, cum ſcilicèt homo fit ſciens præter dictum ordinem, quia tunc Deus immediatè infundit ſcientiam, ità D. Thomas 1. 2. q. 113 q. 10. ad 3.

3 In Chriſto duæ fuerunt ſcientiæ, infuſa ſcilicèt, & acquiſita; eam habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis propter hypoſtaticam unionem, qua Verbum humanitatem Jeſus ſibi copulavit; acquiſitam ſucceſſivè lucratus eſt per experientiam, quam ideò vocant expetimentalem, & hoc modo intelliguntur ea, quæ Lucæ 2. fine, habentur: *Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Ità S. Thomas par. 3. q. 9. per totam, præſertim

tim art. 4. ubi de ſcientia experimentali, Scotus in 3. diſt. 14. q. 3.

4 Verba ejuſdem Chriſti, Joann. 7. 16. *Mea doctrina non eſt mea*, habent hunc ſenſum. Doctrina mea, ideſt quam poſſideo à Patre meo, eſt mea, quia eam mihi communicavit, eſt enim infuſa; & non eſt mea, quia proprio ingenio eam non acquiſivi, ſed à Patre mihi infuſa fuit.

5 Scientia ergò infuſa à Patre Filio eſt effectus miraculoſus, quia ab eo non fuit acquiſita labore, & ingenio, ſed à ſolo Deo illi communicata ſinè illius cooperatione. Confirmatur id ex admiratione Judæorum, Joan. 7. 15. *Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodò hic literas ſcit, cum non didicerit?* Admiratio autem arguit miraculum, dum contingit in jis, quæ non ſunt ſecundùm ordinem naturæ.

Unicum profero miraculum de quodam, qui neſciebat legere, nec ſcribere, qui per interceſſionem Beatæ Mariæ Virginis de Regio divinitùs ſinè labore didicit, ut refert Cherubinus Ranzanus Ordinis Servorum ejuſdem Beatæ Virginis, in folio ejuſdem Imaginis depicto cum diverſis miraculis, ad noſtrum propoſitum his

6 verbis: *Li Signori del Conſeglio della Città di Lodi, havendo da creare un Trombetta, & eſſendovi al numero di trentaſette concorrenti, frà gli molti capitoli vi era queſto, che chi non sà leggere, ne ſcrivere, non poſſa pretendere queſta carica. Agramante Milani publico Trombetta in detta Città vuole con molti altri ritirarſi, come quello, che non hà mai ſaputo, ne imparato à leggere, ne ſcrivere, ma inſpirato da Dio, fà ricorſo à queſta Beata Vergine. Et il giorno iſteſſo gli Signori ſudetti congregati, l'interrogorono, ſe ſapeva leggere, e ſcrivere. Egli riſpoſe di sì. Li danno carta, penna, & inchioſtro, & egli alla loro preſenza ſubito ſcrive, & legge, formando caratteri intelligibili, e così vien dichiarato per ſufficiente, & idoneo.* Miraculum quidem admirabile, & rarum, forſan unicum, quòd quis legat, & ſcribat, antè inexpertus.

7 Quamvis pura negativa, qualis eſt hæc: *Neſcio ſcribere, nec legere*, non ſit directè probabilis, tamen atteſtatio ejus facta cum diverſis circunſtantiis probat ſufficientèr in hac materia, quæ præſtatur per familiares ejus aſſerentes, ſe nunquàm vidiſſe amicum ſcribentem, nec legentem, & tunc aſſertio erit efficacior, ſi deponens reddat rationem, quia nìmirùm in propria cauſa fecit aliū ſcribere, vel legere literas ad ſe miſſas, & ſimilia referendo. Paritèr interrogatus ſuper re ſibi utili, quare tale officium non quæris? Si reſpondeat: Non quæro quia neſcio ſcribere, nec legere, quæ ſunt neceſſaria ad tale munus exequendum, videtur ſufficientèr probaſſe negativam in cauſa propria, non pro ſe, ſed contrà ſe; unicuique enim creditur contrà ſe.

MEDI-

MEDITATIO XXVIII.

De liquore miraculosè manante ex corporibus Sanctorum.

1 *Liquor, oleum, & unguentum dicitur.*
2 *Sancti Nicolai de Bario miraculoſum.*
3 *Beati Petri Gundiſalvi Ordinis Prædicatorum.*
4 *Sancti Laurentii Novaræ.*
5 *Parietes Sacelli Beatæ Angelinæ lacrimarunt ſanguinem.*
6 *Sepulchrum aperiendum, ut quæratur cauſa liquoris.*
7 *Muri, & lapides quandoque naturalitèr ſudant.*
8 *Malitiosè quandoque finguntur ſudare.*
9 *Excludenda omnis cauſa ſecunda.*

MEDITATIO XXVIII.

1 Liquor eſt humor fluidus, liquidus, & clarus, qui exit de corporibus Sanctorum, in beneficium infirmorũ; undè ſolet vocari oleum, ſeù unguentum, quia eo unguntur infirmi, qui ab infirmitatibus liberantur. Is autem effectus liquoris manantis ex ſacris cadaveribus non eſt naturalis, ſed miraculoſus, quia ex oſſibus aridis, cujuſmodi fuit corpora mortuorum, Ezechiel. 37.4. *Oſſa arida audite verbum Domini.* Iterùm infrà 11. *Aruerunt oſſa noſtra*, liquor exire non poteſt, cum ariditas opponatur humori, ſicut ſiccitas humiditati.

2 Hoc genus miraculi Deus operatur in corporibus multorum Sanctorum, quorum oſſa, licèt arida, & ſicca, fluunt oleum, unguentum, & liquorem pro ſanitate hominum. In primis id celebre eſt in Sancto Nicolao Epiſcopo, & Confeſſore Myræ Metropolis Lyciæ, cujus corpus veneratur Barii 9. Maii, quo ex Myra translatum fuit, ejus obitus contigit 6. Decembris, utrobique de hoc liquore Baronius referens hos verſus.

Cujus tomba fert oleum,
Matres olivæ neſciunt;
Quod natum non protulit,
Marmor ſudando parturit.

3 Martyrologium Hiſpanum ad diem 14 Aprilis refert, ſacrum corpus B. Petri Gundiſalvi Thelmo Ordinis Prædicatorum producere oleum miræ fragrantiæ, quo variæ infirmitates curantur; tanti meriti is Sanctus extitit apud Deum, ut corpus Lucæ Epiſcopi Tudenſis Regni Gallæciæ illatum in ſepulchrum Sancti Petri, divino miraculo retroceſſerit, ut ſinè permixtione aliorum cadaverum ſancti viri corpus conſervaretur.

4 Ex eodem Martyrologio ad 30. Aprilis refert, ex corpore S. Laurentii Preſbyteri, & Martyris Hiſpani, qui Novariæ in Lombardia colitur, ſacer liquor emanat, ut ſequentia Carmina in ejus ſarcophago inſculpta teſtantur.

Aſpicis

Digitized by Google

Aſpicis hoc marmor tumuli de more cavatum?
Id ſolidum eſt intùs, rima nec ulla patet.
Undè queat tellus occultas mittere lymphas:
Manat ab ingeſtis oſſibus iſte liquor.
Si dubitas, medio ſudantes tolle ſepulchro
Reliquias, dices: Unda ſalubris ubi eſt?

5 Lucas Vadingus Croniſta Minorum præ aliis præſtantior tom. 5. ad annum 1435. num. 20. refert, quòd anno 1452. die 29. Maii, parietes ſacelli Beatæ Angelinę Tertii Ordinis Sancti Franciſci, in omnium conſpectu die integro ſudorem emiſerunt ſanguineum, territi Fulginates tanto ſpectaculo, devotis precibus orarunt, ut Deus malum omen averteret ab eis, timentes ſibi grave imminere periculum ex tanto prodigio. Beata Angelina ſequenti nocte apparvit viro pio, cui revelavit, ingens ſubeſſe periculum, non tàm Fulgineo, quàm univerſæ Europæ, quia per Turcas capta fuit urbs Conſtantinopolitana. Quod irreparabile damnum lapidum lacrimis, quod ſuis non poterat, exprimere volvit. Miraculum hoc ſatis diverſum, non tamen àdverſum præcedentibus, fuit ex lacrimis, quia præſeferebat ruinam fidelium; aliorum verò ex oleo, quod eſt unguentum, ad tollendas infirmitates.

Nulli dubium eſt, hujuſmodi ſudorem ſanguineum ex parietibus eſſe miraculoſum, cum ſanguis ex illis fluere non poſſit; & ſit contrà conſuetam naturæ operationem.

6 In his autem cautè procedendum eſt, quando occurrunt; nam ſepulchrum eſt aperiendum; & videndum, ex quo liquor procedat, an ex cauſa naturali, quia ibi ſit fons, vel ex arte, an illuc ſit liquor immiſſus; adhibita ergò hac diligentia, & excluſis cauſis ſecundis, effectus cenſendus eſt miraculoſus, cum ſolum Deū pro cauſa habeat; & hoc efficacitèr comprobatur, quandò ſuavem ſpargit odorem; oleum enim, & liquores naturales, non artificiales, non habent in ſe aliquam fragrantiam.

7 Parietes, muri, ac lapides quandoque etiam naturalitèr ſudant, & aquæ guttas emittunt, cum tempus eſt humidum, & ventus, quem vulgus appellat Sirocum, agitatur, valdè hominibus infeſtus. Talis non fuit ſudor parietum Sacelli Beatæ Angelinæ, quia erat ſanguineus, & fortaſſis tunc erat tempus ſerenum, & ſiccus aer, ut ſolet accidere menſe Majo, in cujus fine incipit æſtatis ſtatio.

8 Homo malitioſus aliquandò procurat effectus, qui videntur mirabiles conſpectibus hominum, quibus cum cauſa illorum ſit ignota, apparent, miraculo, quæ revera talia non inveniuntur ex parte rei; ſi benè factum contempletur ex cauſis, & circumſtantiis: Ideò cautè procedendum eſt, & ſingula inſpicienda, inquirendo in primis de vita, & moribus hominis, apud quem res mirabilis apparet; ſi enim ſit malæ famæ, judex dicitur habere contrà illum præſumptionem; ut probatum fuit in eo, qui arte malitioſa rem effecerat mirabilem, ſcilicèt lacrimari Imaginem B. V. pro ſuo arbitrio depictam in pariete, ad

cujus

cujus partem poſteriorem collecta aqua vitæ tantæ paulatim ſtillabat per oculos Imaginis ſubtiliſſimè perforatos, unà cum pariete, qua arte impiiſſima avaritiæ ſtudebat, trahendo non ad devotionem Virginis fideles incautos, ſed ad impletionem ſuæ crumenæ alliciendo ſimplices.

9 In his ergò, & ſimilibus caſibus omnes cauſæ, tùm naturales, tùm artificiales excludendæ ſunt, de quibus etiam conſtare debet in proceſſu, alitèr deputati nihil conſulere, aut decidere poſſunt, dum illis non conſtat, an talis effectus procedere potuerit ab aliqua cauſa ſecunda; hac enim excluſa cognoſcitur ratio miraculi.

In loco igitùr, ubi Imago lacrimatur, vel ſudat, videndum eſt, an ſit humidus, vel ſiccus, an Imago ſit in ſuperiori loco, an in inferiori, an tela ſit ſicca, an humida, an madefacta, an deſuper cadere poſſit aqua, an parietes antiqui, an recentes, & ſimilia inſpicere, ut excluſis cauſis ſecundis, firmari poſſit effectum, de quo conſtat, procedere tantùm à Deo, & ſic eſſe miraculum.

MEDITATIO XXIX.

De miraculoſa inventione rerum deperditarum.

1 *PErdita inveniri poſſunt humana induſtria.*
2 *Non eſt ſermo de inventis caſu, ſed de perditis tantùm.*
3 *Referuntur miracula Sancti Antonii de inventis.*
4 *Æquiti Tridentino recuperatur annulus.*
5 *Nicolao Alfonſo redditur annulus amiſſus.*
6 *Alter annulus Epiſcopo Cordubenſi.*
7 *Servus revertitur ad ſuum dominum.*
8 *Ambroſius Caterinus invenit ſuum Manuſcriptum.*
9 *Quomodò ſimilia miracula probantur.*

MEDITATIO XXIX.

1 INventio rerum de-
perditarum non
excedit hominis
induſtriam, & di-
ligentiam, quibus
rem ab oculis ejus
abſentem, ſolerti inquiſitione in-
venire poteſt. Dico rerum de-
perditarum, quia aliud eſt inven-
2 tio harum ab inventione caſuali
theſauri, ſeù alterius rei, quæ non
erat antè apud invenientem, ſicut
erant res deperditæ, quæ fuerant
in poſſeſſione ejus, qui eas per-
didit; illæ enim dicuntur inven-
tæ ex induſtria, & diligentia ad-
hibitis, illæ verò ſinè his occur-
runt, ſolo caſu, & incidentèr in-
ventæ, quia erant ignotæ inve-
nientibus, & de his non ſunt mi-
racula regularitèr, ſed de deper-
ditis, quandocunque poſt adhi-
bitam diligentiam non inveniun-
tur, ſed invocatione divina, &
alicujus Sancti occurrunt nobis
ſpeciali modo, extraordinariò, &
inſolito; tunc talis inventio eſt
miraculoſa, cum non dependeat
à diligentia humana, quæ non
potuit invenire, ut ſuppono, ſed
à divina providentia per interceſ-
ſionem Sanctorum ſuorum, quæ
rem perditam facit cadere in ma-
nus patroni, qui eam perdide-
rat.
3 Refero nonnulla miracula, quę
Sanctus Antonius de Padua fecit
ad commodum ſuorum devoto-
rum, de rebus deperditis mirabi-
litèr inventis ejus interceſſione,
in cujus honorem hanc Medita-
tionem poſui; relucet enim ſpe-
cialitèr in hoc genere miraculi:
nam fideles ubique ad eum recur-
runt pro inveniendis rebus deper-
ditis, & reperiunt, eo devotè ſup-
plicato.
4 Primum miraculum à Vadin-
go relatum tom. 1. ad annum
1240. num. 15. eſt ſequens. Qui-
dam Æques Tridentinus de fa-
milia Carignanorum, nobilis, di-
ves, & potens, dum cum amicis
recreationis gratia in lacu veliſi-
caret, perdidit annulum magni
valoris cadentem caſu in aquam,
piſcatores ab eodem acciti omni
dili-

diligentia, & arte non potuerunt illum domino ſuo recuperare. Sequenti die ivit ad Monaſterium Minorum, & Guardiano amico ſuo patefecit ſuum dolorem de annulo amiſſo, cui ille dedit hoc conſilium, ut ad Sanctum Antonium recurreret, qui pro certo ei recuperaſſet annulum; promiſit interim ei Guardianus cum ſuis Fratribus preces effundere cum ſolemni miſſa, cui devotè præſens fuit, orando Sanctum Antonium, ut ei dignaretur recuperare annulum. Finita miſſa, abiit in forum, & per ſuum famulum piſcem magnum emptum miſit in eleemoſynam Fratribus, qui, dum piſcem exenterant, inveniunt annulum intrà ejus viſcera, & reddunt Æquiti, qui Deo, & Sancto Antonio gratias egit.

5 Idem Vadingus tom. 2. ad annum 1290. num. 30. aliud omninò ſimile miraculum refert de annulo amiſſo à Nicolao Alphonſo devoto Fratrum Minorum Conventus Avileſii in diœceſi Ovetenſi, mirabilitèr invento à Sancto Antonio, cujus Imago veneratur in eorum Eccleſia: ipſe, & ejus majores Fratrum benefactores miſit, ut erant ſoliti, eleemoſynam piſcium, ex quorum unius ventriculo Fratres invenerunt annulum, quem benefactori reddiderunt. Et licèt Nicolaus ad Sanctum non oraverit, ab omnibus tamen miraculum fuit eidem adſcriptum.

6 Tertium miraculum ejuſdem rationis refert F. Marcus Epiſcopus Portuenſis 3. par. Cronic. lib. 9. cap. 13. Ignicus Manrich Epiſcopus Cordubenſis, qui Sancti Antonii valdè devotus erat, perdidit annulum magni valoris, ſibi multum charum, quia cum eo fuerat conſecratus pro ejus recuperatione plures miſſas celebrari fecerat, & dum hæc in convivio ſuis conſanguineis narrat, ſubjungens multa deperdita invéniſſe ex interceſſione Sancti Antonii, in quo, poſt tot miſſas celebratas, ſperabat annulum invenire; annulus, dum hæc dicebat, è cornice camini cecidit mirabilitèr inter convivas, qui cum Epiſcopo gratias Deo, & Sancto egerunt.

7 Subſequitur ibidem miraculum de ſervo fugitivo à domino ſuo, quem invenire non potuit humana induſtria; ideò recurſum fecit ad Sanctum Antonium, cujus effigies in Eccleſia Aracœli Romæ Fratrum Minorum de Obſervantia veneratur, & aſſiduis orationibus Sanctum Antonium precabatur, ut ſibi inveniret ſervum: Sanctus illius exaudivit deprecationem. Nam quidam religioſus ſervum profugum in Lombardiā firmavit, ei dicens, niſi redieris ad tuum dominum, occidam te; ſervus mortem timens revertitur ad ſuum patronum, continuò ſociatus ab illo religioſo uſque ad januam domus illius, & ſtatim evanuit. Et à Domino interrogatus de illo Fratre ejus comite, an cognoſceret eum, ſi videret? Reſpondit utique, ſecum duxit ad altare Sancti Antonii, & recognovit, illum Religioſum eſſe ſimilem Sancto Antonio, cui idcircò tributum fuit miraculum.

8 Ambroſius Catarinus Ordinis Prædicatorum, ut ibidem refertur, Epiſcopus, & magnus Theologus, librum, quem contrà hæreticos ſibi compoſuerat, diſcedens Toloſa Franciæ caſu per-

Ee 2 didit,

didit, quem cùm induſtria humana non potuiſſet reperire, Sancto Antonio multis precibus ſe commendavit; ægrè enim ferebat amiſſionem tot laborum, emiſſo voto regiſtrandi in ſuis operibus Sanctorum interceſſionem; ſtatim comparvit homo interrogans illum, an perdiderat manuſcriptum? Reſpondit ſic, & oſtenſum lœtus accepit.

9 In probatione ſimilium miraculorum debet conſtare de exiſtentia rei deperditæ apud dominum, ſeù poſſeſſorem, & quòd poſteà inventum fuerit interceſſione Sancti invocati, ut colligitur ex narratione prædictorum caſuum.

Sed quid dicendum, ſi non poſſet probari rem perditam extitiſſe? Ut contigit cuidam Parocho, qui in matrimonium conjunxerat ſponſos de licentia Vicarii Generalis, qui tamen negabat, ſe talem licentiam dediſſe, ne videretur erraſſe in conceſſione talis licentiæ; ex quo poſteà conſtitit, adhuc vivere primum maritum, ac proindè conſtabat de negligentia Vicarii circà examen ineptè factum de morte mariti. Parochus in anguſtiis poſitus, cui Vicarius datam in ſcriptis licentiam negabat, recurrit ad Sanctum Antonium, poſt exquiſitam diligentiam, & præmiſſis orationibus, & precibus ex toto corde, in loco ſolito, ubi cuſtodiebat libros, & ſcripturas Parochiæ, non quærens ampliùs, invenit cartam licentiæ, quamvis ſæpiùs anteà ibidem quæſiviſſet eam libros revolvendo; gratias egit Deo, & Sancto Antonio, & ſic ſe à Vicario defendit, offenſus ex ſua negligentia à majoribus.

MEDITATIO XXX.

De miraculoſa liberatione ab imminentibus periculis.

1 *DE periculis partus alibi dictum.*
2 *Ad miracula hujus generis duo requiruntur.*
3 *Periculum probatum eſt fundamentum miraculi.*
4 *Leonis Papæ miraculum præſervativum Romæ ab Attila.*
5 *Bruno monuit Rogerium à proditione.*
6 *Periculum maris paſſum à S. Paulo.*
7 *Exoneratio navis non tollit rationem miraculi.*
8 *De cadente in ignem ſinè læſione.*
9 *De cadente ex alto.*
10 *De re ponderoſa cadente ſuper perſona ſinè læſione.*
11 *An verberatio, & tortura ſinè dolore arguant miraculum?*
12 *Condemnatus ad mortem, evadens miraculosè.*
13 *Sanctus Antonius patrem liberavit condemnatum.*
14 *Tentationes ſuperare non eſt miraculum.*
15 *Quia id eſt in noſtra poteſtate.*
16 *Diabolus non poteſt cogere ad malum.*

MEDITATIO XXX.

1 DE miraculoſa liberatione mulierum à periculo illis imminẽte, occaſione partus, dixi ſub Medit. 5. Hic verò agendum eſt reſpectu aliorum periculorum.

2 Ut autem liberatio ab aliquo imminenti periculo ſit miraculoſa, & non ſolùm gratioſa, duo ſunt neceſſaria. *Primò*, quòd periculum verè, & propriè immineat, & quidem proximè, de quo conſtet. *Secundò*, quòd cauſa ſecunda non concurrerit ad illius phyſicam expulſionem, impediendo ne ſequatur effectus.

3 Quantùm ſpectat ad primum de vera exiſtentia periculi conſtat ex eo, quia periculum eſt fundamentum, ſubjectum, & materia, ſuper quam fit miraculum, quodque ei inhæret; ergò debet præexiſtere, ut ſuper eo fundari poſſit miraculoſa liberatio. Secundum patet ex conditione ipſius miraculi, quòd ſolum Deum habet pro cauſa ſui productiva; ſi enim concurrat cum Deo cauſa ſecunda, jam non eſt miraculũ, ſed effectus naturalis reſpiciens eſſe ſecundùm ordinarium naturæ curſum, & phyſico modo. Quòd dico propter Sanctorum invoca-

invocationem, qui non dicuntur cooperari miraculo phyſicè, ſed tantùm moralitèr, poſita enim oratione, & precibus Sanctorum, Deus liberat, & à malo præſervat, quod homo incurriſſet, ſi Deum, & Sanctos in adjutorium non invocaſset.

4 Prædicta duo variis confirmo exemplis. Nam Leo Papa Sanctus, ut legitur in ejus lect. 4. occurrit Attilæ Regi Hunnorum, qui volebat depopulari Romam; ut ibi dicitur his verbis: *Rex Hunnorum Attila cognomento Flagellum Dei in Italiam invadens Aquilejam trienii obſidione captam diripuit, & incendit, undè cum Romam ardenti furore raperetur, jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet; occurrit ei Leo malorum Italiæ impendentium miſericordia permotus, cujus divina eloquentia perſuaſum eſt Attilæ, ut regrederetur. Qui interrogatus à ſuis, quid eſſet, quod præter conſuetudinem tàm humilitèr Romani Pontificis imperata faceret; reſpondit, ſe adſtantem quendam alium illo loquente, ſacerdotali habitu, veritum eſſe, ſibi ſtricto gladio, minitantem mortem, niſi Leoni obtemperaret. Quare in Panoniam reverſus eſt.*

Prædicta duo requiſita apparent in hoc miraculo, quo Roma liberata fuit interceſſione horum duorum Sanctorum; nam primū de veritate imminentis periculi conſtat ex relata hiſtoria; Attila enim dirigebat exercitum verſus Urbem, ut ea depopularetur. Secundum verò de miraculoſa liberatione populi Romani ſinè phyſico concurſu contrà exercitum Attilæ, cum ſola interceſſione ſervorum Dei manifeſtum eſt ex his, quia ſolo Dei imperio Attila timens illum divinum gladium regreſſus eſt in Pannoniam; neque enim Romani cum Sancto Leone exercitu aliquo forti Attilam fugarunt, ſed divina eloquen-
5 tia Leo perſuaſit illi, ut pravam voluntatem mutaret, & parceret Romanis.

Sancto Bruno Carthuſianæ Religionis Inſtitutor, ut in ejus lect. 6. legitur ad 6. Octobris, cum Rogerius Capuam obſideret, & quidam nomine Sergius excubiarum magiſter eam Civitatem prodere ſtatuiſſet, adhuc Sanctus vir in Eremo apud Squilacum vivens in ſomnis eidem Rogerio Comiti omnia aperuit, & ſic eum ab imminenti periculo liberavit. Proditionis ergò periculum verè imminebat, à quo liberatus fuit divina revelatione facta à Deo ſervò ſuò Brunoni.

6 Grave fuit, & imminens proximè periculum ſubmerſionis in marì, de quo Act. 26. ubi narratur, quod in navi periclitanti 276. animæ ſalvæ factæ ſunt, non obſtante evidenti periculo, & exoneratione navis; quæ liberatio à Deo facta fuit ex meritis Sancti Pauli, qui tunc ducebatur Romam ad proſequendam ſuam appellationem factam ad Cœſarem, revelante Angelò Dei, quod nulla illarum animarum perjiſſet. Periculum ergò aderat inſuperabile humana induſtria, non obſtante navis exoneratione, quia uſque ad finem periculum duravit, & tamen nullus ex illis mortis ſubmerſionem paſſus fuit, omnes à Deo ſalvati ex ſpeciali gra-
7 tia. Exoneratio autem non tollit rationem miraculi, dum proſequitur periculum continuatum ex ventis contrariis navem agitantibus

tantibus in præcipitium, quia projectio rerum, & mercium in mare alleviat quidem pondus navis, ſed non reddit eam immunem à periculo, cujus eſt cauſa, ventus eandem exagitans, & excutiens. Quare cum exoneratiò non tollat injuriam ventorum, ſed ſolus Deus, qui ventis imperat, evaſio periculi ſoli Deo tribuitur, & non projectioni mercium in mare.

8 Si quis caſu cadit in ignem, vel ex alto, & ab igne, vel ex caſu ex alto nihil patitur, Deum, vel aliquem Sanctum in eo periculo invocans, cenſetur ab eo miraculosè liberatus.

Nam quo ad ignem patet; cum enim naturalitèr comburat materiam ſibi approximaram, & non poſſit non urere, & incendere, & tamen non nocet; evidens argumentum eſt, quòd Deus tunc ſuſpendit ejus vim combuſtivam, quod nullus præter ipſum facere poteſt; id ergò miraculum erit, cum ſit à ſolo Deo, & præter ordinem naturæ, quæ igni dedit vim combuſtivam ſibi connaturalem. Suſpendit ergò Deus ab eò vim combuſtivam, non aufert ab eo calorèm, quia per calorem alterat, & per ſuam formam comburit.

9 Ut quis ex alto cadens ſinè ulla ſui læſione dicatur miraculosè liberatus, & præſervatus à periculo ex invocatione divini auxilii, requiritur, ut magna ſit diſtantia inter utrunque extremum, & quòd non cadat ſuper quid molle, & lene. Illud ſuadetur, quia parva diſtantia non multum præponderatur corpus ad præcipitationem, ſicut ex magna, & hoc patet experientia; judicis autem in arbitrio eſt deſignare diſtantiã, attentis circunſtantiis perſonæ cadẽtis, ſi puer eſt, an adultus, an gravis, & magni ponderis, ſi ſenex, aut aliàs malè affectus; quò enim perſona eſt debilior, eò faciliùs læditur. Facit, quod legitur Act. 20. 9. de quodam nomine Eutychio, qui ſuper feneſtram dormiens, cecidit de tertio cœnaculo, diceremus nos de tertio taxello, & mortuus eſt ex illo caſu, quem Sanctus Paulus ſuſcitavit. Cadens ergò ex tertio cænaculo non moriens videtur miraculosè à morte præſervatus, ſi neque læditur gravitèr, ſi nullo modo etiam à ſecundo cænaculò cadens, certè id miraculum eſt; impoſſibile enim eſt, quòd animal ex ſua natura grave, & molle, teneram habens carnem præcipitantèr cadens ex alto, non lædatur à corpore duro, cum durum non cedat leni, & tenero, ſed illud infringat ex natura rei, ex hoc enim dicitur colliſio duorum corporum; ſi ergò ex caſu in rem duram, nulla ſequitur læſio in cadente, certè talis præſervatio dicenda eſt miraculum. Si verò cadat ſuper lene, ſuper fænum, ſuper paleam, ſi ſe jaciat in aquam, vel ab alio præcipiretur, nulla læſione ſecuta, id miraculum non eſt, quia talis caſus colliſio non eſt, ſed ſimplex contactus unius rei cum alia, licèt procedat ex violentia.

10 Similitèr ſi aliquod pondus grave, & ſolidum, ut lapis, vel lignum magni ponderis deſurſum cadat ſuper perſonam alicujus, & ei nullam afferat injuriam, nec nocumentum, nihil paſſus dicitur miraculosè factus immunis ab eo periculo; cùm de natura magni ponderis ſit nocere illi,

ſuper

ſuper quem præcipitatur, ſi ergò nihil operatur, id à ſolo Deo procedit, qui interceſſione ſervorum ſuorum vult à periculis præſervare. Refero exemplum miraculoſum Sancti Franciſci, qui dum Cardinalis Oſtienſis concionaretur in Eccleſia ejuſdem Sancti Aſſiſis præſervavit à periculo mortis quamdam ejus devotam mulierem concioni præſentem, ſuper cujus caput ceciderat lapis prægrandis, ſub quo cecidit in terram, quam omnes credebant mortuam, cooperientes proprio tegumento, ne interrumperetur prædicatoris diſcurſus, volentes poſt concionem, eam tradere ſepulturæ, ſed poſtmodum invenerunt eam ſanam, & illæſam ab illo tàm præcipitoſo lapidis caſu. Ità Cronic. part. 1. lib. 3. cap. 6.

11 An gravis verberatio, & tortura in eo, qui nullum dolorem ſenſit, nec ſignum livoris, aut alterius rei apparet in eodem, ſit tribuendum miraculo, in caſu, quo aliquem Sanctum invocaverit?

Quamvis exemptio à dolore, & ſignis, de ſe ſit miraculoſa, tamen cum nihil ſenſibile appareat, nec teſtes adſint, præter ipſum patientem, cui non videtur in hoc præſtanda fides, miraculum non eſt quo ad Eccleſiam probatum; & quia effectus non eſt ſenſibilis, & quia non poteſt probari per extraneos ab ipſo verberato, vel torturato, qui ex his actibus non videtur bonæ famæ, maximè torturatus. Prætereà aſſerere, ipſum percuſſum, & torturatum ſe nihil ſenſiſſe doloris, non eſt probare miraculum, ſed miraculum ipſum adducere tamquàm medium ad probationem ſui ipſius, quod eſt petere principium, & nugari.

Nec dicas, id probari poſſe per extraneos ſaltem indirectè, qui viderunt perſonam pluribus, & acerbis ictibus verberari, & ſuſpendi in tortura, & quia non ſe dolvit, vel non fugit à verberante &c. Quia reſpondetur hujuſmodi actus nihil aliud indicare, quàm effectus naturales, & non excedentes vires naturæ. Et licèt nullum appareat ſignum, nec livor in verberato; non ideò tamen probatur per hoc miraculum, quia percuſſi ſacculis non ſignantur verberationibus. Adde, quòd torturatus, qui non dolvit, nec ullum dedit mutationis ſignum in tortura, ac ſi illam non ſubjiſſet, præſumitur ſuperſtitioſus, non miraculosè præſervari à dolore. Demùm, ſi conſtaret in utroque caſu, perſonas fuiſſe innocentes, & aliàs bonæ famæ, & de invocatione Sanctorum, pro miraculis admitti poſſent hujuſmodi præſervationes à dolore, quia eorum innocentia multùm auget fidem, maximè cum non agatur de eorum intereſſe, ſed de honore Sancti jam canonizati, non verò alteriùs ſervi Dei.

12 Condemnatus ad mortem, ſi gladius quamvis acutiſſimus, ſeù laqueus licèt fortis, nihil operentur contrà condemnatum, quia gladius dimiſſus non præcidit caput, ſeù laqueus rumpitur, his modis, ſeù aliis evadens mortem, cenſetur miraculosè præſervatus à tali periculo; ſi duo concurrant. *Primum*, quòd conſtet de injuſta condemnatione, quia innocens erat, licèt ex parte judicis conſtaret delictum, quia probatum per falſos teſtes, vel confeſſum falsò ex vi tormentorum; rationabile enim eſt, quòd innocens

liberetur

liberetur ab iniqua morte, ſicut è contrà juſtitia exigit, ut nocens moriatur; neque enim Deus tàm inſigne beneficium liberandi à morte, quam nocens meretur, velle facere præſumitur. *Secundum*, quòd omnis cauſa ſecunda excludatur; quæ cenſetur abeſſe, cum non probatur aliqua deceptio ex parte miniſtri, qui juſtitiam exequi debet, & paritèr conſtat de fortitudine funis, & quæ non fuit præciſa ab aliquo. Tollitur quoq; ſuſpicio, an ſit artis magicæ, quandò perſona probatur innocens, & bonæ famæ.

13 Placet hìc referre miraculum Sancti Antonii, qui proprium parentem cum ſuis famulis ad mortem condemnatum, propter quoddam homicidium illi imputatum, liberavit, ex Martyrol. Hiſpano ad 13. Junii fol. 512. Parens Sancti viri, convictus patrati criminis opera ſuorum famulorum falſis teſtibus, & ad mortem cum illis condemnatus, liberatur, à Sancto Antonio ejus filio, qui, Patavii morabatur, à Deo omnia intelligens, quæ contrà patrem agebantur in Luſitania, in veſperi obtenta à Guardiano licentia, ut alter Abacuc, aut Philippus Diaconus, ab Angelo de Padua Ulyſſiponem fuit translatus. Sequenti die prima luce adjit Judicem, quem per viſcera Jeſu Chriſti obteſtatur, ut parentem cum famulis abſolvat, quia ſunt innocentes. Judex negat ſe id facturum, undè Antonius in Domino confiſus occiſum è ſepulchro erutum coram Judice cadaver poſitum excitat ad vitam, & eum interrogat, an à parente ſuo, & à famulis ejus eſſet occiſus; negavit ille, ſe fuiſſe ab illis occiſum, & hoc modo ſanguinem innocentem à morte liberavit, & redivivus rediit ad ſuum tumulum, & Sanctus eadem celeritate, qua venerat, Patavium repedavit. Præſides judicii ſanctum virum urgebant, ut redivivum interrogaret de auctore, reſpondit, non veniſſe damnaturum nocentes, ſed innocentes abſoluturum. Signum hoc fuit evidens, quòd talis interrogatio nón erat licita, quia nec reſponſio, ut quæ erat extrà ordinem judiciarium; Deus enim revocaverat ad vitam illum occiſum, ut ſolùm deponeret de innocentia iniquè damnatorum.

14 An miraculum ſit ſuperare tentationes invocatione Sanctorum?

15 Reſpondetur negativè, quia tentatio, quæcunque ea ſit, ſivè magna, ſivè parva, eſt ſub dominio, & poteſtate tentati, itaut ſi velit, poſſit eam ſuperare, Deo concurrente, & faciente cum tentatione proventum, ità ut, niſi velimus, nunquàm tentationi cedamus; ergò cauſa liberationis à tentatione non eſt referenda in ſolùm Deum, ſed in ipſum tentatum, qui, Deo adjuvante, vincit illam. Quod comprobatur auctoritate Pauli 1. Corinth. 10. 13. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quòd poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Confirmatur, quia conſentire tentationi, peccatum eſt; ſed in noſtra poteſtate eſt reſiſtere peccato; ergò & tentationi; ergò is eſt effectus naturalis, non miraculoſus. Quod omninò verum eſt, etiam ſi tentatio ſit immiſſa à diabolo, qui voluntatem noſtram cogere non poteſt ad malum; undè D. Aug. relatus in prima

Dominica poſt Trinitatem, inquit: *Alligatus eſt enim tanquàm innixus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit*.
16 Sanctus Jacobus in ſua Epiſt. cap. 4 num. 7. idem evidentèr uti de fide docet: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*. Quilibet ergò poteſt ſuperare tentationes, à quacunque cauſa proveniant. Sanctus Franciſcus ab impudica muliere ſolicitatus, ſe tandiù ſuper carbones accenſos volutavit, donec extingueret ardorem libidinis, qui licèt in eo parvus eſſet, nihilominùs ſuper lectum igneum illum extinguere volvit. Cronic. part. 1. lib. 1. cap. 61. D. Thomas de Aquino impudicam fœminam titione fugavit. Ecce quomodò ſervi Dei efficacibus remediis ſuperarunt tentationes, neque enim putabant ſufficere ſimplicem repulſam, cum ſenſus facilis ſit ad lapſum; urgens ergò remedium eſt adhibendum.

MEDI-

MEDITATIO XXXI.

De modo formandi proceſſus miraculorum nondùm Beatificatorum.

1 *Referuntur per extenſum diverſa Decreta.*
2 *Cum Bulla Urbani VIII. uſque ad num. 29.*
30 *Summarium Bullæ uſque ad num. 42.*
43 *Literæ circulares ad Epiſcopos de miraculis nondùm Beatorum, ab eodem num. 43 uſque ad 51.*
52 *Decretum de formandis proceſſibus pro nondùm beatificatis, ad 56.*
57 *Decretum ſuper promotione proceſſuum.*
58 *Declaratur dictum Decretum.*
59 *Decretum ſuper immemorabili.*
60 *Decretum de proceſſibus non inchoandis ſinè licentia Papæ, ad 62.*
63 *Literæ ad Nuntios Apoſtolicos, ad 65.*
66 *Decretum de fide non præſtanda Reſponſis Sacræ Congregationis non autenticis, ad 67.*
68 *Proceſſus formare pro beatificatione, ſpectat ad Papam, & Epiſcopos.*
69 *Epiſcopus hanc poteſtatem delegare poteſt.*
70 *Poteſtas ordinaria non ſemper ad libitum delegabilis.*
71 *In dignitate conſtitutus propriè dicitur habens adminiſtrationem cum juriſdictione.*
72 *Canonici ſunt tales tantùm impropriè.*
73 *Poſſunt delegari ad inſtruendum proceſſum miraculorum.*
74 *Delegatio in his non expirat morte delegantis, decreta citatione licèt executa poſt mortem.*
75 *Concilium Generale poteſt formare proceſſum.*
76 *Cardinales non, nec Nuntii.*
77 *Regulares olim potuerant, nunc autem non.*
78 *Proceſſus in his duplex, Informativus, & Judicativus.*
79 *Completo proceſſu poteſt Epiſcopus judicare miracula.*
80 *Non tamen proceſſum, & miracula judicata publicare.*
81 *Id enim eſſet decernere deberi cultum publicum.*
82 *Qualis debeat eſſe Notarius?*
83 *Notarius deputatus omitti non poteſt.*
84 *Datur enim pro forma, aliter proceſſus eſt nullus.*
85 *Debet jurare de fidelitate.*
86 *Epiſcopus habet electionem Notarii, ſi ei non fuit deputatus.*
87 *Notario à Principe creato uti poteſt.*
88 *Melius creato auctoritate Apoſtolica.*
89 *Officium Notarii eſt merum miniſterium.*

90 *Acta in ſcriptis redigenda.*
91 *Notarius jurare debet de fidelitate, & ſecreto.*
92 *Subſcribit, & ſignat proceſſum.*
93 *Notariis notis à Rota creditur.*
94 *Quomodò probetur Notariatus.*
95 *Subſcribit copiam ab alio ſcriptam, & collationatam.*
96 *Supplentur defectus proceſſus à Judice.*
97 *Cauſa miraculorum eſt publica, & civilis.*
98 *Judex tenetur interrogare, ubi æquitas eum movet.*
99 *Teſtis obſcurus, & confuſus iterùm examinatur.*
100 *Etiam in hujuſmodi cauſis.*
101 *Judex de ſingulis circunſtantiis interrogare debet.*
102 *Clerici, & Religioſi in ſuis Eccleſiis recipiunt miracula.*
103 *Ab eo tantùm, pro quo facta fuerunt.*
104 *Referunt parentes pro filio impubere.*
105 *Centenaria numeratur à die publicationis Bullæ.*
106 *Servus Dei defunctus anno 1625. retrò ad diem quintum Aprilis, non ſubditur his Decretis.*
107 *Bulla incipiunt obligare à die publicationis, non Datæ.*
108 *Immemorabilis quomodò ſit probanda.*
109 *Pœnæ expreſsè in Bulla non incurruntur ipſo jure.*
110 *Pœnæ non comprahendunt imprimentes vitam eorum, qui centenariam exceſſerunt.*
111 *Nec auctores librorum etiam non excedentium centenariam.*
112 *Impreſſores non poſſunt imprimere miracula jam approbata, niſi expectato reſponſo.*
113 *Appendens lumen ſepulchro recentèr defuncti, illi non præjudicat, ſi officialis ſtatim illud removeat.*
114 *Auctores, & impreſſores, quandò non ſunt tranſgreſſores in his.*
115 *Vita alicujus defuncti duobus modis tractari poteſt.*
116 *In oratoriis privatis non poſſunt retineri eorum imagines cum laureolis.*
117 *Utique ſinè illis ubique more aliorum.*
118 *Eis non probibetur cultus privatus.*
119 *Eorum Reliquiæ deferri poſſunt, & oſculari pedes.*
120 *Et habitum in feretro.*
121 *Sepeliri poſſunt in loco præſtantiori ſeorsùm ab aliis.*
122 *In Lytaniis non poſſunt nominari.*
123 *Non licet eis facere univerſarium vivorum more.*
124 *Nec indicere feſtum, nec jejunium.*
125 *Nec concionem de illis habere ad populum.*
126 *Decreta loquentia de miraculis loquuntur etiam de gratiis.*
127 *Illatio ex diverſis locum habet, ſi ab eadem lege comprahendantur.*
128 *Publicantes Concionatores miracula, licèt vera, ſunt tranſgreſſores.*
129 *Cultus publicus non debet habere initium à privatis, ſed tantùm ab Eccleſia.*
130 *Prædicantes falſa miracula, & revelationes, incurrunt excommunicationem reſervatam.*
131 *Religioſi tamen puniri non poſſunt ab Epiſcopis.*
132 *Non credendū Reſponſis S. C. non autenticis.* ME-

MEDITATIO XXXI.

IN formandis proceſſibus de vita, moribus, & miraculis defunctorũ in ordine ad Beatificationem, ſeù Canonizationem, tres perſonę concurrunt, nempè, Judex, Notarius, & Teſtes. De primis hìc agam, in ſequenti de teſtibus, ad quorum cognitionem præmitto nonnulla Decreta, Ordinationes, & Bullas.

1 Omnia autem hæc Decreta facta fuerunt de mandato, & approbatione Urbani VIII. Primum quidem Decretum Congregationis incip. *Sanctiſſimus* 13. Martii 1625. Secundum incip. *Poſtmodùm* editum 2. Octobris 1625. Utrunque extenditur in Bullar. novo ſub num. XXXVII. Et quoniam ambo rediguntur in Bullam formalem regiſtratam in Append. ejuſdem Bullarii ſub num. XXII. ideò ſufficiet ſubjicere illam hìc per extenſum, cujus titulus eſt ſequens.

2 „ Declaratio, ac Confirmatio „ Decretorum editorum circà „ imagines defunctorum nondùm à Sede Apoſtolica Canonizatorum cum ſplendoribus, „ aut laureolis non proponendas, „ & proceſſus pro eorum Beatificatione, ſeù Canonizatione „ conficiendos. *Bulla autem incipit ſic.*

3 „ Cœleſtis Hieruſalem cives „ &c. Aliàs ſiquidem Nos ſolicitè animadvertentes abuſus, „ qui irrepſerant, & irrepere non „ ceſſabant in colendis quibuſdam, cum ſanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctis, qui & ſi neque Canonizationis, neque Beatificationis „ honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis, atque Eccleſiis, aliiſque locis publicis, „ atque etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeù ſplendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per interceſſiones accepta, in libris rerum ab „ ipſis geſtarum, enarabantur, „ & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, „ & lampades, & alia lumina „ apponebantur.

4 „ Volenteſque proindè hujuſmodi abuſibus pro debito Officii paſtoralis occurrere; re, „ etiam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, contrà hæreticam pravitatem in univerſa Republica „ Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus ab eadem Sede ſpecialitèr deputatis, communicata, & maturè conſiderata, ac „ diſcuſſa, de eorumdem Cardinalium conſilio, ſub die 13. „ Martii 1625.

5 „ Declaravimus, ſtatuimus, „ & decrevimus, ne quorumvis „ hominum cum ſanctitatis, ſeù „ martyrii fama, quantacunque „ illa eſſet, defunctorum imagines, aliaque præfata, & quodcunque aliud venerationem, & „ cultum præſeferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis „ publicis, ſeù privatis, vel Eccleſiis, tàm ſecularibus, quàm „ regularibus, cujuſcunque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis, apponeretur, antequàm ab Apoſtolica

,, ſtolica Sede canonizarentur,
,, aut beatificarentur ; & ſi quæ
,, appoſitæ eſſent, amoverentur,
,, prout eas ſtatim amoveri man-
,, davimus.

6 ,, Ac paritèr imprimi de cæ-
,, tero inhibuimus libros eorum-
,, dem hominum, qui ſanctita-
,, tis, ſivè martyrii fama, vel opi-
,, nione, ut præfertur, celebres
,, è vita migraviſſent, geſta mi-
,, racula, vel revelationes, ſeù
,, quæcumq; beneficia tamquàm
,, eorum interceſſionibus à Deo
,, accepta continentes, ſinè reco-
,, gnitione, atque approbatione
,, Ordinarii, qui in his recogno-
,, ſcendis Theologos, alioſque
,, pios, ac doctos viros in conſi-
,, lium adhiberet.

7 ,, Et ne deindè fraus, aut er-
,, ror, aut aliquid novi, & inor-
,, dinati in re tàm gravi commit-
,, teretur, negotium inſtructum
,, ad Sedem Apoſtolicam tranſ-
,, mitteret, ejuſque reſponſum
,, expectaret.

8 ,, Revelationes verò, & mira-
,, cula, aliaque beneficia ſupra-
,, dicta, quæ in libris horum ho-
,, minum vitam, geſtaque con-
,, tinentur, eatenùs ſinè recogni-
,, tione, atque approbatione hu-
,, juſmodi, impreſſa erant, nullo
,, modo approbata cenſeri volui-
,, mus, mandavimuſque.

9 ,, Ad horum hominum ſepul-
,, chra vetuimus etiam, & inhi-
,, buimus tabellas, atque imagi-
,, nes ex cera, aut argento, ſeù
,, ex alia quacunq; materia, tàm
,, pictas, quàm fictas, atque ex-
,, culptas appendi, ſeù affigi, &
,, lampades, ſivè alia quæcunque
,, lumina accendi, ſinè recogni-
,, tione ab Ordinario omninò,
,, prout ſuprafacienda, Sedique
,, Apoſtolicæ referenda, ac pro-
,, banda.

10 ,, Declarantes, quòd per ſu-
,, praſcripta prejudicare in aliquo
,, nolvimvs, neque intendimus
,, jis, qui, aut per communem
,, Eccleſiæ conſenſum, vel im-
,, memorabilem temporis cur-
,, ſum, aut per Patrum, virorum-
,, que ſanctorum ſcripta, vel lon-
,, giſſimi temporis ſcientia, ac
,, tolerantia præfatæ Sedis Apo-
,, ſtolicæ, vel Ordinarii cele-
,, brantur.

11 ,, Cumque poſteà die 2. Octo-
,, bris ejuſdem anni 1625. à qui-
,, buſdam revocari in dubium ac-
,, cepiſſemus, an tabellas, &
,, imagines, quas in poſterùm of-
,, ferri contigeret, recipere, &
,, anteà oblatas conſervare lice-
,, ret?

12 ,, Nos, qui tantummodò vol-
,, vimus, occurrendo abuſibus,
,, qui irrepere videbantur, cer-
,, tiorem parare viam ad eorum
,, in terris gloriam, quórum ſan-
,, ctimoniam, ſi divinæ clementię
,, placuerit, admirandis operibus
,, illuſtrare, re priùs cum eiſdem
,, Cardinalibus communicata, de
,, ſimili eorum conſilio.

13 ,, Declaravimus, quod ſicut
,, nunquàm prohibuimus, nec
,, intentionis noſtræ fuiſſe prohi-
,, bere oblationem, receptionem-
,, que tabellarum, & imaginum
,, hujuſmodi, itaut deinceps nul-
,, li dubitationis locus relinque-
,, retur.

14 ,, Statuimus, & decrevimus,
,, ut quoties ad aliquam Eccle-
,, ſiam, aut Oratorium, aliumvè
,, locum publicum, ſæcularem,
,, ſeù regularem tabellas, & ima-
,, gines, alvidué ſimilè quiſpiam
,, deferret, ac interceſſione ho-

minum

„ minum intèr Sanctos, vel Bea-
„ tos non adſcriptorum, quam-
„ vis cum martyrii, aut ſancti-
„ tatis fama demortuorum, opta-
„ ta ſe impetraſſe diceret, lice-
„ ret eccleſiaſticis perſonis Ec-
„ cleſiarum, locorumque prædi-
„ ctorum curæ præpoſitis, tabel-
„ las, & imagines, ſivè pictas,
„ ſivè ex quavis materia fictas,
„ atque alia quæcunque collatæ
„ gratiæ fidem facientia, ſimul cũ
„ deferentis, aliorumque, qui con-
„ ſcii fuiſſent, atteſtationibus reci-
„ pere, atq; approbantibus Ordi-
„ nariis, ad quos omnia ſtatim re-
„ ferre tenerentur, in ſecreto ali-
„ quo loco ſeorſim ab Eccleſia,
„ cuſtodire, ibidemque jam amo-
„ ta collocare, & aſſervare, ut ſi
„ quandò Dominus talium viro-
„ rum merita beatificationis, ſeù
„ Canonizationis honore in ter-
„ ris decorare voluiſſet, extarent
„ hujuſmodi ſanctitatis qualeſ-
„ cunque probationes Apoſtoli-
„ cæ Sedis judicio tunc exami-
„ nanda.

15 „ Demùm, ut hujuſmodi De-
„ creta obſervarentur indubiè,
„ & omnimodam ſortirentur
„ executionem, cum eiſdem Car-
„ dinalibus re paritèr communi-
„ cata, deque eorundem conſi-
„ lio præmiſſis.

16 „ Addidimus, ſtatuimus, de-
„ crevimus, atque declaravimus,
„ ne ex tunc deinceps quiſpiam
„ Ordinariorum, aut ab Apoſto-
„ lica Sede ad hoc ſpecialitèr de-
„ legatorum, ſuper alicujus
„ utriuſque ſexus cum ſanctita-
„ tis, aut martyrii fama, vel opi-
„ nione defuncti, miraculis, re-
„ velationibus, aliiſque hujuſmo-
„ di ſanctitatem redolentibus,
„ ex integro informationes quo-
„ quo modo reciperet, aut pro-
„ ceſſum inſtrueret, vel huc uſ-
„ que receptæ informationes,
„ inſtructumque proceſſum ul-
„ teriùs procederentur, niſi Po-
„ ſtulator priùs per legitimas ju-
„ ridicè ſumptas probationes cir-
„ cà perſonam ejus, de cujus mi-
„ raculis, revelationibus, aliiſvè
„ rebus geſtis ſanctitatem præ-
„ ſeferentibus, ageretur, præſcri-
„ ptam in præfato noſtro decre-
„ to formam omninò ſervatam
„ extitiſſe docuerit. Et niſi po-
„ ſteà ſucceſſivè idem Ordina-
„ rius, aut ab Apoſtolica Sede
„ ad hoc ſpecialitèr delegatus,
„ diligenti præhabita diſquiſitio-
„ ne circà eandem perſonam, ſu-
„ pracitato decreto nullatenùs
„ contraventum eſſe ritè pronun-
„ tiaverit.

17 „ Utque id inviolabilitèr ob-
„ ſervetur, ſtatuimus inſuper, &
„ decrevimus, ne tranſmiſſi ad
„ Urbem undecumque hujuſmo-
„ di proceſſus à Congregationis
„ Sacrorum Rituum Secretario,
„ minuſvè à Sanctæ Fidei Pro-
„ motore quomodolibet aperian-
„ tur, niſi priùs in ipſa Sacrorum
„ Rituum Congregatione, alio
„ ſejunctìm oblato autentico
„ proceſſu, ex eo Ordinarium,
„ aut ab Apoſtolica Sede ſpecia-
„ litèr delegatum, ritè, ac rectè,
„ ut præmittitur, cognoviſſe, ac
„ pronunciaſſe, prædicto decre-
„ to nequaquàm contraitum eſſe
„ plenè conſtiterit, ac deindè à
„ Nobis judicialitèr aperiendi
„ eos proceſſus facultas indulta
„ fuiſſet.

18 „ Inſuper longiſſimum tem-
„ pus, illiuſque immemorabile in-
„ curſum, de quo in prædicto
„ decreto, intelligi declaravi-
mus,

„ mus, eſſe tempus centum an-
„ norum metam excedens.

19 „ Deque his, atque infraſcri-
„ ptis omnibus, quæ in his de-
„ cretis diſpoſita, & ordinata
„ ſunt, aliqua ſuboriente difficul-
„ tate Ordinariis locorum, & de-
„ legatis Apoſtolicis quibuslibet
„ omnem omninò interprætandi
„ facultatem ademimus; utque
„ Sedem Apoſtolicam deſuper
„ conſulerent, ab ea reſponſum
„ expectarent, mandavimus eiſ-
„ dem, & aliis, prout in decre-
„ tis deſuper editis pleniùs con-
„ tinetur.

20 „ Quare inviolabili decreto-
„ rum prædictorum obſervatio-
„ ni, quantùm cum Domino poſ-
„ ſumus, conſulere volentes, mo-
„ tu proprio, & ex certa ſcien-
„ tia, ac mera deliberatione no-
„ ſtrum, deque Apoſtolicæ pote-
„ ſtatis plenitudine, decreta præ-
„ dicta cum omnibus, & ſingu-
„ lis in eis contentis, tenore præ-
„ ſentium perpetuò approbamus,
„ & confirmamus, illiſque invio-
„ labilis Apoſtolicæ firmitatis ro-
„ bur adjicimus; omniaque, &
„ ſingula decreta hujuſmodi ab
„ omnibus, ad quos ſpectat, &
„ in futurum quomodolibet ſpe-
„ ctabit, obſervari omninò præ-
„ cipimus ſub pœna nullitatis
„ quarumcunq; informationum,
„ proceſſuum, ac interprætatio-
„ nis, alitèr, quàm prævia ſupra-
„ ſcripta præcognitione inſtru-
„ ctorum, eorumque admiſſio-
„ nis, publicationis, & interpræ-
„ tationis, itaut earumdem in-
„ formationum receptiones, pro-
„ ceſſuumque inſtructiones, nec
„ non eorum admiſſiones, ac pu-
„ blicationes, & interprætatio-
„ nes habeantur pro non rece-
„ ptis, non inſtructis, non ad-
„ miſſis, non publicatis, non in-
„ terprętatis, eorumque ampliùs
„ ratio aliqua nullatenùs alicubi
„ unquàm haberi debeat.

21 „ Decernentes præſentes lite-
„ ras, & in eis contenta quæcun-
„ que, etiam ex eo, quòd quicun-
„ que in præmiſſis, ſeù eorum
„ aliquo intereſſe habentes, ſeù
„ quomodolibet habere præten-
„ dentes, ad præmiſſa vocati, &
„ auditi, minuſvè cauſæ, pro-
„ pter quas eædem præſentes
„ emanarint, adductæ, verifi-
„ catæ, ſeù aliàs ſufficientèr, aut
„ etiam nullatenùs juſtificatę fue-
„ rint, nullo unquàm tempore
„ de ſubreptionis, obreptionis,
„ nullitatis, aut invaliditatis vi-
„ tio, ſeù intentionis noſtræ,
„ aut alio quovis defectu, etiam
„ quantumvis magno, inexcogi-
„ tato, & ſubſtantiali, ſivè etiam
„ ex eo, quòd in præmiſſis, ſeù
„ eorum aliquæ ſolemnitates, &
„ quævis alia ſervanda, & adim-
„ plenda, ſervata, & adimpleta
„ non fuerint, aut ex quovis alio
„ capite à jure, vel facto, aut
„ ſtatuto, vel conſuetudine ali-
„ qua reſultante, ſeù etiam enor-
„ mis, enormiſſimæ, & totalis
„ læſionis, aut quocunque alio
„ colore, etiam in corpore juris
„ clauſo, ſeù occaſione, vel cau-
„ ſa, etiam quantumvis juſta,
„ rationabili, & privilegiata,
„ etiam tali, quæ ad effectum
„ validitatis præmiſſorum neceſ-
„ ſariò exprimenda foret; aut
„ quod de voluntate noſtra hu-
„ juſmodi, & aliis ſuperiùs ex-
„ preſſis, ſeù relatis, ſeù aliter
„ probari poſſet, notari, impu-
„ gnari, invalidari, retractari, in
„ jus, vel controverſiam revocari,

aut

Digitized by Google

„ aut ad terminos juris reduci,
„ vel adverſùs illas reſtitutionis
„ in integrum, aperitionis oris,
„ reductionis ad viam, & termi-
„ nos juris, aut aliud quodcun-
„ que juris, facti, gratiæ, vel ju-
„ ſtitiæ remedium impetrari, ſeù
„ quomodolibet concedi, aut im-
„ petrato, aut conceſſo quem-
„ piam, uti ſeù ſe juvare in judi-
„ cio, vel extrà poſſe, neque
„ ipſas præſentes, ſub quibuſvis
„ ſimilium, vel diſſimilium gra-
„ tiarum revocationibus, ſuſpen-
„ ſionibus, limitationibus, aut
„ aliis contrariis diſpoſitionibus
„ pro tempore quomodolibet fa-
„ ciendis compræhendi, ſed ſem-
„ per ab illis exceptas, perpe-
„ tuòque validas, firmas, & effi-
„ caces exiſtere, & fore, ſuoſq; ple-
„ narios, & integros effectus ſor-
„ tiri, & obtinere, ac per omnes, &
„ ſingulos, ad quos ſpectat, & quo-
„ modolibet ſpectabit, in futu-
„ rum inviolabilitèr obſervari.

22 „ Sicque, & non aliter in præ-
„ miſſis omnibus, & ſingulis per
„ quoſcunque Judices, Ordina-
„ rios, & delegatos etiam cau-
„ ſarum Palatii Apoſtolici Au-
„ ditores, & S. R. E. Cardinales,
„ etiam de latere Legatos, &
„ Nuntios, & alios quavis aucto-
„ ritate, & poteſtate fungentes,
„ in quavis cauſa, & inſtantia,
„ ſublata eis, & eorum cuilibet
„ quavis aliter judicandi, & in-
„ terpratandi facultate, & au-
„ ctoritate ubique judicari, &
„ definiri debere; irritum quo-
„ que, & inane, ſi ſecùs ſuper
„ his à quoquàm quavis auctori-
„ tate ſcientèr, vel ignorantèr
„ contigerit attentari.

23 „ Quocircà Venerabilibus Fra-
„ tribus, Patriarchis, Primatibus,
„ Archiepiſcopis, Epiſcopis, &
„ aliis locorum Ordinariis; nec-
„ non dilectis filiis noſtris, &
„ Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, ac
„ hæreticæ pravitatis Inquiſito-
„ ribus ubilibet exiſtentibus per
„ Apoſtolica ſcripta mandamus,
„ ut ſtatim atque præſentes lite-
„ ræ noſtræ ad eorum, & cuili-
„ bet eorum notitiam pervene-
„ rint, in ſua quiſque reſpectivè
„ Diœceſi, vel Provincia ſedulò
„ pervigilet.

24 „ Ne ſinè approbationibus præ-
„ dictis imagines cum memora-
„ tis ſignis exponantur, aut mi-
„ racula, revelationes, ac bene-
„ ficia prædicta publicentur,
„ aliavè contrà ſuperiùs diſpoſita
„ fiant.

25 „ Transgreſſores verò, ſi regu-
„ lares fuerint, privationis ſuo-
„ rum officiorum, ac vocis acti-
„ væ, & paſſivæ, nec non ſuſpen-
„ ſionis à divinis. Si verò Cleri-
„ ci ſæculares, privationis pari-
„ tèr ſuorum officiorum, ſuſpen-
„ ſionis à divinis, & ab admini-
„ ſtratione Sacramentorum, exe-
„ cutioneque ſuorum Ordinum
„ reſpectivè, aliiſq; arbitrio præ-
„ dictorum Ordinariorum, ſeù
„ Inquiſitorum pro modo culpæ
„ infligendis pœnis plectendo.

26 „ Qui autem libros impreſſe-
„ rint, aut imagines pinxerint,
„ ſculpſerint, ſeù quoquomodò
„ affixerint, vel formaverint,
„ cæterique artifices circà præ-
„ miſſa qualitercunq; delinquen-
„ tes, prædicta omnia amittant;
„ & inſuper pecuniariis, aliiſvè
„ etiam corporalibus pœnis, jux-
„ tà criminis gravitatem eorun-
„ dem Ordinariorum, ſeù Inqui-
„ ſitorum arbitrio afficiantur.

27 „ Contradictores quoſlibet, &

 rebel-

„ rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliavè opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacunque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

28 „ Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque.

„ Ut autem præſentes &c.

„ Quòdque illarum tranſumptis impreſſis, &c.

29 „ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die quinta Julii 1634. Pontificatus noſtri anno undecimo.

Publicata fuit die quinto Septembris ejuſdem anni.

Summarium Bullæ.

30 Primò, Papa volens occurrere abuſibus, qui irrepſerunt in veneratione hominum defunctorum cum opinione ſanctitatis, vel martyrii, prohibuit, ne quis eis deferret honorem, per expoſitionem in Eccleſiis, & Oratoriis etiam privatis, imaginis eorum, tabellarum, ſeù alterius rei cultum præſeferentis eorumdem nondùm beatificatorum, nec Canonizatorum; & appoſita ſunt removenda, ex num. 5.

31 Secundò, prohibuit impreſſionem librorum de miraculis, revelationibus, aut aliis eorum beneficiis receptis, ſinè approbatione Ordinarii, adhibitis Theologis, & viris piis, ac doctis; quæ tamen non ſufficit, ſed mittendi ſunt ad Urbem, & expectandum eſt indè reſponſum, num. 6. & 7. Impreſſis antè Decretum ſinè approbatione nulla fides adhibetur, numer 8.

32 Tertiò, tabellæ, imagines, lampades, lumina non poſſunt apponi eorum ſepulchris n.9

33 Quartò, dicta decreta non comprehendunt illos Dei ſervos, qui coluntur, vel per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, vel Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii celebrantur, num. 10. ideſt, quorum cultus excedit centenariam, num. 18.

34 Quintò, oblationes prædictarum tabellarum &c. recipi poſſunt ab habentibus curam Eccleſiæ, ſeù Oratorii publici, ubi eſt defuncti ſepulchrum; non poſſunt tamen exponi, ſed debent conſervari in loco ſecreto, referendo ſtatim omnia ad Ordinarium, num. 14.

35 Sextò, nullus Ordinarius, vel etiam delegatus à Sede, poteſt ex integro ſumere informationes, ſeù facere proceſſum, niſi priùs Poſtulator docuerit legitimè ſupraſcriptam formam fuiſſe ſervatam, ſuper quod Ordinarius, ſeù delegatus debet pronuntiare, an ſervata fuerit dicta forma, num. 16.

Septi-

36 Septimò, proceſſus ad Urbem tranſmiſſus non poteſt aperiri niſi de ſpeciali Papæ facultate, & niſi priùs conſtiterit, non eſse contrarium ſupradictis in decretis, num. 17.

37 Octavò, longiſſimum tempus, & immemorabilis curſus eſt exceſsus centum annorum, nu. 18.

38 Nonò, difficultas ſubortæ à ſola Sede reſolvuntur, num. 19.

39 Decimò, decreta hæc obſervanda ſunt ſub pœna nullitatis actorum factorum contrà ipſa decreta, num. 20.

40 Undecimò, tollitur facultas judicibus alitèr interpretandi cum decreto irritante, nu. 22.

41 Duodecimo, Regulares tranſgreſsores plectuntur pœnis privationis officiorum, utriuſque vocis, & ſuſpenſionis à divinis. Clerici ſæculares privatione ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, & executione ſuorum ordinum, & aliis arbitrio ſedis, num. 25.

42 Impreſsores librorum, pictores, ſculptores, & alii artifices, omnia perdunt, & puniuntur in ære, vel corpore.

Prædictis adjungo literas circulares, quas recenſet Piaſecius fol. 164. & Paſqualig. ſub nu. 1244. tenoris ſequentis. Ad Archiepiſcopum Avenionen. & ad Epiſcopum Camenecenſem. *Illuſtriſs. admodum, & Reverendiſsime Domine.*

43 „ Cum quotidiè magis notum fiat, quanta ſinceritate mentis, & maturitate cognitionis incipere, & perſequi deceat eorum cauſas, qui diem ultimum objere, non ſinè aliqua populo relicta opinione ſanctitatis, & quam accuratè, fidelitèrque in re tanti momenti adhiberi teſtes, & in examen vocari conveniat.

„ Sacra Rituum Congregatio, facto prius verbo cum Sanctiſſimo, ne aliquis ſubrepat abuſus, juſſit, Amplitudinem tuam hac peculiari epiſtola fieri certiorem de his, quæ in adjuncto decreto continentur, nempè.

44 „ Ut curet, ne in poſterùm, ulla ex parte adverſus illud à quopiam in Tua Diœceſi aliquid committatur, ſed ab omnibus omninò inviolabilitèr obſervetur, & quandò apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in ſanctitatem vitæ, & miracula alicujus, qui cum præfata fama objiſſe dicatur; quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occaſionem errori præbet.

45 „ Non prius generalitèr ſuper vitæ Sanctitate inquiri permittat, quam particularitèr de alicujus virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout prudentiæ tuæ magis expedire videbitur, quod per te ipſum exequi S. Congr. ſummoperè exoptat. Sed ſi ob invalitudinem, vel ob legitimum aliud, & grave impedimentum id conficere non valebit, ſuper quo Congregatio conſcientiã tuam onerat, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium tuum Generalẽ, vel

„ alium in dignitate Eccleſiaſti-
„ ca conſtitutum; qui delegatus,
„ ſivè ille ſit Vicarius, ſivè cu-
„ juſcunque dignitatis, cum aliis
„ adminimum duobus doctis
„ viris, altero ſaltèm Magiſtro
„ in Theologia, altero verò gra-
„ duato, vel licentiato in jure
„ Canonico, rem totam ità per-
„ agere debeat, ut omnes ſua no-
„ mina ſubnotent, poſt ſubſcri-
„ ptionem cujuſcunque teſtis,
„ antequam diſcedant à loco
„ ipſius examinis.
46 „ Curabit inſuper Amplitudo
„ tua, ut teſtes omnes quæcun-
„ que habeant, explanatè, & per
„ extenſum deponant, nec ſe re-
„ ferant ad atteſtationes reddi-
„ tas, neque eis recitentur, quæ
„ aliàs ipſi depoſuerunt.
47 „ Poſtquàm verò fuerint per
„ Amplitudinem tuam, vel per
„ alios ex cauſis ſuprà narratis à
„ te ſubrogatos, acta completa,
„ ſecretò retineantur, præſtito
„ etiam juramento à Notariis, &
„ Teſtibus, ſe nemini promul-
„ gaturos quicquam ipſi ſcripſe-
„ rint, & reſpectivè depoſuerint,
„ vel de quibus interrogati fue-
„ rint.
48 „ De his autem actis per Te,
„ aut juſſu tuo confectis, certio-
„ rem reddere debebit Amplitu-
„ do tua ſtatim Summum Pon-
„ tificem, eaque quantò citiùs
„ poterit autenticè tranſcripta,
„ ac ſigillo obſignata, ad Sacram
„ Rituum Congregationē tranſ-
„ mittere.
49 „ Originalia verò eodem mo-
„ do conſignata, & in capſa clau-
„ ſa pluribus clavibus, quæ di-
„ verſis ad arbitrium tuum cu-
„ ſtodiendæ tradantur, in Archi-
„ vio Archiepiſcopali conſerven-
„ tur.
50 „ Notum tamen ſit Amplitudi-
„ ni tuæ, neque per hanc Epi-
„ ſtolam, neque per aliquid in
„ ea propoſitum, volviſſe Sum-
„ mum Pontificem, neque Sa-
„ cram Rituum Congregationē
„ tribuere, aut augere juriſdi-
„ ctionem, ſeù facultatem, quæ
„ aliis Epiſcopis competere poſ-
„ ſet.
51 „ Atque ut hæ literæ nulla in
„ poſterum oblivione deleantur,
„ ſed ſemper in recordatione vi-
„ geant, & tua, & tuorum dein-
„ ceps Succeſſorum, dabit ope-
„ ram Amplitudo tua, ut illę
„ quantociùs tàm in Curia tua
„ Archiepiſcopali, quàm in Ar-
„ chivio Capitulari ad perpetuā
„ rei memoriam aſſerventur. Va-
„ le.
„ Datum Romæ 12. Martii
„ 1632. Amplitudini tuæ uti
„ Frater, C. Cardinalis Pius.
„ I. Tegrimius Epiſc. Aſſiſ. Secr.

Paſqualigus ad Franchum ſub
num. 1239. extendit Decretum
Sacræ Rituum Congregationis
ſervandum in recipiendis infor-
mationibus pro cauſis Beatifica-
tionis, & Canonizationis ſervo-
rum Dei, ejus tenoris.

52 „ Cum in tota Eccleſiæ guber-
„ natione nihil majus, nihil au-
„ guſtius ſit Beatificatione, &
„ Canonizatione Sanctorum, ut
„ potè homines jam demortuos
„ etiam cum fama Sanctitatis, &
„ miraculorū declarare pro San-
„ ctis, eoſque uti tales colendos,
„ & venerandos decernere.
53 „ Sacra Rituum Congregatio,
„ ut res hæc planè ampliſſima,
„ atque graviſſima, ritè, ſanctè-
„ que conficiatur, prohibet om-
„ nibus, & ſingulis perſonis Ec-
„ cleſiaſticis, tàm Sæcularibus,
quàm

„ quàm Regularibus, etiam San-
„ cti Joannis Hieroſolymitani,
„ Societatis Jeſu, vel aliorum
„ quoruncunq; quantumvis ſpe-
„ ciali nota dignorum, ne au-
„ deant ipſi per ſe, aut per alios
„ capere informationes ſuper ſan-
„ ctitate, aut miraculis alicujus
„ defuncti; neque ullo modo ex-
„ quirere, atque obtinere ad hunc
„ effectum extrajudiciales teſti-
„ ficationes, aut ſubſcriptiones
„ ſub pœnis arbitrio Sacræ Con-
„ gregationis infligendis.

54 „ Quod ſi ſuperiori, Sacriſtæ,
„ ſeù alteri officiali illius Eccle-
„ ſiæ, in qua requieſcit corpus
„ ipſiuſmet defuncti, vel alterius
„ etiam Eccleſiæ fuerint relata
„ aliqua miracula, ſivè prophe-
„ tiæ dona, poſſint ea recipere
„ ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tan-
„ tùm relatoribus, in quorum
„ gratiam contigiſſe narrabitur.

55 „ Teneantur tamen quamprì-
„ mùm commodè poterunt ea-
„ dem deferre, vel obſignata
„ tranſmittere Epiſcopo loci,
„ cum expreſſa declaratione,
„ quod revelationes ſicut ſuprà
„ receptæ non faciant aliquem
„ probationis gradum, etiam cu-
„ juſvis longiſſimi temporis cur-
„ ſu.

56 „ Quod Decretum cum fue-
„ rit ad notitiam S. D. N. Urba-
„ ni VIII. deductum, Sanctitas
„ ſua illud approbavit, ac impri-
„ mi, & ubique publicari man-
„ davit. Die 22. Martii 1637.
„ C. Epiſc. Poſt. Card. Pius.
„ T. Tegrimius Epiſc. Aſſiſ.
„ Secret.

Fœlix Contelorus Juris Utriuſque Doctor, & Theologus in Curia Romana Advocatus in ſuo tractatu de Canonizat. refert nonnulla Decreta propè finem ſui operis, quæ & ego ſubjicio prædictis per extenſum.

Decretum ſuper promotione Proceſſuum.

57 „ Sanctiſſimus Dominus no-
„ ſter vivæ vocis oraculo
„ tàm per Illuſtriſſimum Cardi-
„ nalem à Monte, quàm per Se-
„ cretarium juſſit, ut deinceps
„ in cauſis ſervorum Dei poſt
„ examinatos de mandato ejuſ-
„ dem Sanctiſſimi proceſſus au-
„ ctoritate Ordinaria, & decre-
„ tas, & expeditas remiſsoriales,
„ ac etiam poſt receptionem pro-
„ ceſsuum auctoritate Apoſtoli-
„ ca confectos, per decem annos
„ hujuſmodi cauſæ ſileant, neq;
„ ullo pacto ad examen eorun-
„ dem proceſsuum ad effectum,
„ ſivè Beatificationis, ſivè Ca-
„ nonizationis quovis ſub præ-
„ textu deveniri poſſit. Quòd
„ ut firmiùs ſtabiliatur Sanctitas
„ ſua inſuper injunxit, ut ſi me-
„ moriale ſuper hoc directum
„ Congregationi porrigatur cum
„ Reſcripto Sanctitatis ſuæ, ut
„ aliqua ex hujuſmodi cauſis ad
„ prædictos effectus examinetur,
„ nullum ſortiatur effectum, niſi
„ in eodem Reſcripto ſpecialis
„ prædictæ juſſionis derogatio re-
„ periatur, quam Sanctitatis ſuæ
„ voluntatem Secretarius notam
„ fecit die 28. Septembris 1624.

Decla-

Declaratur dictum Decretum.

58 „ DE proceſſu Gregorii Papæ X. & aliorum ſimilium Sanctiſſimus declaravit, mentem ſuam fuiſſe ſub decreto decenii non compræhendi eos, quia à quinquaginta annis ſuprà deceſſerunt, ſed eos, qui à quinquaginta annis citrà mortem objerint. Die 22. Auguſti 1626.

Decretum ſuper Immemorabili.

59 „ SAcra Rituum Congregatio, annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro, decrevit, immemorabilem probatam ſuper cultu, & veneratione alicujus Sancti non canonizati, nec beatificati non ſuffragari ad effectum, quòd de illo poſſit concedi Miſſa, vel Officium, ſed in ſpecie, & in illo loco eſſe probandam immemorabilem quo ad cultum cum Miſſa, & Officio; & ità in poſterùm ſervari mandavit die 20. Novembris 1628.

Immemorabilis autem eſt centenaria, ut colligitur ex dictis ſupra in Bulla, ſub nu. 18.

Decretum.

IN quo prohibetur agi de proceſſu cujuſpiam facto, vel faciendo, niſi priùs obtenta à Sanctiſſimo licentia, editum die 15. Januarii 1628. ſequentis tenoris.

60 „ Sanctiſſimus Dominus Noſter expreſsè mandavit, non agi ampliùs in Sacra Rituum Congregatione de proceſſu cujuſpjam ſuper prætenſa Sanctitate, aut martyrio ad effectum Canonizationis, aut Beatificationis, niſi lapſis quinquaginta annis ab obitu illius, quin etiam lapſis quinquaginta annis de ſimilibus proceſſibus, tàm factis, quàm faciendis agi vertit, niſi habita priùs, & expreſsè obtenta à Sanctitate ſua, vel ejus ſucceſſoribus licentia.

61 „ Verùm, ne pereant hujuſmodi dilationis occaſione probationes, permiſit Sanctiſſimus, ſingulos Illuſtriſſimos Cardinales, non habita ratione dictorum quinquaginta annorum, poſſe in qualibet trium Congregationum ad id deſtinatarum proponere unam cauſam vel proceſſum, ſivè auctoritate Ordinaria fabricatum ad effectum deliberandi, an debeant concedi literæ remiſſoriales in forma, ſivè etiam auctoritate Apoſtolica factum, ad effectum cognoſcendi, an legitimè, ſervatiſque ſervandis factus ſit.

Qui-

62 „ Quibus duobus articulis de-
„ finitis, nimirùm, vel conce-
„ dendi remiſſoriales, vel decla-
„ randi proceſſus auctoritate A-
„ poſtolica ritè factos; nullaque
„ nullitatis ſanatione, vel teſtium
„ repetitione indigere; Sanctitas
„ ſua de his ulteriùs agi expreſ-
„ sè prohibuit, ne de Sanctita-
„ te vitæ, miraculis, & aliis ad
„ Beatificationem, vel Canoni-
„ zationem requiſitis, tractari vol-
„ vit, niſi elapſis quinquaginta
„ annis, & obtenta licentia, ſeù
„ beneplacito Sanctiſſimi, ſeù
„ Succeſſorum, ut ſuprà.

Literæ ad Nuntios Apoſtolicos.

NE ſe ingerant inquirentes de integritate, virtutibus; & miraculis defuncti cum fama ſanctitatis, niſi receptis literis remiſſorialibus, & compulſoralibus, ſequentis tenoris.

63 „ Cùm Sacra Rituum Con-
„ gregatio, matura habita conſi-
„ deratione, judicaverit, ſi Pon-
„ tificis per Europam Nuntii
„ ſeſe ingererent in excipiendis
„ inquiſitionibus de integritate,
„ virtutibus, & miraculis viri
„ cujuſpiam cum aliqua ſanctita-
„ tis fama defuncti, facilè futu-
„ rum, ut proceſſione temporis
„ præſumpta palam opinione vi-
„ deantur hujuſmodi acta tam-
„ quàm habere pondus Apoſto-
„ licæ auctoritatis; Sacra eadem
„ Congregatio, re priùs ad San-
„ ctiſſimum relata,
64 „ Cenſuit, Dominationi tuæ in
„ memoriam revocandum, ne
„ ullius omninò hominum roga-
„ tu, impulſuvè ducatur in po-
„ ſterùm, ut apud ſuum tribunal,
„ vel ab aliis tua auctoritate ſuf-
„ fultis de hujus generis rebus
„ agi, atque inquiri permittat,
„ niſi eadem Congregatio per li-
„ teras remiſſoriales, & compul-
„ ſoriales, aut quavis alia ratio-
„ ne id ipſum fieri debere ſpe-
„ cialitèr ſignificet.
65 „ Et ne aliquis in tàm gravì
„ negotio ſubrepat abuſus, juſſit
„ eadem Sacra Congregatio Am-
„ plitudinem tuam hac Epiſto-
„ la fieri certiorem de iis, quæ
„ continentur in adjuncto decre-
„ to, ut curet ab omnibus obſer-
„ vari. Sacræ igitùr Congrega-
„ tionis ſenſum ſequatur Domi-
„ natio tua. Die 12. Martii
„ 1631.

Decretum autem adjunctum, de quo poſtremis verbis ſupradicti, ego ſuprà ſub num. 52. repoſui, & extendi; ſi enim non licet Nuntiis inquirere, & formare proceſſus recentèr defunctorum cum fama ſanctitatis, multò minùs cæteris Eccleſiaſticis inferioribus.

Decre-

Decretum ejuſdem.

MAndans, nullam fidem eſſe adhibendam Reſponſis Sacræ Congregationis, tàm in judicio, quàm extrà, niſi autentica exhibeantur; tenoris ejus, qui ſequitur, apud eundem Contelorum.

66 „ Cùm ad notitiam Sacræ Rituum Congregationis pervenerit, quamplures Declarationes, Decreta, ſeù Deciſiones ſub nomine ejuſdem Sacræ Congregationis abſque illius auctoritate impreſſas in libris, ſeù aliis operibus circumferri, & allegari; multaſque ex Declarationibus, Decretis, ſeù Deciſionibus, juxtà contingentiam caſuum, illorumque qualitates, & circunſtantias à ſe diverſis temporibus factas, ſecundùm ea, quæ proponebantur, fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan alias, mentito Sacræ Congregationis nomine, confectas, nulloque propterea autentico ſigillo munitas; illaſque per tribunalia, tàm in Urbe, quàm per Orbem circumferri, & allegari. Conſiderans eadem Sacra Rituum Congregatio quantum detrimenti recipi poſſit, ſi aliqua fides eis adhibeatur. Ex ſpeciali S. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII. juſſu.

67 „ Mandat, & præcipit, hujuſmodi Declarationibus, Decretis, ſeù Deciſionibus, tàm impreſſis, quàm imprimendis, ac etiam manuſcriptis nullam fidem in judicio, vel extrà, eſſe adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in autentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium, munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſimus, & ſigilli proprii Sacræ Rituum Congregationis impreſſione communiri, & typis mandari juſſimus. Datum Romæ die 11. Auguſti 1632.

„ C. Epiſc. Portuenſ Card. Pius.

Supradictis Decretis, & Bullæ de Beatificatione recentèr defunctorum cum opinione ſanctitatis, ſeù martyrii fama, quæ potuimus habere jam in unum collectis oportet ſubjicere nonullas difficultates cum ſuis reſolutionibus.

Quæres igitùr primò, ad quos ſpectat formare proceſſus hominum morientium cum opinione ſanctitatis, ſeù martyrii?

68 ℞. Spectat ad Romanum Pontificem per totum orbem, & ad Epiſcopos in ſuis diœceſibus; habent enim ad hoc poteſtatem ordinariam, & propriam, licèt limitatam, Epiſcopi, ut patet ex ſupradictis, & dicendis. Ità *Contelor. cap. 25. nu. 1. Carena part. 2. tit. 17. num. 38. & 39.* Quòd Epiſcopi auctoritas ſit ordinaria, colligitur ex Tridentino initio *ſeſſ. 25. ubi de Invocat. Venerat. & Reliq. Sanct. & colligitur ex ſupradictis Decretis, & literis num. 45. & 61.*

Quæ-

Quæres 2. An Epiſcopus hanc poteſtatem delegare poſſit, & quibus?

69 ℟. Poteſt delegare hoc modo, *ſi ob invalitudinem, vel ob legitimum aliud, & grave impedimentum id conficere non valebit, poterit delegare ſuum Vicarium Generalem, vel alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum*: Sunt verba Epiſtolæ circularis

70 ſub num. 45. Quamvis poteſtas ordinaria, cujuſmodi eſt hæc, ſit etiam ad libitum delegabilis, cum ipſius ſit dominus, ac proindè aliis communicare poſſit, cap. fin. de offic. ordin. poteſt enim delegare, qui habet juriſdictionem in ſua perſona, *l. Mores l. Eum* 13. *ff. de juriſd. om. jud.* tamen in cauſis graviſſimis non poteſt fieri delegatio ad libitum, ſed tantùm ex neceſſitate, *cap. inter cætera* 15. *de offic. ordin.* ut in caſu noſtro; ideò Epiſcopis præſcribitur modus delegationis, ut ab eis non fiat, niſi ob infirmitatem, vel aliud legitimum, & ſimul grave impedimentum.

Sed quis dicitur conſtitutus in dignitate eccleſiaſtica, ut ei poſſit ab Epiſcopo delegari hujuſmodi cauſa?

71 Ille dicitur eſſe conſtitutus in dignitate eccleſiaſtica præſsè, & rigorosè, qui habet adminiſtrationem cum juriſdictione. Ità *Boer. deciſ.* 28. 6. *num.* 2. *Aretinus conſil.* 23. *Cavaler. deciſ.* 649. *num.* 1. *cum aliis Barboſa de Canonicis cap.* 4. *num.* 13. Ut ſunt Archidiaconatus, & Archipræsbyteratus, & ſimiles, *ex eodem Barb. nu.* 4. & 5.

72 Ideò iſti, & ſimiles delegari poſſunt, Canonici verò non, quia dignitatem non habent niſi latè, & ex opinione Vulgi, quamvis appellentur Fratres Epiſcopi, *ex Abbate in cap. Novit de his, quæ fiunt à Prælat. cum aliis Piaſecius cap.* 3. *art.* 2. *num.* 22. *verſ. Et hæc*, & cum Epiſcopo faciunt unum corpus, & ideò ejus membra ſunt, *ex ibidem allegatis*, lato modo ſunt dignificati, *ex cit. ab eiſdem Piaſ. & Barb. cit n.* 13. Ideò non poſſunt delegari eiſdem hujuſmodi cauſæ, cum ſimplicitèr, & propriè non dicantur conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica, ut petit hoc negotium, cum inter cauſas graviſſimas recenſeatur, ex dictis hic num 52 quæ non contentatur dignitatibus impropriis in ſua expeditione. Quomodò autem, tàm Vicarius Generalis, quàm Dignitas in hac cauſa, & cum quibus procedere debeat perſonis, ibidem ſub num. 45. dicitur; ubi denuò animadverto illa verba *cujuſcunque dignitatis ſint*, poſſe etiam pro-

73 babilitèr referri ad Canonicos, propter illam univerſalem *cujuſcunque*, quæ talis eſt naturæ, ut compræhendat etiam, quæ latè, & impropriè dicuntur, *ex allatis à Barboſa dict. hat numer.* 3. & 5.

74 Quærit Contelorius capit. 25. numer. 2. An expiret delegatio per mortem delegantis? ℟. Non expirare, ſi citationem decreverit, licèt citatio fuerit executa poſt obitum ejuſdem delegantis, *ex cap. Gratum* 20. §. *Nos autem*, 20. *de offic. deleg. ubi plures allegat etiam Barboſ. ad hoc caput*, delegati juriſdictionem perpetuari ſola citatione, & refert ibi Doctores reſpondentes ad capit. relatum 19. eodem, ubi dicitur contrarium. Qui Contelorius numer. 3. ait, concluſum fuiſſe, non expiraſſe

 juriſdi-

juriſdictionem illorum, qui ſinè citatione decreta firmarunt tale miraculum. Qui ſubdit, præſentata commiſſione tribus Auditoribus Rotæ, eorum juriſdictionem expiraſſe morte Papæ, ſi nihil egerant, quia res erat integra, per præcitatum cap. Relatum 19. eod. Alia ibidem vide.

Quæres 3. An Concilium ſaltem Generale dicatur habere poteſtatem Ordinariam conficiendi proceſſus virorum defunctorũ cũ fama ſanctitatis?

75 ℞. Affirmativè; nam majorem habet poteſtatem, quàm quilibet Epiſcopus, cum ſupra ſe nullum alium habeat ſuperiorem præter Papam, qui ſuper omnes eſt, & ſuper ipſum Concilium, quod tamen præeſt ſingulis Epiſcopis; ſi ergò hi poſsũt, à fortiori Conciliũ. Confirmatur, quia Patres in Concilio Conſtantienſi approbarunt vitam, & miracula S. Rocchi, ut refertur in Comment. Martyrologii ad 16. Auguſti.

Quæres 4. An Cardinales, & Nuntii poſſint inſtruere hujuſmodi proceſſus?

76 ℞. Negativè, qua tales, quia nullibi reperitur illis conceſſa hæc facultas; & quidem de Nuntiis id decretom eſt, quòd non capiant informationes hujuſmodi, niſi id illis fuerit conceſſum, ex Decreto ſuprà allato ſub nu. 64. De Cardinalibus idem dicendũ, ut colligitur ex alio decreto, ſub num. 61. in quo Papa ſingulis in Congregatione tantùm id facere poſſe, juxtà quod ibidem refertur.

Quæres 5. An Abbates, & Generales Ordinum ſaltem poſſint capere informationes ſuorum religioſorum?

77 ℞. Olim poterant, ut colligitur ex cap. Venerabili 52. de teſtibus, ubi Papa mandat inquiri ſuper vita, & miraculis cujuſdam Abbatis defuncti, non obſtante, quòd ab Abbate ſucceſſore cum ſuis Monachis facta fuiſſet inquiſitio; ſed quia teſtes non fuerant legitimè recepti, quia non ſecretò, nec ſingularitèr ab Abbate fuerant recepti, juſſit denuò recipi, & quia Papa non reprobavit inquiſitionem ejus, niſi in modo procedendi, conſequentèr tunc poterant; agebant enim cauſam ſui Religioſi, & ipſi meliùs aliis poterant ſcire ejus vitam, cum quo fuerant converſati. Nunc verò non poſſunt, ut extat ſupradictum Decretum ſub num. 53. ubi, quòd nec poſſunt extrajudiciales teſtificationes ſumere. Contelor. cap. 4. num. 24. Poſſunt tamen recipere miracola ejus religioſi, qui eſt defunctus in eorum Eccleſia, ſub ſigillo ſecreti, ab eo, qui gratiam recepit, deferenda ad Epiſcopum, ut ibidem dicitur ſub num. 54 & 55.

Quæres 6. An proceſſu completo, Epiſcopus poſſit judicare de miraculis ex facto, & geſtis in proceſſu probatis, & illa approbare?

78 Prænotandum eſt, quòd in cauſis miraculorum interveniunt duo proceſſus, quorum alter appellatur informativus, ſeù teſtificativus, alter judicativus, in quorum primo recipiuntur Teſtes, per quos factum ipſum cum omnibus ſuis circunſtantiis probatur, nulla diſcuſſione facta ſuper formalitate miraculi, quod deducitur ex ipſo facto materiali. In ſecundo verò proceſſu diſcutitur, an tale factum jam probatum habeat rationem miraculi in ſe, ac pro-

indè

ìndè an ſit aliquid ſupernaturale à ſolo Deo proveniens, an effectus naturalis proveniens à natura, ſcilicèt à cauſa ſecunda cum prima producentibus effectum ſecundùm ordinarium naturę curſũ.

79 ℞. Poteſt cum conſilio Theologorum, piorum virorum, & doctorum, ut expreſsè dicitur num. 6. & 7. & 31. His obſtat Paſqualig. ſub nu. 1194. firmans ſe in verbis Decreti nunc à me citati ſub dictis num 6 & 7. quæ ſunt hæc: *ſinè recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in jis recognoſcendis Th ologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhibeat*. Dixit textus, quòd miracula horum nondùm beatificatorum non poſſunt imprimi, niſi priùs recognoſcantur; & approbentur ab Ordinario; ergò de mente Pontificis poſſunt judicari, & approbari ab Epiſcopo, non tantùm in ratione facti, verùm etiam in ratione miraculi, reſpectu cujus propriè Epiſcopus debet adhibere doctos viros. Quamvis res ità ſe habeat, id non ſufficit ad impreſſionem, ſed aliud requiritur ad eam, & ad publicationem, juxtà quod dicam in ſequenti quæſtione.

Quæres 7. An Epiſcopus peracto proceſſu informativo, & etiam judicativo, an ſcilicèt factum ſit miraculoſum, & pro tali recognitũ, & approbatum, poſſit illud miraculum, imò & proceſſum publicare?

80 ℞. Negativè, quia ex præfato Decreto ſub num. 7. & 35. proceſſus informativus, & judicativus, mittendus eſt Romam, & reſponſum eſt expectandum. Ratio eſt, quia publicare proceſſum, ſeù miraculum, vel miracula alicujus ſervi Dei, eſt indirectè approbare cultum daberi illi, quod
81 ad ſolum Pontificem ſpectat, *ex cap. 1. de Reliquiis, & Venerat. Sanct.* Id etiam eſt beatificare, & canonizare, quod ſolius Pontificis eſt, *ex allatis ibidem à Barboſa, Maſcard. concl. 261. num. 50. Paſqualig. num.* 1204: Epiſcopus autem formando utrumque proceſſum, informativum ſcilicèt, & judicativum, per hoc ſervo Dei non dicitur tribuere cultum, nec illum beatificare, ſed ſolùm judicare geſta illius, cujuſnam qualitatis ſint.

Quæres 8. Qualis debeat eſſe Notarius eligendus ad conſcribendum proceſſum?

82 ℞ Quandò à Sacra Rituum Congregatione aſſignatur, & nominatur Notarius, ſinè dubio ille vocandus eſt, qui in ſcriptis redigat omnia acta, & teſtificata, ſi nullus aſſignatur, eſt in arbitrio Epiſcopi, ſeù delegati ſumere quem ipſe vòluerit, non ſolùm clericum, ſed etiam laicum à ſolo Principe creatum, qui jurare debet in manibus judicis, ſe nemini promulgaturum quicquid in proceſſu ſcripſit, qui debet ſe ſubſcribere, & ſignare proceſſum, quem judex autenticum tranſmittere debet ad Romanum Pontificem, & cætera præſtare pro ejus complemento, & originale in capſa cuſtodire.

83 Prima pars, quòd judex debet uti Notario nominato, & non alio, quia pro forma datur, cujus omiſ-
84 ſione vitiatur actus *l. Mecius, l. qui hæredi ff. de condit. & demon. cum aliis Barboſ. axiom. Forma nu.* 3 Qui
85 jurare debet de officio fidelitèr exercendo, *ex c. Ad audientiã 13. de præſcr. Contel. c. 25. n. 24. ex Rota in Rel. S. Raym. p. 1. ar. 2.* Hh 2 Se-

86 Secunda pars, nullo aſſignato, judex poteſt uti quo mavult: probatur, quia tunc liberam poteſtatem habet eligendi ſibi unum *ex allegatis à Barboſa ad cap. Quoniam* 11. *de probat. num.* 4. electio enim eſt aſſumptio unius ex pluribus, & in hoc nulla difficultas, dum non arctatur ad unum.

87 Tertia pars, quòd poſſit uti Notario laico à ſuo Principe ſolùm creato, probatur non obſtante laicalitate perſonæ creatæ, &
88 Principis laici; quia ille dicitur nudum præſtare miniſterium ſcriptionis, quod laicis non eſt prohibitum in cauſis Eccleſiaſticis. Et id confirmatur, quia ejus facultas non menſuratur ab eo, qui creavit eum Notarium, ſed ab eo, à quo fuit electus ad tale munus, *ut dictum fuit in Relat. S. Raymundi, Contelor. cap.* 25 *nu.* 36. *&* 37.

89 Quarta pars de Notario Eccleſiaſtico certior eſt, & nulla caret difficultate, ad hujus electionem, quòd ſcilicèt creatus ſit de auctoritate Eccleſiaſtica, ità quòd non ſufficiat, ut ſit ſolùm ex auctoritate imperiali, docet *Hoſt. in cap. quia propter de elect. num.* 32. *& Butr. in cap. Sicut, Ne cler. vel mon. apud Contelor. cap.* 25. *nu* 34. Qui cum multis aliis dicit, horum opinionem in puncto juris eſſe veram, de conſuetudine tamen ſervari contrarium.

90 Quinta pars, quòd in ſcriptis redigat omnia, quæ dicuntur à teſtibus, de ſe patet; quia hæc per ſcripturam inviolata, & invariata conſervantur; nam in ſola voce conſiſtentia facilè alterantur, & evaneſcunt ex labilitate, & inconſtantia memoriæ; homo enim hodie obliviſcitur ejus, quod heri dixit; ideò ad evitandum hujuſmodi defectum, neceſsè eſt uti ſcriptura, in qua acta manent invariata, & talia, qualia primò in ea ſunt ſcripta ad perpetuam rei memoriam. Et id ſuadet non ſolùm Notarii à notando, & ſcribendo nomen; ſed etiam neceſſitas conſignandi ſingulis Theologis, & peritis copiam proceſſus, ut in eo ſpeculentur, an ex facto oriatur miraculum, an verò ab eo excludatur.

91 Sexta pars, Notarius jurare debet non ſolùm de fidelitate, ut dixi ſub part. 1. hic, ſed etiam de ſecreto, ſe nihil promulgaturum eorum, quæ ſcripſit, in manibus judicis eligentis, ut præſcribitur in literis circularibus, ſuprà num. 47. Et de utroque apparere debet in actis, ne detur occaſio Eminentiſſimis, & aliis proceſſum examinaturis, illum uti invalidum pronuntiandi.

92 Septima pars, de ſubſcriptione, & ſignatione, ut actis fides adhibeatur, docetur ab omnibus allegatis à *Gabriel. de præſumpt. concl.* 3. *num* 34. *&* 38. *Rota in Relat. S. Franciſcæ par.* 1. *art.* 3. *verſ. Circà quintum, Contelor. cap.* 25. *num.* 25. Notario enim credendum eſt in iis, quæ ſpectant ad ejus officium, *ex communi Merlinus deciſ.* 557. *n.* 5. Præſumitur enim rectè, & fidelitèr functus eſſe officio ſuo, *Doct. ad cap. Audientiam, de præſumpt. Paulus Rubeus part* 4 *recent. deciſ.* 219. Undè dicitur teſtis juris, *ex Bartolo, Sanch. lib.* 3 *de Matrim. diſput.* 22. *num.* 54 *§ Ad tertium*. Imò dicitur habere vim duorum teſtium, *ex cap. quoniam* 11. *de probat. ubi Barb. num.* 10.

93 De ſtilo Rotæ in Urbe creditur Notario atteſtanti eſſe talem,

etiam

etiam in cauſa Canonizationis, *Rota in Relat. S. Hiacynti cap. 2. fol. 10. Contelor. cap. 25. num 29.* de ſtylo Rotæ teſtatur Verallus *par. 2. deciſ.* 245. Quando Notarii ſunt de partibus ignoti Eminentiſſimis, tunc ſubſignatio proceſſus facta ab Epiſcopo, vel delegato ſufficientèr probat pro illis, etiam ſi in proceſſu non regiſtrent inſtrumentum ſuæ creationis; neque enim ea regiſtratio dat ipſi Notario fidem coram ignotis, ſed
94 fides judicis pro ipſo facit. Notariatus autem in facto recenti probatur, vel inſtrumento creationis, vel deſcriptione in matricula, vel per legalizationem, vel ex auctoritate judicis. *Rota in Relat. Sanct. Caroli, & Raymundi. Contelor. cap. 25. num. 33.* Quandò in antiquis Notariatus eſſet probandus, ſola fama ſufficeret, *Aretinus conſ. 27. Decius conſ. 36. n.* 3. Nec eſt neceſsarium ejus manum recognoſcere, *Puteus lib. 2. dec. 359. n. 6. Rota in Relat. S. Raymundi par. 1. art 1. Contelor. cap. 25.*
95 *num. 30.* Impeditus autem poteſt ſubſcribere, & ſignare copiam collationatam cum originali ab aliena manu ſcriptum proceſsum, ſibi nota, & fida. *Alex lib. 1. conſ. 129 nu. 4. Purpur. conſ. 121. num. 12. Gabriel. concl. 3. de præſumpt. nu. 35. Contel. cap. 25. nu. 26.*

Quæres 9. Numquid in proceſsu ſuppleri poſſint aliquæ circunſtantiæ, ex quarum omiſſione certum dari non poteſt judicium an ex facto probato cognoſcatur miraculum?

96 ℞. Poſsunt, & debent ſuppleri, ut adæquata veritas ſit cauſa diſcernendi miraculum à non miraculo. Probatur. Tùm quia in aliis cauſis tàm civilibus, quàm criminalibus judex ſupplet ea, quæ ſunt tùm juris, tùm facti, quandò ſpectant ad publicam utilitatem, *Gloſ. V. Remanent, cap. Judicantem 30. q. 5. Gloſ. V. Curavimus cap. Cauſam, de judic. cap. Bonæ memoriæ, de elect. Navar.*
97 *conſ. 2. de elect.* Ergò & in hac, quæ tota favorabilis eſt, & ſpectat ad publicam utilitatem, atque civilis eſt, non criminalis.
98 Tùm quia judex tenetur interrogare ubicunque eum movet æquitas, *Gloſ. fin. cap. 1. de juram. calumn. Gloſ. V. Confeſſus cap. 3. de confeſſis.* Ergò quandò non poteſt diſcerni ex ſerie proceſsus, an factum v. g. ſit naturale, an miraculoſum, ut quòd poteſt eſse effectus communis cauſis ſecundis, & primæ, ut ſanatio &c. tunc tales ſupplendæ ſunt interrogationes, ut ex reſponſis ad eas deveniri poſſit in cognitionem, ſub quo cauſarum genere ſit effectus, de quo quæritur, an ſit miraculoſus, an non; partes enim judicis ſunt cognoſcere initium, medium, & finem negotii, cap. Cum ſuper 27. de
99 offic. delegati. Tùm quia teſtis, qui confuſè, & obſcurè depoſuit ſuum dictum, iterùm examinandus eſt, ut clarè, & diſtinctè loquatur, *cap. Cum clamor 53. de teſtib.* Demùm, in terminis noſtris id deducitur ex cap. Vene-
100 rabili 52. eod. ubi Papa mandat iterùm examinari teſtes in materia miraculorum, quia in priori examine teſtes ritè non fuerant recepti, hoc eſt, ſecretò, & ſingularitèr, ut erat neceſsarium, ſed ſimul præſentes, & turmatim, ut ajunt, fuerant examinati, & ſic non probabant, ut docent omnes *cum Farinac. qu. 80. num. 94.*

Judex

Judex ergò, ut dicitur *cap. cum cau-*
101 *ſam 37. de teſtibus*, diligentèr exa-
minare debet de ſingulis circun-
ſtantiis, de cauſis, de perſonis,
de loco, de tempore, viſu, audi-
tu, ſcientia, credulitate, fama,
&c. nec quidquam præterire, quod
proceſſum poſſit reddere non ſo-
lùm invalidum, ſed neque imper-
fectum. Vide Paſqual. ad Franch.
num. 1186.

Quæres 10. An Clerici, tùm
ſæculares, tùm regulares poſ-
ſint recipere relationem mi-
raculorum in ſcriptis, quam-
vis non poſſint formare pro-
ceſſum ex dictis ſub q. 5.

102 ℞. Poſſunt recipere in ſcriptis
relationem ſibi factam ab eo, qui
gratiam recepit à ſervo Dei in
propria Eccleſia defuncti, & ſta-
tim illud factum tranſmittere ad
Epiſcopum, & illi officiales cle-
rici, vel regulares relationem ſibi
factam ſecretò tenere debent, ut
dicitur in Decreto ſub num. 54.
& 55. dicitur, quòd hujuſmodi
relationes nullum probationis gra-
dum faciunt. Colligitur autem
ex ibidem diſpoſitis, quòd ſolùm
ille, qui recepit beneficium à ſer-
vo Dei, debet officiali narrare
103 factum, ibi: *Poſſint ea recipere
ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantùm
relatoribus, in quorum gratiam con-
tigiſſe narrabitur*. Et ex dictis
verbis habetur ſigillum ſecreti
imponi ſolis officialibus recipien-
tibus factum narratum, & dictio
tantùm refertur ad relatorem mi-
raculi, in cujus gratiam fuit fa-
104 ctum. Sed quis debet referre mi-
raculum factum in gratiam in-
fantis, ſeù impuberis, qui carent
uſu rationis, vel illum non ple-
num, ſed imperfectum habent?
Tunc relatores debent eſſe ejus
parentes, cum etiam tunc bene-
ficium cenſeatur factum in eo-
rum gratiam, dum illis quoque
multum utile æſtimetur.

Quæres 11. Quomodò nume-
retur curſus centum anno-
rum, de quo ſub num. 18?

105 ℞. In Bulla dicitur, quòd De-
creta non loquuntur de illis Dei
ſervis, qui ſub nomine beatorum
celebrantur, ſub num. 10. quan-
dò eorum celebratio jam exceſſit
curſum centum annorum. Tem-
pus autem hoc numerandum eſt
à die publicationis illius Decreti,
quod fuit die quarta Aprilis 1625.
editum antecedenter die decimo
tertio Martii ejuſdem anni; ac
106 proindè ille ſervus Dei huic de-
creto non ſubditur, qui ex hac
vita deceſſit cum fama ſanctitatis,
ſeù martyrii de anno 1525. antè
diem quintum Aprilis. Non nu-
meravi à die 13. Martii editi De-
creti, quia hoc incipit obligare à
107 die excluſa publicationis, non à
die editionis, cum ab eo die non
ſumat ſuam obligationem, cum
nondùm dicatur de eo facta pro-
mulgatio, ſinè qua nulla lex, nul-
lum decretum obligat, ex com-
muni Doctorum, quos allegat
Barboſa ad cap. 2 de conſtitut.
num. 6.

Sed quomodò probanda eſt
hæc centenaria, quæ dicitur tem-
pus immemorabile? De qua lo-
cis citatis num 10. & 18. & num.
59.

108 ℞. Probanda eſt ab allegante
eam, ut docent omnes, *quos ma-
gno numero refert Sperellus deciſ.
69. n. 23.* Et quidem concludenè-
tèr, *ſecundùm Curt. Jun. conſ. 90.
Roland. à Valle lib. 2. conſ. 89. num.
31. cum aliis idem Sperell. nu. 24.*
Antè litis conteſtationem perfi-

citur

ficitur enim in fine, & nonante, *ex Bartolo*, *Jaſone*, *Oſaſcbio ex eodem Sperello num.* 25. Teſtes autem de quatuor requiſitis formitèr deponere debent. *Primò*, de viſu per quadraginta annos. *Secundò*, de auditu à ſuis majoribus, qui ab aliis audierunt. *Tertiò*, quòd nunquam viderunt, aut audierunt ſervare oppoſitū. *Quarto*, de publica voce, & fama per verbum *fuit*, & *eſt*, memoriam non extare, nec extitiſſe in contrarium. *Gloſ. V. Memoria cap.* 1. *de præſcrip.* quam omnes ſequuntur, *Oſaſcbius deciſ.* 101. *numer.* 6. *Gonzal. Gloſ.* 18. *num.* 47. *Gratian. cap.* 681. *num.* 36. *Honded. lib.* 1. *conſ.* 79. *num.* 36. *Mareſcot. Variar. cap.* 100. *numer.* 10. *Sperell. deciſ.* 69. *num.* 26. In prædictis debent eſſe conteſtes, ità quòd non uniuntur, ſi unus deponit de uno requiſito, & alter de alio. *Mareſcot. cit. num.* 3. *Rota par.* 4. *diverſ. deciſ.* 557. *num.* 2. *cum aliis Sperell. deciſ.* 69. *num.* 27. Si probatur, aliquem actum in contrarium factum fuiſſe, tollitur immemorabilis, *Alex. lib.* 5. *conſ.* 16. *num.* 16. *Surd. lib.* 4. *conſ.* 293. *numer.* 3. *Ludoviſ. deciſ.* 162. *num.* 9. *cum aliis Sperell.* 69. *num.* 27. Solus quoque rumor, & reſiſtentia in contrarium reddunt improbabilem ipſam immemorabilem, *Coccinus deciſ.* 400. *num.* 6. *Sperellus num.* 29. Itaque his modis immemorabilis probanda eſt in cauſa ſervorum Dei, quòd ſcilicèt per centum annos à die mortis, qua deceſſerunt cum opinione ſanctitatis, tales ſemper habiti fuerint ab omnibus, nullis contradicentibus tali famæ, & opinioni, ad effectum, ut poſſit eis tribui cultus publicus, & imprimi eorum virtutes, & miracula ad normam jam beatificatorum. Deponentes ergò ſic: Vidi N. ſervum Dei publicè coli in Eccleſia N. per quadraginta abhinc annos, & audivi à meis majoribus, qui ab aliis audierunt, dictum N. coli in dicta Eccleſia, & vocari, beatum non ſolùm auribus meis, ſed etiam à meis majoribus, & de hoc cultu, & nomine beati eſt publica vox, & fama, atque etiam fuit, ità quòd nunquàm audivi, neque vidi oppoſitum ſervari, ſed ſemper illum haberi, & coli pro beato, explicando miracula, gratias, & alia beneficia, quæ ſucceſſivè fecit; hæc enim ſigna ejus cultum demonſtrant.

Quæres 12. An pœnæ, de quibus ſub num. 25. & 41. incurrantur ipſo jure?

109 ℞. Negativè, quia nullum adeſt verbum denotans incurſionem, ſeù executionem ipſo jure, undè comminatoriæ ſunt, & non incurruntur niſi per ſententiam judicis, ut colligitur ex illis verbis: *Pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo*, reſpiciunt futuram executionem à judice pendentem; & colligitur etiam ex num. 27. ubi Contradictores, & non parentes Decretis eiſdem mandat puniri per cenſuras, & alias pœnas Eccleſiaſticas.

Quæres 13. An his pœnis puniri poſſint impreſſores librorum ſervorum Dei, ſeù Beatorum, qui exceſſerunt centenariam?

110 ℞. Negativè, quia Decreta ſicut non loquuntur de iſtis, ut expreſsè dicitur ſub num. 10. ità neque impreſſores librorum de eorum vita, & miraculis agentium, dicuntur tranſgreſſores eorumdem Decre-

Decretorum, & ſic non ſubduntur illis pœnis.

Quæres 14. An auctores librorum hujuſmodi manuſcriptorum, procurantes eorum impreſſionem, ſint horum Decretorum transgreſſores, & Rei pœnarum?

111 ℟. Negativè, quia in eis ſermo eſt de impreſſione librorum, ſub num. 6. & num. 26. ubi agitur de pœnis, fit mentio ſolùm de impreſſoribus, pictoribus, ſculptoribus, &c. ſub quibus nominibus non venit Auctor, qui licèt procuret impreſſionem, non tamen dicitur impreſſor. Quod verum non ſolùm reſpectu librorum continentium miracula eorum, qui exceſſerunt jam centenariam, ſed etiam aliorum, qui eam nondùm exceſserunt, quia reſpectu illorum non comprahenduntur ſub decretis, ut dictum eſt præcedenti reſponſione, nec reſpectu iſtorum, quia, ut dixi, nulla fit mentio de Auctoribus manuſcriptorum.

Quæres 15. An impreſsores miraculorum eorum Dei ſervorum, qui non exceſſerunt centenariam, ſint transgreſsores, licèt manuſcriptum ſit recognitum, & approbatum ab Epiſcopo ad formam Decreti ſub num. 6.

112 ℟. Affirmativè, quia non ſufficit Epiſcopalis approbatio, ſed prætereà Manuſcriptum Romam mittendũ eſt, & indè reſponſum expectare, ut dicitur ſub num. 7. alitèr facere, eſset publicare miracula, & ordinare ſervum Dei ad cultum publicum, quod nec Epiſcopus facere poteſt, ut probavi ſuprà quæſt. 7.

Quæres 16. An ſit contraitum Decretis, ſub num. 9. de non apponendis tabellis, luminibus &c. ad eorum cadavera, ſi quis appendat tabellam, ſeù lumen, id ignorante curam Eccleſiæ habente?

113 ℟. Negativè, quia ea appoſitio non fuit formalis, ſed tantùm materialitèr facta à perſonis devotis. Ità quòd non fuit contraitum in eo ſenſu, ut fiat præjudicium ſervo Dei, quin poſſit de eo tractari, ſi officialis Eccleſiæ ſtatim removeat tabellam, & quodlibet aliud, quod poſſit arguere ejus ſanctitatem.

Quæres 17. Quomodò noſtris temporibus ſinè tranſgreſſione horum Decretorum poſſint Manuſcripta de ſervis Dei recentèr defunctis cum opinione ſanctitatis, cum ſolita approbatione tradi impreſſoribus, & imprimi? Nam videtur obſtare reſponſio data ad 15. quæſtionem, in qua dicitur, quòd libri mittendi ſunt ad Urbem, & expectandum reſponſum.

114 ℟. Auctores non eſſe reos hujus Bullæ, ſeù Decretorum, neque impreſſorem, ac proindè poſſe imprimere ſua manuſcripta de vita, & moribus defunctorum de recenti cum opinione ſanctitatis, ſeù martyrii cum ſolita approbatione Inquiſitorum, & Epiſcoporum, ſine examine, & conſilio Theologorum, & peritorum cum proteſtatione, quòd auctor non intendit, ut illis fides aliqua adhibeatur in ordine ad eorum ſanctitatem ſed ſolùm, quòd fides tantùm humana poſſit præſtari, ſicut aliis hiſtoriis, & quod id nullo modo adverſetur præfatis decretis, probatur evidentèr,

tèr, quia impreſſio librorum de iſtis Dei ſervis, prohibita in Decretis ſub num. 6. ordinatur ad eorum ſanctitatem, dum ibidem ſtatuitur, ut illorum geſta miracula, vel revelationes, vel quæcumque beneficia ob illorum interceſſionem obtenta à Deo, recognoſcantur, & approbentur ab Ordinariis cum Theologorum conſilio; ſed Auctores tamquàm hiſtorici non intendunt id, ſed ſolùm prætendunt narrare eorum geſta, facta, & actiones, modo, & fine hiſtorico, ut faciunt alii narrantes facta illuſtria cujuſlibet alterius perſonæ gravis, quæ deceſſit ſine ulla ſanctitatis opinione, ergò ità facere non eſt contra præfata Decreta. Neque enim hiſtoricus, & croniſta contendit geſta illorum quantumvis illuſtria, & heroica narrare, & probare eſſe miracula, ſed ſolùm geſta, & facta mundo manifeſtare eo modo, quo acciderunt, ne eorum in totum pereat fama, ſed remaneat in mente lectorum.

Confirmatur, quia de geſtis dictorum recentèr defunctorum cum opinione Sanctitatis tracta-
115 ri poteſt duobus modis. *Primò*, narrando præciſè eorum vitam, & geſta, prout acciderunt, non diſputando, nec concludendo eſſe miracula, vel non eſſe miracula, quod fieri poſſe nullus dubitat, cum procedatur modo hiſtorico, quod nulla ratione prohibetur. *Secundò*, diſcurrendo, & determinando in ea narratione hiſtorica reperiri miracula, revelationes, prophetias, &c. in quo caſu procedit Judex cum Theologis, & peritis; & in hoc ſecundo caſu ſervandum eſt Decretum ſub num 6. & 7. ut ſcilicèt non imprimantur niſi reſponſo accepto à Sacra Congregatione, ſeù de ejus licentia, quia talis inſtructio tendit ad probationem ſanctitatis. Quod cum non habeat locum in priori ſenſu, cum pura ſit hiſtoria de geſtis perſonæ, quæ non qualificatur per illam narrationem in ordine ad Sanctitatem, ſed ſolùm ad reddendam illam illuſtrem, eximiam, & præſtantem in hoc mundo, non demonſtrando talem in alio mundo, & patria cœleſti, ut fit in proceſſibus ordinatis in hujuſmodi decretis; ideò non prohibentur hujuſmodi libri tamquam hiſtorici imprimi ſecundùm priorem ſenſum, ſed ut non poſſent imprimi juxtà poſteriorem ſenſum. Et certè Sacra Congregatio nihil aliud voluit intelligere, dum dixit hujuſmodi libris, ſcilicet, pure hiſtoricis fidem non eſſe adhibendam, ſupple, in ordine ad ſanctitatem; non enim hiſtoriarum fides, juridica, & canonica, appellatur, ſed humana, & privata, in his nullum probationis gradum faciens reſpectu, & favore recenter defunctorum in cauſa beatificationis, in qua vocantur, & citantur teſtes examinandi per judices ad formam Decretorum. Hiſtorici autem non citantur, ſed propria auctoritate, & ſcientia propria, aut aliorum fide humana procedunt in compoſitione hiſtoriarum.

Quæres 18. An in oratoriis privatis poſſint retineri iſtorum imagines cum laureolis, & radiis, tabellis, luminibus, &c. & inſcriptione nominis Beati?

116 ℞. Negativè, quia id expreſsè prohibetur ſub num. 5. illis verbis: ***In Oratoriis, aut locis publicis,***

ſeù privatis, & Eccleſiis. Ità ex Fa-
gundez *Præcepto 2. lib. 1. cap. 4.*
num. 16. Trullench. in Decal. lib. 1.
cap. 9. dub. 1. num. 122. Paſqual.
num. 1219. Carena par. 2. tit. 17.
num. 49. & 50. Ubi citat prohi-
bitionem ſub Gregorio XV. ſed
eſt error, quia de anno 1625. non
ipſe jam defunctus, ſed Urbanus
VIII. regnabat. Horum tamen
imagines ſine ſignis ſignificativis
ſanctitatis retineri poſſunt ubique
117 ad ornatum, & ad memoriam,
ſicut imagines prophanæ, ut do-
cet Paſqual. num. 1220. cum aliis,
modò non exponantur in loco
præſtantiori indicante cultum, ut
ſuper aliquod altare etiam priva-
tum.

An illis cultus privatus exhi-
beri poſſit? Dic quòd ſic, *ex cap.*
Audivimus, de reliq. Gloſ. in cap.
Un. eod. in 6. Paſqual. num 1222.
Barboſ. ad cap. Un. eod. in 6. num. 6.
118 Si credatur piè eſſe ſanctus; non
enim cultus privatus prohibetur,
ſed tantùm publicus, qui nomi-
ne Eccleſiæ defertur tantùm à
Romano Pontifice declaratis di-
gnis tanto honore. Non tamen
poſſunt publicè nominari Beati,
vel ſancti, quia id eſt ſpecies ho-
noris, & publici cultus, qui tan-
tùm à Romano Pontifice inſti-
119 tuitur, *ex Trullench. & Bonac. Paſ-*
qual. numer. 1223. ubi ait, poſſe
nos deferre eorum Reliquias, &
offerre illis orationes pro nobis.
Antè traditionem ſepulturæ non
eſt prohibitum oſculari eorum
120 pedes, & habitum, *ex citatis à*
Paſqual. num. 1225. quia etiam
vivis deoſculantur in ſignum af-
fectus, & devotionis, cum ſit
actus humilitatis. Poſſunt ſepe-
liri in loco honeſtiori, & ſepara-
to ab aliis, ut ſepeliuntur perſo-
121 næ illuſtres, *ex Molfeſio conſil. 45.*
num. 14. Paſqual. num. 1226. In
lytaniis non licet eorum nomina
122 exprimere, nec in aliis orationi-
bus ab Eccleſia inſtitutis, quia
id arguit cultum publicum, *Sanch.*
lib. 2. cap. 43. num. 5. Bonac. diſput. 3.
Decalogi q. 1. part. 2. nu. 2. cum aliis
123 *Paſqualig. num.* 1224. Non licet in
die anniverſarii eorum cantare
Miſſam alterius Sancti, vel Tri-
124 nitatis, *Paſqual. nu.* 1228. Multò
minùs feſtivum facere illum diem,
num. 1229. Nec licet abſtinere à
ſervilibus, ſivè jejunare, quia id
arguit in eis ſanctitatem, cum
hæc propriè fiant in honorem San-
ctorum, *contrà Sanchez. Bellar-*
minum, & Caſtropal. quos pro ſe
citat Paſqualig. num. 1230. obſtat
enim Decretum ſub num. 5. in
quo prohibetur *quodcunque venera-*
tionem, & cultum præſeferens, &
indicans. Et licèt loquatur de re-
bus apponendis in locis publicis,
vel privatis, jejunia autem, & ſer-
vilia non apponantur, cum non
ſint hujus generis, tamen cauſa-
litèr ſunt talia, quæ venerationem
indicant; ideò cenſentur venire
125 ſub ea prohibitione. Certum quo-
que eſt de illis non poſſe haberi
conciones ad populum; cum enim
in eis narrentur eorum miranda
opera, quæ ſub ſilentio eſſent præ-
tereunda, contraitur Decretis, &
Bullæ ſub num. 7. & 24. *contrà*
Trullench. & Paſqualig. num. 1232.

Quæres 19. An hujuſmodi De-
creta, quæ tantùm loquuntur
de miraculis, compræhendant
etiam gratias ſub ſuis prohi-
bitionibus?

126 ℞. In Decretis ex æquo com-
præhendi non ſolùm miracula
ſed etiam gratias, ut videri po-
teſt ſub num. 6. *Geſta, miracula,*

vel

vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia, in quibus poſtremis verbis compræhenduntur gratiæ, quæ propriè dicuntur beneficia, quæ replicantur ſub num. 24. Imò ſub num. 14. fit mentio de Gratiis, ibi: *Atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia*, ſub quibus verbis cōpræhendit cætera omnia.

Paſqual. num. 1209. ait prohibitionem loquentem de miraculis, non ſe extendere ad gratias, quia tamquàm odioſa eſt reſtringenda, ut notat, ait Maſcard. concl. 1236. num. 3. Et quia ex diverſis non fit illatio. Et quia in Gratiis non poteſt inveniri falſitas; cum omne beneficium fiat à Deo, & ſic ab ea recognoſci interceſſione Sanctorum.

Reſpondetur, prohibitionem, ut viſum fuit, includere æquè utrunque, tàm gratias, quàm miracula, & ſic evaneſcit prima ratio Paſqualigi; cujus ſecunda pari modo tollitur, quia illud axioma
127 de illatione non habet locum, ubi eſt ratio compræhenſiva legis, quæ utrunque conjungit, licèt diverſa, ſub eadem prohibitione. Demùm etiam in Gratiis poteſt inveniri falſitas, dum tribuitur interceſſioni unius loco alterius. Adde, quòd gratia publicata, vel dat cultum non habenti, vel jam habenti auget; ideò meritò compræhenditur ſub prohibitione in dictis Decretis, alitèr ſequitur abſurdum, quòd cultus Sanctorum poteſt incipere à quavis perſona gratificata in hoc genere.

Quæres 20. An publicantes miracula non approbata, ſint tranſgreſſores hujus Bullę, ſeù Decretorum, & an incurrant aliquas cenſuras?

128 ℟. Sunt aliquo modo horum Decretorū tranſgreſſores, ſicut enim Judices illa publicare prohibentur, & imprimi ab impreſſoribus, ſub num. 6. & 7. & dixi q. 7. ità & aliis, undè ſigillum ſecreti imponitur Notariis, & teſtibus, ſub nu. 47. conſequentèr idem dicendum eſt de Concionatoribus prędicantibus miracula, revelationes, & alia iſtorum beneficia, licèt vera, ſed nondùm publicata; finis enim Decre-
129 torum, & Bullæ eſt, ne abuſus introducatur colendi publicè hujuſmodi ſervos Dei ex opinione Vulgi, cum publicus ſervorum Dei cultus initium habere debeat ab auctoritate Apoſtolica, & nō à privatis; perſonis huic autē fini præfatorum Decretorum, & Bullæ contrafaciunt, non ſolùm Judices, Notarii, & teſtes, ſed etiam quicunque alii prædicta publicantes, quia ex vulgaris juribus, ubi eſt eadem ratio, ibi eſt eadem juris diſpoſitio contrà quoſcunque tranſgreſſores talis finis.

130 Si verò Concionatores falſa miracula, revelationes, & ſimiles prędictiones falſa populis prædicaverint, ipſo jure incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, per per Leonem Decimum latam in Concilio, Bulla 21. incip. *Supernæ majeſtatis*. Ità omnes *cum Sayro lib. 4. cap. 4. nu. 4. Sanch. lib. 2. cap. 37. num. 9. Paſqual. num.* 1214. qui antecedentèr docuerit in prædictis caſibus, ſivè miracula ſint vera, ſivè falſa, Epiſcopum non
131 poſſe procedere contrà Regulares publicantes miracula, ſeù revelationes, vera, vel falſa, quia nullibi reperitur id illis conceſſum, ut benè ibidem num. 1212. & 1217.

Quæres 21. An Decretum, quod non præſtetur fides Reſponſis Sacræ Congregationis, niſi ſint autenticata, ut dicitur ſub num. 66. reſtringatur ſolùm ad Reſponſa in ordine ad Beatificationem, & Canonizationem.

132 ℟. Certè reſtringitur, cum expreſsè dicatur ea procedere non à quavis Congregatione, quæ plures ſunt Eminentiſſimorum, ſed tantùm à Sacra Rituum Congregatione, quæ de aliis materiis non tractat, neque proindè ſuper extraneis reſponſa non dat.

Nihilominùs Diana *par. 5. tract. 12. de Indulg. reſol. 52. & part 11. tract. 8. reſol. 53. cum aliis ibidem*, docet, ſupradictum Decretum loqui de omnibus reſponſis quarumcunque Congregationum. Addo ego rationem, quia non eſt major ratio, cur credendum non ſit Reſponſis non autenticis unius Congregationis, quàm alterius, cùm nullum de ſe fidem faciat, niſi ſit autenticum. Supponitur ergò hoc à prædictis Doctoribus, licèt in terminis ipſi noſtram difficultatem non proponant, nec decidant.

Quæres 22. Quomodò procedatur, antequàm deveniatur ad Beatificationem, ſeù Canonizationem?

133 ℟. In primis videndum eſt, an ſervata ſint Decreta, de quibus ſuprà initio hujus Meditationis. *Secundò* formantur proceſſus ſuper vita, & miraculis ſervi Dei. *Tertiò*, judicantur, an ſint in forma probante. *Quartò*, an conſtet de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, de quibus debet conſtare in proceſſu. *Quintò*, de revelationibus, & prophetiis. *Sextò*, de frequentia populorum ad ſepulchrum. *Septimò* debet conſtare de ejus miraculis, quorum duo in qualibet vice ſolent examinari. Vide Contelor. cap. 23.

MEDI-

MEDITATIO XXXII.

De probatione Miraculorum per teſtes.

1 *Miraculum ſpectatur materialitèr, & formalitèr.*
2 *Duo teſtes idonei probant miracula.*
3 *Etiam unicus, tribus concurrentibus.*
4 *Teſtis unicus cum adminiculis probat.*
5 *Creditur dicto ipſius Sancti.*
6 *Teſti uni cum voce, & fama creditur.*
7 *Fama publica facit ſemiplenam probationem.*
8 *Probationes duæ ſemiplenæ, faciunt unam plenam.*
9 *Depoſitio famæ debet eſſe per verbum* Fuit, & eſt.
10 *Cauſa Canonizationis comparatur civili, non criminali.*
11 *Unicus teſtis probat miraculum in genere.*
12 *Beatificatio requirit miracula in ſpecie probata.*
13 *Creditur aſſerenti in perſona propria factum eſſe miraculum.*
14 *Teſtes ſingulares probant miraculum jam Sancti.*
15 *Judici arbitrarium eſt credere teſtibus.*
16 *Miraculum à quo dependet beatificatio, adæquatè probandum.*
17 *Si non dependet ab eo, ſufficiunt teſtes ſingulares.*
18 *Probatio miraculi ordinatur, vel ad ſeipſum, vel ad beatificationem.*
19 *Singuli actus, & circunſtantiæ probandæ.*
20 *Celebratio miſſæ probatur per ſingulares teſtes.*
21 *Medici, & Chirurgi probant factum miraculi.*
22 *Teſtes debent eſſe conteſtes, &*
23 *Idonei, & quales dicantur tales.*
24 *Edictum teſtium dicitur prohibitorium.*
25 *Domeſtici nomine quinam veniant?*
26 *Domeſtici ſunt teſtes idonei.*
27 *Teſtes de univerſitate probant, quandò non agitur de eorum commodo ſingulari.*
28 *Religioſi teſtes idonei.*
29 *Teſtimonium valet datum ſinè licentia ſuperioris.*
30 *Licentia præſumitur in dubio.*
31 *Juramentum purgat ſuſpicionem ad cauſam affectionis.*
32 *Moniales in miraculis ſunt teſtes idoneæ.*
33 *Licèt earum facies ſit tecta.*
34 *Melius eſt detegere faciem coram Superiore.*
35 *Agnoſce vultum pecoris tui.*
36 *Rationem ſui dicti debet reddere teſtis.*
37 *Miraculum ſenſu non perſpicitur.*
38 *Sed tantùm ejus factum, quod directè probatur.*
39 *Jurare debet teſtis.*
40 *Juramentum unicuique ſeparatim dandum.*
41 *In dubio præſumitur datum, & examen ſingularitèr factum.*
42 *Non eſt neceſſarium, quòd teſtes ſint*

ſint omni exceptione majores.

43 *Teſtes ſe poſſunt remittere ad primum examen.*

44 *Teſtes omninò idem deponentes, eorum dicta unius non extenduntur neceſſariò.*

MEDITATIO XXXII.

De probatione miraculorum per teſtes hìc agendum eſt, pro qua re ſciendum eſt, quòd miraculum ſpectari poteſt, vel materialitèr, prout ſcilicèt repræſentatur in facto cum omnibus ſuis circunſtantiis, vel formalitèr, prout dicit peculiarem rationem exceſſus virtutis, & ordinis naturæ operantis, ac proindè provenientis à ſolo Deo, prout etiam dicam ſub Medit. 33. Hìc autem miraculum probatur tantùm, qua materialitèr ſpectatur, & quidem per teſtes, non autem per præſumptiones, & indicia, aut ſcripturas, quia ſicut in facto conſiſtunt, ità & ſuper factum depoſitio teſtis ocularis, ſeù auricularis neceſſaria eſt, & non præſumptiones, quæ factum ipſum immediatè attingere non poſſunt. Unde in Bulla, de qua Eccl. Medit. ſub num. 8. & 55. diſponitur, ut nullum probationis gradum faciant libri agentes de vita, miraculis, & geſtis ſervorum Dei nondùm beatificoratum, niſi priùs ſint approbata, ergo multominùs probari poſſunt per indicia, præſumptiones, & ſcripturas. Vide de hac re plura apud Paſqual. q. 69. per totam.

Quæres igitùr primò, quot teſtes requirantur ad probationem miraculorum materialiter acceptorum?

1 ℞. Requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes ad quodcunque miraculum, juxtà illud Sacrum: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*. Deuter 17. 6. & cap. 19. 15. Matth. 18. 16. & alibi. Hoc eſt, veritas firmatur per depoſitionem duorum teſtium fide dignorum, ità quòd illis eſt credendum in omni negotio, cap. In omni 4. Licet 23. ubi, quòd quælibet cauſa terminatur ad minus teſtimonio duorum bonæ vitæ, & laudabilis converſationis. *Feln in cap. Licèt 47. de teſtib. num. 21. verſ. Primo caſu. Gabriel. de teſtib. concl. 2. num. 59. cum eis Contelor. de Canonizat. cap. 18 num. 3.*

Quæres 2. An quandoque unus teſtis ſufficiat ad probandum miraculum?

2 ℞. Sufficit, tribus concurrentibus. *Primò*, quòd ſit fide valdè dignus. *Secundò*, quòd factum ſit talis naturæ, ut aliter probari non poſſit. *Tertiò*, quòd ab eo initium non habeat beatificatio, ſeu canonizatio, neque dependeant ab illo.

Ratio autem, cur uni tantùm teſti quandoque credatur, ea eſt, quia, quandò non agitur de præjudicio tertii, dictum unius credibile eſt, cum judex nullum habeat motivum ad credendum oppoſitum; regularitèr enim motivum non credendi regulatur ex præjudicio, quod fieri poteſt proximo, quod cum hìc deſit, credendum eſt unico teſti, præſertim etiam cum judici ſit arbitrarium credere, & non credere

credere teſtibus l. 3. ff. de teſtib. Ità Doctores apud *Farinac. q. 63. num.26. & 54.* docentes in multis caſibus ſufficere unicum teſtem, prout etiam refert *Barb. ad cap. 4. de teſtib. à num. 12. uſque ad finem.* In terminis noſtris *Gabriel. de teſtib. concl.1. & 2. nu.59. Grammat. conſ.13. num.15. & 16. Molfeſ. conſ. 46. Proſper de S. Cruce deciſ. 182. Contelor. cap.18. de Canon. nu. 17.* referens exempla hujus fidei ex unico teſte.

Primum requiſitum eſt, quod talis teſtis ſit fide dignus, in ejus enim dignitate fundatur judicis credulitas; ille autem dicitur fide dignus, cujus exiſtimatio, & converſatio irrepræhenſibilis eſt, mendacio non notata, fides ergò, hoc eſt, veritas eſt fundamentum in teſtibus, qui creduntur dicere verum.

Secundùm requiſitum eſt, quòd factum ſit talis naturæ, quod alitèr probari non poteſt per alios teſtes, qui deſunt; undè tunc neceſſitas, & impoſſibilitas operatur, ut unus ſufficiat teſtis, ne illud factum pereat; neceſſitas enim tunc quaſi ſupplet defectum ſecundi teſtis, *ex allatis à Faririnac. q.63. num.38. à Barb. ad cap. 4. de teſtib. num. 12.* Ubi refert caſum de Sacerdote habente à pœnitente facultatem revelandi confeſſionem ejus ſibi factam, qui licèt ſolus, plenè probat, modò non præjudicet alicui. Ergò idem dicendum eſt in materia miraculorum, in qua aliquorum factorum eſt impoſſibilis probatio per plures teſtes, ut patet in revelationibus, apparitionibus, & ſimilibus, quæ ut plurimùm nota ſunt ſolis Dei ſervis, quibus fiunt, & tunc illis credendum eſt, vel etiam eorum Confeſſariis. Ità *in Relat. S. Raymundi part. 2. art. 8. Verſ. Non tamen, in Relat. S. Franciſcæ par 3. art.2. mirac. 6. cum aliis Contelor. cap. 18. num. 18. Paſqual. num. 1206.*

3 Tertium requiſitum, quòd non agatur de miraculis, à quibus pendet Beatificatio, ſeù Canonizatio, quia tunc neceſſariò debent eſſe duo teſtes ad minùs fide digni. Ratio eſt, quia quandò agitur de præjudicio teſtis, & de re graviſſima, ut eſt negotium beatificationis, & Canonizationis, ex dictis Medit. præced. num.52. tunc unus teſtis non ſufficit, ex Farinac. q. 63. num.26. ſed duo ad minùs requiruntur; & quòd in cauſa beatificationis, ſeù Canonizationis agatur de præjudicio non unius perſonæ, ſed totius Eccleſiæ, ut non decipiatur; patet ex eo, quia cum beatificatio, & canonizatio Sanctorum ordinetur ad cultum publicum, à fidelibus præſtandum talitèr declaratis, maximum eſſet inconveniens illis, & præjudiciale fidei catholicæ, quæ docet Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum, ſi hujns negotii initium inchoaretur ab uno, vel alio miraculo unico teſte probato, in quo verteretur periculum fidei in hac re. Debent ergò eſſe duo teſtes, & in eo conteſtes, ut dicam infrà q. 8.

Infert ex his Paſqualig. q 69. num. 14. quòd fama non ſufficit ad beatificationem, quia non facit plenam probationem *l. 3. ſ. Ejuſdem quoque ff. de teſtib. Decius in cap. 1. de probat.* Undè neque ſcripturæ etiam publicæ hiſtoriarum, tabellarum &c. inſufficientes ſunt ad probandam ſanctitatem

tem

tem alicujus, ut dixi ſuprà, & probat idem Paſqual. n. 15. quamvis ſcripturæ in aliquo archivio reperiantur; nam ſcripturæ ut probent, debent conſervari in archivio publico, in quo ſolent reponi ſolùm ſcripturæ autenticæ, *ex cap. Audientiam, de præſcript. & Gloſ. in l. Celſus ff. de probat. Corneus vol. 1. conſ. 333. nu. 7. Gloſ. V. Archivis cap. Pervenit 30. qu. 1. ex Auth. Ad hæc C. de fide inſtr. ex eodem Paſqualig. q. 69. num. 15.* Qui num. 16. idem dicit de ſcripturis inciſis ſuper lapide in publico etiã loco exprimentibus miracula, vel ſanctitatem alicujus, quia in rebus gravibus, & ubi poteſt eſſe præjudicium, plenam non faciunt probationem, *l. Monumentum, ff. de relig. & ſumpt. funer. Felin. in cap. Cum cauſam, de probat. num 8. &* 27. Si autem lapis ſit inciſus auctoritate publica, plenè probat uti ſcriptura autentica, *Guidopapa q. 193. num. 1. & conſil. 88. num. 2. Alex. vol. 6. conſ. 90. nu. 22. Barbat. vol. 2. conſil. 60. num. 8. Calcaneus conſ. 90. num. 8. ex eodem Paſqual. num. 16.* Intellige prædicta in ordine ad beatificationem; nam in probandis miraculis jam Sanctorum prædicta probare videntur, & multùm coadjuvare.

Quæres 3. An unico teſti ſit credendum cum adminiculis?

4 ℞. Affirmativè; ſi enim uni tantùm creditur, à fortiori ſi ſit adminiculatus, etiam ſi caſus de ſe ſit probabilis ex multis teſtibus, quibus aliquo modo adminicula æquivalent, nam mentem judicis ità movere poſſunt, ut inclinetur ad credendum; & ſicut in civilibus plenè probant, ſecundùm Farinac. q. 63. num. 35. cur non probabunt in cauſa miraculorum, à quibus non dependet beatificatio, nec canonizatio; probatio enim miraculorum jam Sanctorum eſt tota favorabilis, & nulli præjudicialis. *Contelor. capit. 18. num. 20.*

Quæres 4. An unico teſti cum dicto Sancti ſit credendum?

5 ℞. Eſſe credendum, quia aſſertio ſancti multùm coadjuvat dictum teſtis, quod confirmatur ex ſacra Scriptura; nam creditur Judith plura referenti de ſe, quæ geſſerat in cubiculo Holoferni; & S. Paulo, qui 2. Corinth. 4. multa de ſe narrat. Et in Act. 4. Concilii Nicæni Patres multa de S. Maria Ægiptiaca crediderunt Zoſimo Abbati, qui ea acceperat ex ore ipſius Mariæ. Contelor. alia referens ſub num. 27. qui ſubdit nihil certo firmari poſſe, id relinquendo prudentiæ judicis. Addo ego tunc eſſe credendum, quando aliundè conſtat de ſanctitate perſonæ; tunc enim per tale miraculum non probatur ſanctitas, ſed ſupponitur, & ſolùm augetur per illud miraculum ſuperveniens.

Quæres 5. An unico teſte probetur miraculum, ſi concurrat publica vox, & fama perpetrati miraculi?

6 ℞. Affirmativè, modò ea pu-
blicitas ſit probata ad minus per
duos teſtes, quia publica vox, &
7 fama, non ſolùm in antiquis, ſed
etiam in recentibus facit ſemiple-
nam probationem, *ſecundùm Bar-
tol. in l. De minore, §. Tormenta
verſ. Si verò, de quæſtion. num. 3.
Butrius in cap. Veniens il 1. de te-
ſtib. num. 1. verſ. ſi aliter factum
eſſet, Abbas ibid. num. 8. Ludoviſ.
deciſ. 517. num. 24. Contelor. cap. 18.
num.* 21. Quod verum eſt, etiamſi

teſtes

teſtes non nominent, à quibus illam audierint, *Pariſ. lib.3. conſ.52. fine*, *Caſſador. deciſ. 3. de probat. Verall. part. 2. deciſ. 208. num. 7. ex illis Rubeus par.3. Recent. deciſ.374. num. 4.* Neceſsè quoque eſt, ut
8 deponant per verbum *fuit*, & *eſt*, Seraphin. *deciſ. 1231. num. 1. Ludoviſ. deciſ. 359. fine.* Duo autem teſtes requiruntur ad probandam famam, *Gabriel. de probat. concl.1. num. 8. Ludoviſ. deciſ. 517. num. 27. Gloſ. v. Judicis, cap. Deus omnipotens 20. 2. q.1.* Itaque fama cum uno teſte plenè probat miraculum, quia duæ ſemiplenæ proba-
9 tiones unam faciunt plenam, & ità docet *Contelor. cap. 18. num.21. cum Simoneta in relat. S. Franciſci de Paula fol. 45. Rota in relat. S. Hyacinthi, Ignatii, & Corſini ab eo citatorum.*

Prædicta maximè procedunt, ſi agatur de miraculo antiquitùs facto, quod probatur per unicum teſtem de propria ſcientia cum adminiculo aliorum duorum, qui deponant de publica voce, & fama, *l. 3. §. Ejuſdem ff. de teſtib. Bartol. in l. Admonendi ff. de jurejur. num. 48. Alex. lib. 2. conſil. 180. num. 6. Feliu. in cap. Veniens 10. de teſtib. num 10. cum aliis Ludoviſ. deciſ. 166. num. 8. Contelor. cap 18. nu. 23.* contrà Caſtellanum *qu. 7. de Canonizat. §. Quaro quid ſi in caſu*, ea ratione, quia cum Canonizatio ſit de majoribus cauſis in Eccleſia Dei, æquiparatur cauſæ criminali, in qua ad condemnationem non ſufficit unus teſtis cum fama, *ex Gloſ. in dicto cap. Veniens 10. de teſtib. V. Illorum, cum aliis*
10 *citatis à Verallo par. 2. deciſ. 8.* Cui reſpondet ipſe Contelor. num. 24. eſſe differentiam, quia probatio in cauſa Canonizationis non comparatur probationi in criminalibus, ſed tantùm in civilibus, ut docent Malveſius *de Canon. dub. 3. num. 65. Pauvin. in relat. S. Bonaventuræ par. 2. ar. 4. propè initium.* Neque enim in his cauſis agitur de præjudicio tertii, neque animæ, neque fidei, ergò alia mitior ſufficit probatio. Adde tu, id eſſe certum de miraculis reſpectu eorum, qui jam ſupponuntur Sancti; ad probationem enim horum miraculorum præfata probatio ſinè dubio ſufficit, dum non ordinatur ad probandam ſanctitatem, dum ea ſupponitur.

Quæres 6. An unicus teſtis ſufficiat ad probandum quem feciſſe miracula in genere?

11 ℞. Affirmativè, quia ſi ſufficit ad probandum miraculum in ſpecie, juxtà ſuperiùs dicta, multò magis in genere, cum minor probatio ſufficiat. Confirmatur id, quia publica vox, & fama, vel hiſtoriæ, vel populi concurſus ad ſepulchrum, vel tabellæ votivæ, & alia hujus generis probant pro canonizando; ergò & unicus teſtis, cui magis fides adhibetur. *Contelor. cap. 18. nu. 28.*

Dices hìc, ex Decretis referendis in ſequenti Meditat. nulla fides adhibenda eſt hiſtoriis, concurſui populi, aut votivis tabellis, cum non ab hominibus, ſed ex bonis operibus ejuſdem ſervi Dei cognoſcenda ſit ſanctitas eorum.

12 ℞. Illa decreta loquuntur in ordine ad Canonizationem, ad quam requiritur ſpecialis probatio miraculorum in ſpecie, nos autem loquimur de probatione miraculorum in genere. Eccleſia ergo neminem canonizat per miracula, niſi in individuo ſint pro-

bata, *ex cap. Venerabili 52. de teſtib. cap. 1. de Reliq. ubi Canoniſtæ, cum aliis Contelor. cap. 18. n. 29.*

Quæres 7. An credendum ſit aſſerenti, miraculum factum fuiſse in ſua perſona?

13 ℞. Affirmativè, quando factum eſt talis naturæ, ut ſoli aſſerenti ſit notum, cum de facto proprio deponat nulli præjudiciali. *Ex Caſtrenſi in l. Quicumque C. de ſervo fugit. & part. 1. conſil. 331. n. 3. Bart. de teſtib. n. 57. Gabriel. concl. 1. n. 18. Emit. 3. Contelor. cap. 18. nu. 19. citans diverſas relationes.* Id contingit in miraculis prophetiarum, apparitionibus, revelationibus, locutionibus cum ſanctis; ſoleat enim hæc evenire nullis præſentibus, unde eorum Confeſſariis creditur ſola fide ex auditu eorum, de quorum miraculis agitur; & quòd pariter ſit virgo, quòd numquam peccaverit mortaliter &c.

Quæres 8. An ſit neceſſarium, quòd teſtes ſint conteſtes, narrantes ſcilicet idem factum numero, an ſufficiant teſtes ſingulares ſinguli in ſuo dicto?

14 ℞. Si miraculum diſcutiatur de jam Sancto, ſeu Beatificato, ſufficiunt teſtes ſingulares cumulativi, ſeu diverſificativi, non obſtativi; ſi verò agatur de miraculo principali, à quo pendeat initium Canonizationis, ſeu Beatificationis, non ſufficiunt ſingulares, ſed debent eſſe conteſtes; ſi verò ſermo ſit de aliis miraculis acceſſoriis, à quibus non dependet Beatificatio, nec Sanctificatio, ſufficiunt ſingulares.

Prima pars de teſtibus ſingularibus, probantibus miraculum jam Sanctificati, ſeu Beatificati, probatur, quia minor probatio videtur ſufficere, qualis eſt teſtium ſingularium reſpectu conteſtium; agitur enim de honorando jam ſancto, & ſic cum nulli fiat præjudicium, levior probatio videtur ſufficere, & in hanc
15 ſententiam trahi poſſunt *Tuſchus V. Teſtium ſingularium concl. 277. nu. 7. cum aliis Franchus apud Paſqual.* 1183. Quia arbitrarium eſt judici credere teſtibus, *l. 3. ff. de teſtib.* idem Franchus cum aliis, cum quibus eſt *Riccius part. 2. reſol. 492.*

16 Secunda pars, in qua agitur de miraculo principali, à quo initium prætenditur habere Beatificatio, requirit duos teſtes idoneos, & conteſtes, quia agitur de re graviſſima, quæ eſt Canonizatio dependens à miraculo; ergo de eo debet clarè, & manifeſtè apparere, excluſa omni exceptione. Et ità interpretari poſſunt Doctores, quos citat Franchus loco præallegato, & Contelor. num. 30.

17 Tertia pars, quòd miraculum, à quo non dependet Canonizatio, ſed aliis acceſſorium eſt, ſufficienter probetur per ſingulares, patet, quia minor probatio ſufficit, cum tali cognoſcendum ſit in ordine ad ſeipſum. Unde *Felin. in cap. Licet ex quadam, §. Primo caſu, verſ. cui adde, de teſtib.* dicit, unumquemque eorum facere ſemiplenam probationem, & ſic ſi ſunt duodecim teſtes, deponentes de duodecim miraculis, probare ſex miracula. Quod non placet Conteloro, nec mihi, quia teſtes ſingulares, ut probent, debent in ſubſtantia rei convenire, licèt diſcrepent in tempore, loco, & circumſtantiis.

Hanc diſtinctionem accepi à doctiſſimo Paſqualigo ad Franchum num. 1184. licèt ibi Franchus dicat abſolutè ſine diſtinctione,

ne, piam eſſe opinionem, teſtes
ſingulares probare, referendo ex-
empla in ordine ad canonizatio-
18 nem, de quibus ego dixi q. 2. Ita-
que in facto miraculoſo, duo ſpe-
ctari poſſunt, vel ipſum factum
in quantum probatur in ordine
ad rationem miraculi, & in hoc
ſenſu teſtes ſingulares ſufficiunt,
licet diſcrepent loco, tempore,
& circumſtantiis extrinſecis, mo-
do conveniant in ſubſtantia facti.

Vel ſpectatur probatio in or-
dine ad beatificationem, quæ de-
pendet ab eo miraculo licet pro-
bato ſecundùm ſe, non tamen ſuf-
ficit in ordine ad beatificationem.
In quo ſenſu non habent locum
reſolutiones datæ ad præcedentia
quæſita, ſed tantùm reſpectu mi-
raculorum ſecundùm ſe ſpectato-
rum. Sed non eſt immorandum,
quia noſtris temporibus, pro uni-
co miraculo etiam concludentèr,
& plene probato, non devenitur
ad hunc honorem, ut patebit ex
dicendis in ſequenti Meditat.

Quæres 9. An quandò factum
explicatur per varios actus,
& circumſtantias, ſingula ſint
probanda per duos teſtes, an
duo teſtes pro omnibus ſuf-
ficiant?

19 ℞. Quandò factum non poteſt
probari per duos tantùm teſtes,
qui deponant de omnibus actibus,
& circumſtantiis, quia cognitio-
nem non habent omnium, in eo
caſu, ſingula probari poſſunt per
proprios teſtes de illis notitiam
habentes; e. g. duo deponunt de
infirmitate incurabili, alii duo fi-
dem faciunt de ſanitate recupe-
rata in inſtanti; poteſt enim eſſe,
quòd duo deponentes de infirmi-
tate, nihil ſciant de modo, quo
ſanatus fuit, quia tunc erant ab-
ſentes. Talis ergò probatio con-
cludit, quia teſtes licet diverſos
actus aſſerant, tamen quia ten-
dunt ad unum finem, dicuntur
in eo eſſe concordes; ſicut pro-
20 batur, Sacerdotem celebraſſe, ex
quo unus teſtis deponit de prin-
cipio miſſæ, alter de fine, iſti
enim actus propter continuatio-
nem uniuntur ad idem factum
probandum, in quo teſtes dicun-
tur concordare, & convincunt
celebrantem, *Carena part. 3. de
ſancto officio tit. 6. n. 31. ex gloſſ. V. Si-
mul cap. Nihilominus* 16. 3. *q.* 9. in
terminis noſtris *Panvin. in relat. S.
Bonaventuræ par.* 2. *art.* 4. *Contelor.
cap.* 18. *num.* 13. *&* 14. Quilibet
ergò actus probari poteſt per duos
teſtes, licet diverſos, non ſolùm
quandò referuntur ad idem fa-
ctum, ex quo unum infertur mi-
raculum; in quo caſu teſtes etiam
ſingulares probant ratione conti-
nuationis ejuſdem facti, ut patet
ſuprà, verum etiam reſpectu di-
verſorum factorum, ex quibus
deducibilia ſunt diverſa miracula,
unumquodque enim eorum pro-
bari poteſt per proprios teſtes,
cum non habeant diverſa illa fa-
cta reſpectum ad invicem; neque
neceſsè eſt, quòd eiſdem teſtibus
probentur contrà Vincentium in
cap. Venerabili de teſtib. aſſeren-
tem plura miracula eſſe probanda
eiſdem teſtibus, cujus dictum im-
pugnat Contelor. à num. 10. cum
ſeq. eſt enim impoſſibile, quòd
iidem teſtes ſint præſentes omni-
bus miraculis.

Quæres 10. An Medici, vel
Chirurgi, qui non fuerunt
præſentes infirmo, vel ſimili
facto poſſint aſſerere factum
ſibi narratum cum omnibus
ſuis circunſtantiis non depen-

Kk 2 dere

Digitized by Google

dere à cauſis ſecundis?

21 ℞. Duo id probare poſſunt ſua aſſertione, ut docet Contelor. *cap.* 18. *num.* 12. *ut concluſum fuit in Relat. Sanctorum Franciſcæ, Caroli, Ignatii, & Thomæ de Villanova, ex doctrina Anchar. conſ.* 330. *num.* 6. *Bald. lib.* 2. *conſ.* 136. *num.* 4. *Verſ. Et ſi dicitur, & conſil.* 237. *Verſ. Alia lex, Clarus V. Homicidium num.* 34. Ubi illis creditur aſſerentibus vulnus eſſe mortale, præmiſſo juramento de ſuo judicio, ità à ſimili dicendum eſt in præſenti caſu de miraculis; hæc autem aſſertio non eſt pura narrativa, & depoſitio facti, ſed judicativa ex officio.

Quæres 11. Quales debeant eſſe teſtes deponentes in cauſis miraculorum? Qualitas vel refertur ad eorum dicta, an ſcilicèt concordent? Vel refertur ad conditionem perſonæ?

22 ℞. Debent eſſe conteſtes, & idonei fidem non habentes maculatam.

Prima pars de convenientia teſtium eſt communis omnium, ex quo enim ad quodlibet miraculum in individuo probandum requirunt duos teſtes, neceſſè eſt, quòd ambo tangant, & deponant ſuper idem factum, & non ſinguli ſuper uno ab alio diverſo, aliter idem numero factum ab uno tantùm probaretur, & alterum ab altero, & ſic non dicerentur concordes, nec plenè probarent. Ita *Felin. in cap. Licet* 47. *num.* 21. *de teſtib. Gabriel. concl.* 2. *num.* 59. *Caſtellanus de Canonizat. q.* 7. §. *quero, probatur per duos teſtes, Contelor. cap.* 18. *num.* 3. *citans ad hoc plures Relationes.*

Intellige hæc de probatione miraculorum in ordine ad beatificationem, ſeù Sanctificationem non verò reſpectu jam Sanctorum, quia ſufficiunt teſtes etiam ſingulares convenientes in ſubſtantia facti, & etiam unicus, juxtà dicta à quæſt. 2. cum ſeq. agitùr enim ſolùm in ordine ad honorandum jam Sanctum, reſpectu cujus faciliùs miracula creduntur, dum Deus miracula per eos operatur ad augendam eorum ſanctitatis famam, de qua jam conſtat in Eccleſia.

23 Secunda pars de idoneitate probatur, quia cum hæc qualitas in eo conſiſtat, ut perſona non careat fide, vel eam habeat, ſed non diminutam; tota enim vis teſtimonii conſiſtit in fide, quam judex habet de teſtibus, quibus credere ei eſt arbitrarium *l.* 3. *ff. de teſt* & quælibet perſona fidelis reputetur, niſi probetur contrarium; hinc eſt, quod edictum teſtium eſt prohibitorium, ſcilicèt quemlibet admitti,

24 niſi prohibeatur, quia præſumitur idoneus, *Gloſ. V. Idonei c.* 1. *de teſtib.* Et quamvis in jure multi prohibeantur, præſertim ubi agitùr de intereſſe tertii, de quo non tractatur in cauſis miraculorum, præſertim jam Sanctorum, ſeù beatorum, quilibet etiam prohibitus admitti poteſt, quia ejus dictum nulli nocere poteſt. Videtur tamen excipiendus teſtis aliàs perjurus, quia caret fide, dum aliàs de mendacio eſt convictus; præſumitur enim talis in aliis judiciis; ideò non admittendus. Confirmantur prædicta, quia Bullæ Pontificiæ, & Decreta de Canonizatione Sanctorum nihil diſponunt de qualitate teſtium, ut

ut patebit ex illis in ſequent. Meditation. regiſtrandis ; ergò id relinquitur diſpoſitioni juris communis , *arg. l. Si extraneus 6. ff. de condict. cauſa data*. Quoniam autem jura nihil diſponunt de qualitate teſtium in hujuſmodi cauſis , ſed tantùm reſpectu cauſarum civilium , & criminalium temporalium ; ideò quælibet perſona cenſenda eſt teſtis idonea in his , in quibus nullius poteſt reperiri præjudicium, reſpectivè ad miracula probanda in ordine ad honorem Sanctorum, non autem ſi probatio referenda ſit ad inſtituendam beatificationem , & Canonizationem, quia tunc teſtes tantùm non prohibiti recipiendi ſunt , ne Eccleſia decipiatur in his.

25 Quæres 12. An domeſtici , & de familia ſint idonei teſtes in cauſa miraculorum? Quo nomine veniunt omnes in eadem domo habitantes , ſivè ſint de ſanguine, ſivè affines , & mercenarii , ſub eodem tecto viventes domeſtici dicti, quia ſtant in eadem domo , ex adductis à Barboſa Appell. 78. Farinac. qu. 55.

26 ℟. Domeſtici ſunt teſtes idonei in probandis miraculis reſpectu jam Canonizatorum non reſpectu aliorum, juxtà ſuperiùs dicta. Ità *Abbas in cap. Venerabili de teſtib. Collectar. in cap.* 1. *de Reliq. num.* 5. *Rota cum aliis Contelor. cap.* 18. *num.* 4. Ea ratione , quia teſtes de univerſitate admittuntur , quandò non agi-
27 tur de particulari eorum commodo , de qua re latè *Farinac. quæſt.* 60. *à numer.* 450. *de teſte de univerſitate, Contel. alios ibi citat.*

Qui licèt non diſtinguat , tamen ità intelligendus eſt, ut non patiantur aliquam exceptionem reſpectu beatificationis, nam præcitati requirunt teſtes idoneos in Canonizatione Sanctorum fundati in cap. Venerabili , in quo agitur de probandis miraculis in ordine ad illam.

Quæres 13. An Religioſi ſint teſtes idonei reſpectu ſuorum?

28 ℟. Affirmativè reſpectu Sanctorum , non autem reſpectu beatificationis , quia hæc requirit teſtes omni exceptione majores , quod verum puto , quandò agitur de miraculo , quod per extraneos probari poteſt. In probanda autem Regulæ obſervatione , & hujus generis , quæ ſolis profeſſis ſolent eſſe nota, tunc idonei omninò teſtes ſunt, ſecundùm Farinac. qu. 60. num. 479. in cauſis prophanis ſuorum Conventuum , ergò & in his de miraculis , ex dicta ratione in præcedenti quæſtione de teſtib. univerſitatis, qui probant, quando non agitùr de commodo ſingulorum. Ita *aliis allegatis Contelor. cap.* 18. *num.* 6.

Quæres 14. An neceſſaria ſit licentia ſui ſuperioris ad teſtificandum, tàm pro miraculis extraneorum , quàm ſuorum?

29 ℟. Quamvis malè agant contra obedientiam ſui Superioris, à quo dependenter habent velle , & nolle , tamen datum teſtimonium ſine licentia valet in aliis cauſis , *ex allegatis à Sanch. lib. 6. capit.* 13. *numer.* 108. ergò & in caſu noſtro.

In

30 In dubio autem, an licentia præceſſerit, necne? Præſumitur, ſi plures religioſi recepti ſunt in teſtes, *ex Corneo lib.* 1. *conſil.* 135. *num.* 33. *Guidop. deciſ.* 517. *Silvan. conſ.* 16. *numer.* 6. & 7. *cum Contel. cap.* 18. *numer.* 8.

Dices, prædictis videtur obſtare ſuſpicio affectionis, & quædam utilitas, quam eorum conſequuntur, ſi beatificetur aliquis eorum religioſus, concurrunt enim multæ eleæmoſynæ & dona votiva prætioſa ad eorum ſepulchra, ergò repellendi ſunt propter hoc intereſſe.

31 ℞. Affectionis ſuſpicionem juramento purgari, *Bald. in cap. Cum Nuntius, de teſtib. verſ. Sed iſtis*, *Felin. in cap. Inſuper, eod. num.* 1. §. *Et ſi dicatur Contelor. num.* 7.

Quæres 15. Numquid Moniales pro ſuis, & extraneis poſſunt eſſe teſtes?

32 ℞. Affirmativè, & eodem modo, licèt enim conditio ſexus ſit exceptio conſiderabilis, expellens mulierem à teſtificatione, tamen earum ſtatus facit illas fide dignas, undè ſicut teſtantur pro negotiis ſui Monaſterii, *ex allatis à Farinac. q.* 60. *num.* 464. ità & in hac materia, & quidem à fortiori reſpectu ſuarum Monialium, cum nulli extraneo pateat aditus intrà clauſuram, ex qua prohibitione certum eſt, nullus præter illas ſcire geſta, mores, & obſervantias ſuarum Monialium, undè de neceſſitate ſunt teſtes idoneæ; & ſicut ſunt tales in favorem ſui Monaſterii, ut dixi, & tradit Riccius *par.* 2. *deciſ.* 296. ità & in miraculis, cum ſit res favorabilis Monaſterio. *Contelorus cap.* 18. *num.* 9. quærit, an Moniales ſint

33 idoneæ ad teſtificandum, dum interrogatæ non videntur ſecundùm faciem, intermediante ligno, aut panno? Credit, quod ſic, ſi ex vocis diverſitate dignoſci poſſunt; Sed cum id ſit difficilè, quia

34 agnitio vocis ſupponit converſationem, & familiaritatem inter loquentem, & audientem, quæ non reperitur inter judicē, & moniales, ut notum eſt; ideò diſcopertæ reſpondeant in parlatorio. Ordinatio enim, quod extraneis loquantur tecta facie, eſt reſpectu locutionis familiaris, non judiciariæ, & coram ſuperiore, cui à Deo dicitur Proverb. 27. 23. *Agnoſce vultum pecoris tui.*

35 Debent ergò moniales detegere faciem, dum à judice interrogantur.

Quæres 16. An teſtes debeant reddere rationem ſuæ ſcientiæ, etiam non interrogati, & reſpondere de ſingulis circunſtantiis!

36 ℞. Teſtes debent reddere rationem ſui dicti, etiamſi non interrogentur. Ita *Innoc. in cap. Cum cauſam, de teſtib. Paſqualig. ad Francbum n.* 1190. *Genuenſ. cap.* 49. *n.* 3. *Barboſa alleg.* 97. *num.* 6. *Contelor. cap.* 25. *de Canonizat. num.*

37 70. & 71. ubi nu. 72. adducit rationem, quia miraculum corporis ſenſu percipi non poteſt, cum habeat cauſam omnibus occultam, effectus autem manifeſtos, ex S. Thom. part. 1. qu. 105. art. 7. cauſa ergò non reddita dicto teſtis credendum non eſt; quia hæc, & ſimlia percipiuntur tantùm judicio intellectus, quod non pertinet ad teſtem, ſed ad judicem. Ego autem hic dico, ad teſtem pertinere ſolùm probare, & de-

ponere

38 ponere ſuper factum, & circumſtantias ejus, quæ omnia ſunt ſenſibilia, in quibus etiam continetur ratio, dum factum adæquatè exponitur à teſte.

Quæres 17. An, ut dictum teſtis valeat, neceſſarium ſit, quòd teſtis juret?

39 ℞. Debet jurare de veritate dicenda, aliàs nihil probat. *Farinac. quæſt.* 4. 6. *numer.* 51. *& ſeq. cum aliis Contelorus in terminis, cap.* 25. *numer.* 62. Sufficit autem, quòd in actis conſtet de juramento, per verbum *Teſtis juravit*, ſeù *juratus* ſine aliis verbis *Gloſ. V. Præſtito, de elect. cap. Ut circa, Bald. in l. jusjurandi C. de teſtibus numer.* 2. *Salicetus num.* 4. *cum aliis, Contelorus cap.* 25. *num.* 65.

Quæres 18. An teſtes ſimul poſſint examinari, vel ad minus dari juramentum ſingulis ſimul exiſtentibus?

40 ℞. Juramentum ſimultaneum illis dari non poteſt, nec multò minùs examinari. Primum docet citata *Gloſ. V. Præſtito, Verall. par.* 2. *deciſ.* 123. *cum aliis Contelorus cap.* 25. *numer.* 65. Secundum clarè habetur *ex cap. Venerabili* 52. *de teſtibus ibidem Canon.* Aliter examinatio non valet, ut ibidem docent omnes *cum Conteloro num.* 66. In dubio præſumuntur jurati,

41 & examinati ſingillatim, *Menoch. de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 132. *num.* 8. *Contelorus numer.* 67. Ratio examinis ſingularitèr facti, ea eſt, quia alitèr unus poſſet inſtruere alterum, & alter alterius dictum ſequi, quod non licet, quia unuſquiſque deponere debet de propria ſcientia facti.

Quæres 19. An teſtes debeant eſſe omni exceptione majores, & facere pleniſſimam probationem?

42 ℞. Negativè, ſufficit, quòd eis non obſtet aliquod canonicum impedimentum, & ſufficit plena probatio. Primum docet Rota *in Relat. Sanctorum Franciſci de Paula §. Videndam Hyacinthi, fol.* 51. *Corſini, §.* 3. *verſ. Non tamen, ex Conteloro capit.* 25. *numer.* 74. Ubi quoque docet ſecundum, ſufficere plenam probationem.

Quæres 20. In caſu, quo repetantur teſtes, poſſunt ne ſe remittere ad primum examen?

43 ℞ Sic, quod melius eſt, quia cum memoria ſit labilis, poteſt variare, & ſic perturbare probationem Ita *Bartol. in l. Eos* 27. *ff. ad leg. Cornel. de falſar. numer.* 6. *Farinac. quæſtion.* 66. *numer.* 39. *&* 43. *Caputaque lib.* 1. *deciſion.* 334. *Seraphin. deciſion.* 270. *Contelorus capit.* 25. *numer.* 88. Intellige, niſi judex cogat repetere per extenſum, nulla habita relatione ad primum examen. Vide oppoſitum ſequent. Meditation. numer. 46.

Quæres 21. An valeat examen, quandò duo teſtes in omnibus, & per omnia concordant, ſi Notarius examen ſecundi non extendit, ſed ſcribat, quòd ſecundus teſtis idem omninò depoſuit, quod primus?

44 ℞. Sic, quia idem ſemper facit idem, ergò parum refert

fert ejus extenſio, quæ depoſitionem non alterat. Ita Canon. *in capit. Nihil, de verborum ſignificatione*, *Farinac. quæſtion.* 80. *numer.* 103. & 104. In terminis Rota in Relat. Sancti Didaci, ubi quòd Clemens IV. fuit hujus opinionis in Canonizatione Heduigis Ducissæ Poloniæ, & in Relat. Sancti Hyacinthi 8. Miracul. fol. 49. Contelor. capit. 25. numer. 76.



MEDI-

MEDITATIO XXXIII.

De Recognitione, & Approbatione Miraculorum.

1 *Miraculum ſpectatur materialitèr, & formalitèr.*

2 *Proceſſus informativus reſpicit miraculum materialitèr conſideratum, judicativus verò idem formalitèr acceptum.*

3 *Miraculum formale excedit vires, & ordinem naturæ à ſolo Deo proveniens.*

4 *Probatio, alia teſtificativa, alia judicativa.*

5 *Prima præcedit ſecundam.*

6 *Factum in miraculis ſpectatur ſecundùm quod accidit.*

7 *Probatur ſolùm id, quod eſt.*

8 *Probatio alia directa, alia indirecta, quid utraque.*

9 *Directa eſt idem quòd teſtificativa, indirecta idem quòd judicativa.*

10 *Miraculum ut materiale probatur directè.*

11 *Ejus formale indirectè probatur.*

12 *Miraculum in ſua ratione formali includit exceſſum naturæ, & proceſſionem à ſolo Deo.*

13 *Qui poteſt formare proceſſum ſuper miraculis materialitèr acceptis, poteſt etiam recognoſcere eorum formalitatem.*

14 *Approbatio, & recognitio fit cum Peritorum conſilio.*

15 *Tridentini diſpoſitio de miraculis approbandis.*

16 *Eſt tantùm reſpectu Sanctorum, & Beatorum.*

17 *Titulo cuique reſpondet unuſquiſque textus.*

18 *Et ab eo ſumitur deciſio quæſtionis.*

19 *Tridentinum diſponit de miraculis ſolùm Sanctorum, & Beatorum.*

20 *Cooperiuntur imagines miraculoſæ.*

21 *Regulares, & Prælati Nullius non approbant miracula.*

22 *Quales ſint Theologi, & alii pii, & docti in conſilium adbibendi.*

23 *Laici non probibentur conſulere in ſpiritualibus.*

24 *Pius, & Impius quis dicatur?*

25 *Reliquiæ aliæ ſunt Sanctorum, aliæ nondùm beatorum.*

26 *Reliquiæ quomodò dicantur antiquæ, ſeù novæ.*

27 *Epiſcopus recognoſcit omnes Reliquias, ſed non exponit nondùm beatificatorum.*

28 *Tridentinum loquitur de utriſque Reliquiis.*

29 *Tridentinum non adverſatur Concilio Lateranenſi.*

30 *Reliquiæ quomodò ex Urbe ſunt extrahendæ?*

31 *Pœnis puniuntur indè illas extrahentes ſinè licentiâ.*

32 *Quomodò recognoſcuntur inventæ in Eccleſiis, & alibi?*

33 *Scriptura lapidis antiqua probat.*

34 *Scriptura antiqua non recognoſcitur.*

35 *Reliquiæ ſinè inſcriptione non probantur.*

36 *Papa incognitis nomen tribuit.*

MEDITATIO XXXIII.

1 PRæmitto, quòd miraculum dupliciter ſpectari poteſt, materialitèr nimirùm, & formalitèr. Ratione materiæ conſiſtit in illo facto, quod accidit, e. g. mutus loquitur, cœcus videt, infirmus ſanatur &c. in factis igitùr hujuſmodi conſiſtit miraculum materialitèr ſpectatum, quia per horum ſpeculationem factorum aliud non conſideratur, niſi quòd apparet probatum per teſtes productos, juxtà dicta præcedenti Meditatione; & ſuper his factis proceſſus inſtructus, juxtà Meditationem 31. appellatur informativus, dum judex de hujuſmodi factis, & effectis informatur, & ulteriùs non procedit, quia materiale tantùm miraculi probatur, & aliud in ſimili proceſſu non quæritur.

2 Quoniam autem proceſſus informativus ordinatur ad alium ſubſequentem proceſſum, nimirùm ad eum, in quo quæritur, cujuſnam ordinis ſit effectus talis facti jam probati, nempè, an naturalis, an ſupernaturalis; ideò in eo diſcutitur ratio formalis miraculi, quod proprie, & formalitèr

3 acceptum eſt illud, quod excedit totius naturæ ordinem, & virtutem, ac proindè ſolum Deum habet pro cauſa ſui productiva, ut docent omnes Theologi, & Canoniſtæ, cum agunt de miraculis, ut dixi Medit. 1. Probato ergò, quòd factum excedit vires naturæ creatæ, ab ejus effectu excluditur cauſa ſecunda, ac proindè ejus cauſa de neceſſitate tribuenda eſt ſoli Deo; cum aliæ cauſæ à prima, qui eſt Deus, & ſecunda creata, non ſint dabiles, nec hi effectus à ſeipſis eſſe poſſunt, quia nemo naſcitur à ſe, nec aliquid à ſeipſo producitur, alioquin eſſet, antequàm eſſet, cum cauſa efficiens ſit ante ſuum effectum. De miraculis ſecundùm eſſe materiale, actum eſt in præcedentibus duabus Meditationibus. De eiſdem verò ſecundùm eſſe formale, agendum eſt in præſenti. De utriſque verò ſimul in aliis Medit.

4 Notandum autem eſt, quòd ad propoſitum noſtrum datur duplex genus probationis, nempè probatio teſtificativa, & judicativa. De prima, quæ conſiſtit in depoſitione teſtium, qui narrant factum cum omnibus ſuis circunſtantiis, quod vocavimus miraculum materialitèr acceptum, actum eſt præcedenti Meditatione. De ſecunda, quæ conſiſtit in conſultatione peritorum, & judicativa approbatione miraculi formalitèr accepti, facta à Judice hìc agendum eſt.

5 Probatio autem teſtificativa præcedit judicativam, quia ſicut ex facto, ut ajunt, oritur jus, ideſt, judex ex eo benè narrato colligit juridicum reſponſum, ità judex in diſcernendis miraculis, à non miraculis regulatur ex facto benè propoſito, probato, & cognito; undè neceſſarium eſt, ut præcedat probatio teſtificativa legitimè facta, ut indè oriatur cognitio regulata in mente judicis, ut poſſit judicare, an talis effectus ſit miraculoſus. Judex autem cum ſuis Conſultoribus debet attendere factum ſecundùm ſe ſpectatum,

6 non ſecundùm quod potuiſſet fieri, *Craveta conſ.189. num.7. Verſ.*

Quartus

Quartus caſus, Tuſcbus lit. F. concl. 24. Quia judicare debet id, quod de facto accidit, non quod pote-
7 rat alitèr accidere; non enim probatur per teſtes id, quod nondùm eſt, ſed quod eſt, quia probatio fit per unum ex ſenſibus, ſenſus autem non attingit objectum niſi præſens, & actu exiſtens, & cum judex in approbandis miraculis reguletur ex facto probato, ut dixi, conſiderare tantùm debet, quod eſt, non quod poterat eſſe. Sed accedamus ad quæſtiones.

Quæres igitùr primò, an miracula directè probari poſſint?

8 Eſt igitùr probatio duplex, una directa, alia indirecta. Directa eſt illa, quæ ſinè medio finem attingit, & ſuper objectum immediatè deponit e. g. cum quis teſtificatur per unum ex quinque ſenſibus; ut, Vidi Petrum deambulantem in foro. Indirecta eſt illa, qua aliquid probatur per medium ſyllogiſticum e. g. Probo Petrum non ſedere in hoc ſcamno ſic: duo corpora ſimul non poſſunt occupare idem ſcamnum; ſed Paulus in hoc ſcamno ſedet, & occupat illud, ergo in eo Petrus non ſedet. In hoc loco eſt Titius, ergò non Sejus, ex anguſtia, & arctitudine loci, quod eſt medium probativum conſequentiæ ex illo antecedenti correlativo ad conſequens. Vide *Contelor. cap.* 18. *de Canonizat. initio, qui eam doctrinam ex Baldo in cap.* 3. *de Probat. tradit.*

9 Unum hìc obſervo, quòd hoc duplex probationis genus eſt mixtum ex probatione teſtificativa, & judicativa; nam teſtis deponit id, quod immediatè vidit propriis oculis, vel propriis auribus audivit, & ſic ſine medio, conſequentèr probatio directa eſt teſtificativa, ita quòd probatio facta per medium propriè dici non debet teſtificativa, maximè, quando medium eſt arguitivum, & ſyllogiſticum, ſed tantùm judicativa, & indirecta. Dixi *propriè*, quia probatio per auditum auditus, ſeu alienum, & ſi in judiciis admittatur, ſecundùm quod tradit Farinac. q. 69. non eſt tamen propriè, & præcisè probatio, cum levis ſit, & raro attendatur. Igitur probatio directè ſe tenet ex parte teſtificativæ, & indirecta ex parte judicativæ.

10 ℟. Miraculum directè probatur, ſecundùm quod materialiter ſpectatur; indirectè verò ſecundùm quod formaliter conſideratur.

Primum probatur, quia ex dictis, probatio directa eſt illa, qua obiectum immediatè attingitur uno ex ſenſibus; ſed hoc modo probantur miracula ſecundùm factum, quod oculis videtur, auribus auditur, guſtu ſentitur, ergò eorum probatio eſt directa. Et in hoc difficultatem non video. Et confirmatur, quia miracula ſecundùm ſuam materialitatem probantur probatione teſtificativa, ſed indirecta eſt teſtificativa ex dictis; ergò hæc eſt miraculorum ſecundum materiam.

11 Secundum probatur, quia miracula ſecundùm ſuam rationem formalem ſenſibus percipi non poſſunt; ergò nec directè probari. Patet vis conſequentiæ, quia directa probatio fit immediatè per unum ex ſenſibus; ſi ergò miracula ſenſibus non percipiuntur, directè probari non poſſunt.

12 Antecedens verò probatur, quia formalis ratio miraculi duobus completur, per exceſſum virtutis natu-

naturalis, & per immediatam productionem à Deo, ut omnes concedunt; eſt enim ſupernaturalis effectus à ſolo Deo procedens, & ideò excedens virtutem, & ordinem naturæ; ergò ſenſibus percipi non poteſt, ſed tantùm intellectu. Confirmatur *ex S. Thoma, 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1.* dicente, miraculum nec viſu, nec ſenſibus aliis probari poſſe, *Contelor. cap. 18. initio ſic arguit.* Thomas erat cæcus, natura non poteſt præſtare viſum cæco, igitur viſus illi reſtitutus eſt à Deo, qui eſt ſupra naturam, & ſolus poteſt cæco à nativitate præſtare viſum, *cum S. Thoma par. 1. q. 105. art. 8.* Vulnus, quod Joſeph habebat in crure, ſtatim ſigno Crucis eſt ſanatum; natura autem, neque cum ea ars, ſanare poteſt in inſtanti; ergò id opus eſt ſolius Dei, ac proindè miraculum, ità omnes, quos citant *Simoneta in relat. S. Franciſci de Paula, verſ. ſed ante omnia fol. 41. Panvin. in relat. S. Bonaventuræ part. 2. art. 4. Rota in relat. S. Raymundi par. 2. art. 8. & in relat. S. Tereſiæ art. 1. de Miraculis, cum multis aliis ipſe Contelor. initio cap. 18.* Quibus adde Lauretum de Franchis *apud Paſqualig. num. 1189. & Maſcard. concl. 1063. num. 11.*

Quæres 2. Ad quos judices ſpectet examinare, & approbare miracula?

13 ℞. Ad eoſdem, ad quos pertinet inſtruere proceſſum informativum ſuper miracula, materialiter ſpectata; illi autem ſunt Papa, Sacra Rituum Congregatio, Concilium Generale, & Epiſcopi jure ordinario, juxtà dicta Medit. 31. à num. 68. ad 80. ergò & ad eoſdem ſpectat examinare formalitatem miraculorum; & illa approbare. Miracula autem vel fiunt à ſervis Dei nondum beatificatis, nec canonizatis, vel jam beatificatis, ſeu canonizatis. In priori ſenſu examinari, & approbari poſſunt ab Epiſcopis, & aliis, ſed non publicari; quia id eſſet tribuere illis cultum publicum, & quodam modo illos beatificare, quod ſoli Papæ competit, juxtà quod dixi Medit. 31. num. 6. 7. 31. 78. 79. 80. & 81. Miracula verò, quæ faciunt jam beatificati, vel canonizati (pro eodem enim ſumuntur in re hac) ab Epiſcopis, & aliis, qui proceſſum informativum formare poſſunt, non ſolùm examinantur, recognoſcuntur, & approbantur, ſed etiam publicari poſſunt, imò debent ad Sanctorum honorem, & Dei gloriam, quia ceſſat ſupradicta ratio, ex quo enim illis cultus publicus tribuitur ab Eccleſia, non dicuntur beatificari directè, nec indirectè per hujuſmodi publicationem, ſed tantùm in eis augetur cultus, & honor illis debitus.

Quæres 3. An, & quomodo Epiſcopi examinare debeant miraculum Sanctorum, & aliorum Dei Servorum?

14 ℞. Id facere debent de conſilio Theologorum, piorum virorum, & peritorum. Et loquendo de miraculis nondum beatificatorum ità exprimitur in Bulla, de qua Medit. 31. num. 6. 7. 31. 78. 79. 80. & 81. ubi retuli, quomodo id facere poſſint, non repeto, quia Lector ibi commodè poteſt videre.

15 Si verò ſermo ſit de miraculis jam beatificatorum examinandis Tridentinum ad initium ſeſſ. 25.

in tit.

in tit. De Invocat. Venerat. & reliq. ſanct. tradit formam propè finem illius tituli his verbis.

Nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reliquias, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo; qui ſimul atque de jis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Conſilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit.

Ex hoc decreto colliguntur ea, quæ dixi hic, & præcedentibus duabus Medit. nimirùm pro miraculis dari, duos proceſſus, unum informativum quo ad miracula materialiter ſpectata, ut indicant illa verba: *qui ſimul atque de jis aliquid compertum habuerit*. Ex proceſſu ſcilicèt informativo procedet Epiſcopus ad recognoſcendum per alterum proceſſum judicativum ſcilicet miraculum, ſecundùm eorum formalem rationem.

Quæres 4. An in hoc Tridentini decreto ſermo ſit de approbandis miraculis, non ſolùm Sanctorum, ſed etiam Servorum Dei, qui nondum ſunt ſanctificati.

16 ℟. De miraculis Sanctorum tantùm diſponit Tridentinum, & ratio eſt manifeſta ex titulo hujus tenoris. *De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus*. Ergò excluduntur à Concilio nondum ſancti. Unuſquiſque enim textus con-
17 gruit ſuo titulo, *l. ſi quid autem §. ſi quid verò C. de veteri jure enucl. l. 1. §. Quibus ſpecialitèr C. de novo cod. fac.* Ex illis enim deſumitur deciſio quæſtionum, quando ſenſum habent completum, ut notat Na-
18 var. *t. 3. in c. Hæc autem verba n. 6.* Ità quòd nec in textu ſit alia mentio, niſi de Sanctis; ergò Tridentinum loquitur tantùm de miraculis Sanctorum recognoſcendis, & non de factis à ſervis Dei, quorum recognitio, licèt ſpectet ad Epiſcopum, ex Decreto, & Bulla, de quibus Medit. 31. num. 5. tamen non eſt omninò adæquata, quia miracula recognita ab eo non poteſt publicare, ſicut manifeſtare poteſt miracula Sanctorum, poſtquàm illa approbaverit, ob rationem ſuperiùs dictam.

Et quòd Tridentinum diſponat tantùm de miraculis Sanctorum, ità docent Philiarchus *de offic. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. cap. 9. verſ. 5. Sanch. lib. 2. cap. 43. nu. 2. Anfoſſius de cultu ſacrar. reliq. §. 22. num. 42. Graff. de ſent. excom. conſ. 17.* quos contrà ſe citat Barboſa, *ad hoc cap. num. 8. & ad cap. fin. de Reliq. num 4. & allegat. 97. num. 1.* Ubi dicit ſibi quærenti reſponſum fuiſſe à Sacra Congregatione, diſpoſitionem Concilii intelligendam eſſe de miraculis etiam non Canonizatorum. Credamus illi urbanitèr interpretando reſponſum, diſpoſitionem Concilii intelligendam eſſe, ut Epiſcopus in recognitione miraculorum non Sanctorum procedat eodem modo, ſicut in approbatione miraculorum Sanctorum, ſervata communi forma ea examinandi conſultis Theologis, ſed cum ea differentia, quòd miracula Sanctorum à ſe approbata poteſt publicare, nequaquàm publicare approbata miracula ſervorum Dei, ad formam Bullæ, de qua Medit. 31. n. 6. & 7. Vide Contel. c. 5. nu. 14. & 15. ubi ferè idem ſentit.

Quæres 5. An Tridentinum diſponat de recognitione miraculo-

raculo-

raculorum tantùm Sanctorum, an etiam Beatorum?

19 ℟. De utriſque ſermonem facit; ideò eadem forma ſervanda eſt in recognitione miraculorum utriuſque. Ratio eſt, quia Eccleſia quo ad hoc, nullam facit differentiam inter Sanctos, & Beatos, ut patet in orationibus ab Eccleſia inſtitutis, in quibus Sancti vocantur Beati, & quandoque Beati appellantur Sancti; nam utriſque per miracula cultus publicus jam ipſis ab Eccleſia tributus, per recognitionem, approbationem, & publicationem miraculorum augetur, non inchoatur; ergò Concilium intelligendum eſt de utriſque, cum ex his nullum ſequatur inconveniens. Confirmatur, quia in Tridentino ſecundùm Barboſam agitur etiam de miraculis ſervorum Dei recognoſcendis, ſed non publicandis; ergò à fortiori de approbatione miraculorum Beatorum. Ità Paſqualigus num. 1204. in fine.

Quæres 6. Quomodò ſe debet gerere Epiſcopus, quandò Deus facit aliquòd miraculum, virtute alicujus imaginis, quo populus ſolet fluere ex devotione, & curioſitate?

20 ℟. Uſus obtinuit, quòd hujuſmodi ſacræ imagines operiantur, & Januæ Eccleſiæ claudantur, ad impediendum concurſum hominum, ne miracula publicentur antè eorum examen, & recognitionem. *Ex Francho Paſqualig. num.* 1205. *& 1206. Genuenſ. cap. 49. num.* 3. Sed id ubique non ſervatur, cum lex de hac re non extet, nec vulgi opinio, ſeu devotio in ſimilibus caſibus refrænari, & moderari poteſt.

Quæres 7. An Decretum Tridentini ſub nomine Epiſcopi comprehendat ſuperiores Regulares majores, habentes ſcilicèt juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ac proindè poſſint recognoſcere miracula ſaltem ſuorum Sanctorum facta in eorum Eccleſiis?

21 ℟. Negativè, quia Concilium utitur verbo *Epiſcopi*, non dictione *Ordinarii*, ibi: *Nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta &c. Niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo*, excluduntur ergò omnes alii, qui non ſunt Epiſcopi, ac proindè etiam ſuperiores regulares, qui ſinè dubio carent dignitate Epiſcopali, quamvis aliàs tantam habeant juriſdictionem in aliis, quantam Epiſcopi. Confirmatur id ex illis verbis *Nemini licere*, quæ dicunt omnimodam excluſionem, *Barb. Dict. Nemo*. Idem importat dictio *Niſi* ex eodem num. 4. In terminis noſtris; *Mar. Anton. lib.* 1. *reſol. fin. caſu* 42. *Riccius part.* 4. *dec.* 397. *Barboſa Appellat. Epiſcopus num.* 15. *& Allegat.* 97. *num.* 9. *& in Trident. num.* 12. Et ſatis ex illis verbis: *In loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta*. Manifeſtè colligitur, ſolùm Epiſcopum, & nullum alium Prælatum etiam Nullius, ſeù Generalem, vel Abbatem, poſſe recognoſcere miracula facta in eorum Eccleſiis, vel Monaſteriis, & aliis eorum locis.

Quæres 8. Quales debeant eſſe Theologi, & alii pii viri adhibendi ab Epiſcopo in conſilium in approbatione miraculorum? Dicit enim Tridentinum, *Adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris*. Et in Bulla extenſa ſub Me-

dit. 31.

dit. 31. de beatificandorum miraculis, ſub num. 6. dicitur. *Qui in his recognoſcendis Theologos, alioſque pios, ac doctos viros in conſilium adhiberet.* Numquid iſti pii viri, atque docti debent omnes eſſe Theologi? Atque Theologi laureati in univerſitate, an alibi? Vel etiam ſufficiant Lectores Theologiæ non inſigniti laurea doctoratus Magiſterii? An ſub eiſdem verbis veniant Doctores Canonum, vel etiam legum?

22 ℞. Veniunt in primis Theologi non ſolùm laureati ſivè in Univerſitate, ſivè extrà ab habente privilegium doctorandi, verùm etiam Lector Theologus non Laureatus. Paritèr idem dicendum eſt de Doctoribus Juris Canonici, etiam nondùm laureatis, modò ſint licentiati ad lauream; non verò legum Doctores præcisè, procedunt hæc, ſivè perſona ſit Eccleſiaſtica, ſivè laica, modò ſit in aliquo ex dictis gradibus conſtituta.

In prædictis nullam puto eſſe difficultatem, & quidem quoad Theologos, & Lectores Theologiæ res clara eſt, quia Concilium, & Bulla utuntur verbo *Theologis*, & *Theologos*, communi, tàm laureatis, quàm dignis laurea, ac proindè Magiſtris, & Lectoribus in facultate Theologica. Et ſi Lector admittitur, a fortiori Magiſter doctoratus extrà Univerſitatem; non eſt autem neceſſè, quòd Lector talis ſit actu, ſed ſufficit Reformatus, quòd ſcilicèt legerit, & non amplius legat, quia ſuum lecturæ curſum abſolvit. Et quòd hoc ſit verum, non ſolùm deducitur ex dicto verbo *Theologus*, ſed etiam ex aliis ſubſequentibus verbis *Piis viris, & doctis*. Non enim aſſumuntur ad lecturam ignari, ſed viri pii, & docti, quales cenſentur prælibati, qui doctrinam non perdunt finito curſu ſuæ lecturæ.

Eodem modo dicendum eſt de Canoniſtis laureatis, & licentiatis ad lauream, ut inſinuant ſequentia *Piis, & doctis viris*, quæ non debent ſuperfluere, ſed aliud ſignificare à præcedentibus. Theologi ergò, & Canoniſtæ vocantur in conſilium, quia eorum proprium de materia miraculorum notitiam habere, cum ex profeſſo de Canonizatione, & miraculis tractetur in libris Theologicis, & Canonicis, quibus ipſi ſtuduerunt. Et quoniam qui promovetur ad jus civile, regularitèr etiam in jure Canonico laureatur, dicuntur enim Doctores Utriuſque Juris; ideò & Legiſtæ vocari poſſunt Laici, quia Laici

23 non prohibentur ferre conſilium etiam in ſpiritualibus, & id paritèr colligitur ex eiſdem verbis *Piis viris, & doctis*, ſiquidem, & ipſi ſunt pii viri, & docti, neque enim pietas, & doctrina in ſolis Eccleſiaſticis invenitur, ſed eſt virtus utraque communis fi-

24 delibus. Eadem verba *Piis viris* indicant, non eſſe vocandos excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſcandaloſos, & malum nomen habentes ex impiis operibus, quia ſimiles vocari non poſſunt pii, dum pietate, & bonis moribus carent; hìc autem pius non reſtringitur à pietate debita Deo, patriæ, & parentibus, ſed accipitur latiùs, prout opponitur impietati, quæ ſignificat quodcunque ſcelus, & delictum.

Quæ

Quæres 9. Quomodò recognoſcantur novæ Reliquiæ? Antequàm reſponſum proferam nonnulla præmitto.

25 Præmitto primò, inter Reliquias alias eſſe ſervorum Dei jam Canonizatorum, ſeù beatificatorum à Sede Apoſtolica ſolemnitèr, vel interpretativè; ſolemnitèr quidem prout noſtris temporibus ſervatur. Interpretativè verò illi ſervi Dei dicuntur Canonizati, ſeù beatificati, qui publicè venerantur per centenariam ab anno 1525. & deinceps, juxtà dicta Medit. 31. num. 18 & 105. de qua re in ſequenti Meditat. Alias eſſe Dei ſervorum poſt annum 1525. defunctorum cum opinione ſanctitatis, ſeù martyrii, qui diſponuntnr ad beatificationem paulatim, dum eorum proceſſus de vita, & moribus fabricantur.

26 Præmitto ſecundò, inter Reliquias alias dici antiquas, quæ propriè ſunt Sanctorum, & pro talibus venerantur à fidelibus, quibus jam notę ſunt; undè dicuntur antiquæ, non tàm antiquitate ſanctitatis perſonę defunctæ, quę exceſſit centenariam, quàm antiquitate venerationis, quæ continuò fuit in uſu. Alias verò dici novas novitate inventionis, cujuſcunque ſint, ſivè beatificati, vel canonizati, ſeù alterius Dei ſervi, qui non gaudet centenaria, juxtà ſuperiùs dicta, quarum cognitio non extabat ſaltem ratione loci, ubi inventę fuerunt. Quibus præmiſſis.

27 ℟. Epiſcopus cum Theologorum, & piorum aliorum virorum peritorum conſilio recognoſcit quaſcunque Reliquias, tàm antiquas, quàm novas, cujuſcunque ſint defuncti jam beati, vel non beati, cum ea differentia, quòd Reliquias Beatorum recognitas à ſe, & approbatas, publicare, & exponere poteſt publicæ venerationi fidelium; nequaquàm verò Reliqnias eorum, qui non gaudent centenaria, juxtà ſuperiùs dicta. Hoc reſponſum manet probatum, tùm ex Tridentini Decreto ſuperiùs extenſo ſub num. 15. conformitèr etiam ad Decreta, & Bullam de nondùm Canonizatis à Sede Apoſtolica, Medit. 31. num. 6. & 7. & 18. Ità omnes cum *Sanch. lib. 2. cap. 43. Bonac. diſp. 3. Decal. q. 1. p. 4. nu. 5. Caſtropal. par. 2. tract 8. diſp. 1. p. 6. num. 4. Lezana V. Reliq. num. 7.* contrà *Barboſam ad Trident. num. 9. & alleg 97. num. 10. & ad cap. 2. de Reliquiis*, ubi dicit, ſe à Sacra Congregatione reſponſum habuiſſe, Tridentinum intelligendum eſſe de miraculis, & novis Reliquiis, recognoſcendis, & exponendis cultui publico per ſolum Epiſcopum; & ſic derogatum fuiſſe cap. fin. de Reliq. ubi dicitur, quòd *Reliquias inventas de novo nemo publicè venerari præſumat, niſi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint appro-*

28 *batæ*. Sed revera ſtare poteſt utriuſque Concilii, ſcilicèt Lateranenſis cit cap. 2. de Reliq. & Tridentini diſpoſitio, ut ſcilicèt Lateranenſe loquatur de Reliquiis novitèr inventis defunctorum nondùm Canonizatorum, ut eæ non exponantur publicæ venerationi, niſi auctoritate Pontificis, quod non repugnat, nec adverſatur Tridentino, quod concedit Epiſcopis recognitionem Reliquiarum, non ſolùm Sanctorum, ſed etiam ſervorum Dei nondùm Canonizatorum, ſeù Beatificatorum,

rum, ſed ſinè publicatione, & expoſitione publico cultui Reliquias defunctorum non gaudentium centenaria.

29 Contel. ad Jacobum Caſtellanũ q. 3. de Canoniz. Sanct. art. 1. cum Bertrando conſ. 385. referente d. Barboſa, aſſerit Tridentinum non adverſari Lateranenſi Concilio, quia Tridentinum loquitur de Reliquiis Sanctorum, Lateranenſe verò de Reliquiis ſervorum Dei publicè non venerandis ſinè auctoritate Papæ, & revera hoc modo ſervatur diſpoſitio utriuſque Concilii, ne una alteri ſit contraria. Nec quòd nos dicimus contrarietatem importat, quia aliud eſt recognoſcere, & approbare Reliquias, aliud eſt exponere eas publicæ venerationi, ut patet ex Bulla extenſa Medit. 31. num. 6. & 7. ubi Epiſcopus recognoſcit miracula ſervorum Dei, ſed illa publicare non poteſt, & ſic ſunt diverſa, ac proindè ſequitur Tridentinum nihil quo ad hoc diſponere, dum Bulla in hoc nullam fecit mentionem derogativam ipſius Concilii Tridentini. Et licèt ſermo ſit in Bulla de Miraculis, idem tamen dicendum eſt de veneratione Reliquiarum; cum miracula ordinentur ad venerationem. Cumque nullus præter Papam poſſit indicere cultum publicum ejus, cui nondùm convenit, meritò Epiſcopi non poſſunt exponere venerationi Reliquias eorum, qui nondùm ſunt Beati, quia hoc eſſet cultum inchoari ab illo, qui facultatem non habet circà publicum cultum inchoandum.

Quæres 10. Quomodò probentur Reliquiæ eſſe Sanctorum?

30 ℟. Reliquiæ è Roma extractæ cum licentia Pontificis conſignantur clauſæ, & ſigillatæ in capſula cum inſtrumento autentico, quod ab Ordinario recognoſcitur aperta capſula, & viſis Reliquiis, ſuper hujuſmodi recognitione, & quòd capſula ante non fuerat aperta, quia invenerat ſigillum ſanum, integrum, & non alteratum, publicum jubet fieri documentum, ut poſſint publicæ venerationi exponi.

31 Dixi de licentia Papæ, vel ejus Vicarii, quia extrahentes Reliquias ex cemeteriis, cryptis, catacumbis, tàm intrà, quàm extrà Urbem in ſuo territorio, ſunt excommunicati ipſo jure, & Papæ reſervatur, cum aliis pœnis, de quibus Bonac. diſp. 2. de cenſuris in particul. q. 3. p. 13. §. Incidens; Jure communi nulla imponitur pœna contrà extrahentes, vel furantes Reliquias. *Theſaur. de penis Eccleſ. V. Reliquias Sanctorum &c. Legan. V. Reliq. Sanct. nu. 6.* Fuit Edictum Pauli V. anno 1613. quod anno 1614. extenſum fuit etiam ad Eccleſias, & alia loca pia, ubi Regulares incurrunt etiam privationem vocis activæ, & paſſivæ cum inhabilitate ad dignitates, & gubernationes ſuæ Religionis, omnibus Papæ reſervatis, tàm extrahentes, quàm ſcientèr recipientes, &c.

32 Si quandoque in reſtaurandis Eccleſiis, & Altaribus inveniantur reconditæ Reliquiæ, inſcriptæ nomine alicujus Sancti, ſeù Beati, qui gaudeat centenaria ad formam Bullæ, de qua dixi Medit. 31. num. 18. & hìc ſuprà, tunc Epiſcopus pro veris Reliquiis eas recognoſcere debet, & ſi placet exponere publicæ venerationi; ſola enim ea inſcriptio, quamvis

non ſubſcripta, ſi appareat antiqua ſufficientem fidem facit credendi, illam Reliquiam eſſe talem, qualis repræſentatur per eam inſcriptionem, quia ſcriptura inciſa in columna, vel lapide fidem fa-
33 cit, *Gloſ. V. Per libros antiquos, cap. cum cauſam*, 13. *de probat. Gloſ. V. Diptychis, cap. Sanè* 6. 24. *q.* 2. *cum aliis Genua, de ſcriptura privat. lib.* 1. *q.* 4. *num.* 189. In terminis *Graff. tom.* 1. *conſ.* 17. *de ſent, excom. num.* 28. *&* 29. Ratio eſt, quia cum ſimus in antiquis, quæ ſunt difficilis probationis, quælibet probatio etiam præſumpta valet, *ex eodem Graffio cit. num.* 30. *juribus citatis*. Undè non eſt neceſſaria recognitio inciſionis, ſeù
34 ſcripturæ in antiquis, Lezana *in Marimag. Prædicat. nu.* 187. *ex Puteo lib.* 1. *deciſ.* 151. *& lib.* 2. *deciſ.* 350. Dixi in Eccleſia, vel altari, quia loca propria ſacrarum Reliquiarum ſunt potiſſimùm prædicta; ideò illorum circunſtantia valdè auget fidem, & urget Theologos, & Epiſcopum ad credendum, & judicandum, talem Reliquiam eſſe veram. Inventis verò in aliis locis cum ſola inſcriptione privata, non oportet fidem adhibere, niſi perſona, apud quam ſunt, ſit qualificata, & magnæ exiſtimationis; tunc enim illi poteſt credi.

35 Inventæ verò ſinè ulla inſcriptione non ſunt præſumendæ pro ſacris, quia id nulla ratio ſuadet, niſi inveniantur clauſę ſub altari, & in altari quod ſinè reliquiis non adhibetur ad Sacrificium Miſſæ; tunc enim habendæ ſunt pro veris Reliquiis, ſed ignotis; ideò non exponendæ publico cultui, ſed claudendæ in loco decenti.

Sed quis poteſt baptizare, ut ajunt, Reliquias ſacras pro talibus recognitas, quia ſcilicèt eruuntur ex cemeteriis, & cryptis Sanctorum in Urbe, & extrà, quandò carent nomine?

36 ℞. Solus Papa illis nomen Sancti alicujus tribuere poteſt, id enim nullum dicit abſurdum; ſicut enim quilibet ſibi nomen mutare non poteſt, ſi abſit fraus, *l. Un. C. de mutat. nomin.* dum vivit, ità & Papa dare nomen incognito defuncto. Adde, quòd Chriſtiani nomen *Adaucti* dederunt cuidam martyri ipſis ignoto, quia Sancto Felici auctus fuit ad coronam, Martyrol. ad 30. Auguſti; ergò à fortiori Pontifex Romanus. Dixi *ſolus Papa*, quia non ità notæ ſunt ſacræ Reliquiæ extrà, ſicut in Urbe.

MEDI-

MEDITATIO XXXIV.

De Beatificatione, & Canonizatione Servorum Dei.

1 *Canonizatio definitur.*
2 *Beatificatio quid ſit?*
3 *Utraque eſt actus ſpiritualis.*
4 *Papa canonizare, & beatificare poteſt.*
5 *Solemnitas Canonizationis in quo ſita ſit.*
6 *Solemnis miſſa quænam dicatur?*
7 *Mortui tantùm in Domino ſunt materia Beatificationis.*
8 *Qui moriuntur cum opinione ſanctitatis.*
9 *Non facit Sanctos, ſed tantùm declarat.*
10 *Cathalogo Sanctorum deſcribuntur.*
11 *Cultus ſervorum Dei præſcribitur in Beatif. & Canon.*
12 *Beatificatio, & Canonizatio in quo conveniant.*
13 *Et in quo diſcrepent.*
14 *Canonizandi actus antiquiſſimus in Eccleſia.*
15 *Solemnitas Canonizationis non ſemper eadem.*
16 *Antiquitas Canonizationis.*
17 *Suviberti Canonizatio Colonienſis Epiſcopi.*
18 *Uldarici Confeſſoris, & Epiſcopi Auguſtani.*
19 *Petri Epiſcopi Anagnini.*
20 *Ugonis Epiſcopi Gratianopolitani.*
21 *Canonizationis nomen, & Cathalogi vetus.*
22 *Beati nomen præcedit vocem Sancti.*
23 *Quandonam actus eorum diſtincti.*
24 *Philippi Benitii Ordinis Servorum B.M.V.*
25 *Errare non poteſt Papa.*
26 Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.
27 *Nemo ſcit dignus ſit amore, an odio.*
28 *Teſtimonium humanum fallibile.*
29 *Papa poteſt errare in cauſis particularium.*
30 *Miraculum unum probatum falſum non tollit ſanctitatem.*
31 Multa corpora Sanctorum venerantur in terris &c.
32 *Papa nec in Beatificatione errare poteſt.*
33 *Cultus publicus Sanctorum præſcribitur, tàm in B. quàm in C.*
34 *De fide eſt Papam non poſſe errare.*
35 *Hæreticum dicere poſſe errare.*
36 *Auctores ordinum legitimè poſſidebant in communi.*
37 *Canonizatio virtualis, & interpretativa.*
38 *De fide eſt, Papam habere poteſtatem canonizandi.*
39 *Epiſcopus non poteſt canonizare.*
40 *Canonizatio ſpectat ad materiam fidei.*
41 *Cauſæ majores, & arduæ referuntur ad Papam.*
42 *Canonizatio eſt de cauſis majoribus, & arduis.*
43 *Objectum fidei omninò certum, Canonizationis aliquandò opinione.*

44 *Concilium etiam Generale non poteſt Canonizare.*
45 *Niſi de ſpeciali licentia Papæ.*
46 *Non valet argumentum à præparatoriis ad Canonizationem.*
47 *S. Rochus interpretativè canonizatus.*
48 *Collegium Cardinalium non poteſt canonizare.*
49 *Cardinales multas probibentur Sede vacante.*
50 *Legatus à Latere non poteſt.*
51 *Papa conſilium Cardinalium quærere non tenetur.*
52 *Petre ſoli dictum* Paſce oves meas.
53 *Cauſa arduæ referuntur ad Petrum.*
54 *Papa babet plenitudinem poteſtatis.*
55 *Plenum dicitur, cui nibil deeſt.*
56 *Liberam babens poteſtatem alterius conſilio non eget.*
57 *Liberè non poteſt agere, qui alterius conſilium requirere debet.*
58 *Papa babet poteſtatem independentèr à quocunque.*
59 *Actus conſulendi eſt facultativus. Præſcriptio in bis non currit.*
60 *Imperare nemo ſibi poteſt.*
61 *De boneſtate, non debito Papa utitur conſilio Cardin.*
62 *Sacerdos Veteris legis utebatur Levitis ad judicandum.*
63 *Cardinales ſunt membra principaliora Papæ eorum capitis.*
64 *Membra à capite non debent recedere, utique id ab illis.*
65 *Fideles decedentes in gratia poſſunt canonizari.*
66 *Etiam infideles ad fidem converſi.*
67 *Peccatores quoque.*
68 *Peccatores non dicuntur Deo reconciliati.*
69 *Hæretici converſi ſunt capaces canonizationis.*
70 *Deus non recordatur iniquitatum penitentium.*
71 *Homo capax canonizationis, qui obiit in Domino.*
72 *Miracula tantùm poſt mortem ſunt neceſſaria.*
73 *Infantes non martyres non ſolent canonizari.*
74 *Sancti Patriarchæ, & Prophetæ poſſunt Canonizari.*
75 *Miracula ſunt neceſſaria, quandò non conſtat de ſanctitate.*
76 *Canonizatio duo d icit, judicium, & ſolemnitatem.*
77 *Criſtus origo, & cauſa omnium Sanctorum.*
78 *Plenitudo gratiæ cum Chriſto tantùm fuit.*
79 *Porta Paradiſi per Chriſtum omnibus aperta.*
80 *Martyrium tantùm ſufficit ad canonizationem.*
81 *Delet culpam, & pœnam totam.*
82 *Baptiſmus ſanguinis appellatur.*
83 *Infideli etiam ſolùm martyrium ſufficit.*
84 *Latro converſus à Chriſto an martyr?*
85 *Miracula non ſunt neceſſaria ad Canonizandum martyre.*
86 *Qui faciliùs propter boc canonizantur.*

MEDI-

MEDITATIO XXXIV.

QUoniam miracula, quæ fiunt à ſervis Dei ordinantur ad eorum Beatificationem, & Canonizationem, non eſt extrà rem, ſed ad propoſitum de eiſdem nonnulla dicere ad perficiendum, & abſolvendum inchoatum opus. Vide interim quæ dixi compendiosè ſub Medit. 4. qu. 7. à num. 12. reſumenda latiori modò hic, procedendo per quæſtiones.

Quæres igitùr primò quid ſit Canonizatio, & paritèr Beatificatio?

1 ℞. Canonizatio eſt actus ſpiritualis, quo Papa ſolemnitèr, aliquem hominem, qui ex hac vita deceſſit cum opinione ſanctitatis, definitivè declarat ſanctum faciendo ipſum deſcribere in Cathalogo Sanctorum, ſtatuendo, ut ab omnibus per univerſum orbem debita veneratio exhibeatur, & ei Eccleſiæ, & altaria erigantur, & in eis ſacrificia Deo offerantur, & ejus miſſa, & officium celebretur.

2 Beatificatio verò paritèr eſt actus ſpiritualis, quo Papa declarat, non tamen ſolemnitèr, aliquem eſſe beatum, concedendo, quod de illo poſſit celebrari miſſa, & officium non per univerſum orbem, ſed tantùm in determinato loco, & à talibus Eccleſiaſticis, ubi requieſcit ejus ſacrum corpus. Utriuſque definitionis particulæ ſunt exponendæ.

3 Dixi primò, quod utraque eſt actus ſpiritualis, ordinantur enim iſti actus ad declarationem ſanctitatis, & beatitudinis, quam ſervi Dei in Paradiſo poſſident inamiſſibilitèr; ſunt autem ſanctitas, & beatitudo res ſpirituales, ac proindè actus earum declarativi denominantur ſpirituales, qui conſequentèr fieri poſſunt à ſolis perſonis Eccleſiaſticis, quibus competit ſpiritualium adminiſtratio.

4 Dixi ſecundò Papam utrumque facere, de quo non eſt dubitandum, quia ejus omnia ſunt judicia per univerſum orbem, cap. Cuncta 17. 9. q. 3. inquit Gelaſius Papa: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quod Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio*. Eccleſia ergò, ideſt, Papa de omnibus judicium ferre poteſt; ergò & beatificare ſervos Dei, & Beatos canonizare. Ità colligunt omnes Canoniſtæ *ex cap. 1. de Reliq. ibi Barboſa num. 3. quamplures citat Doctores, ſicut Contelor. cap. 8.* Ratio eſt, tum quia cum canonizatione ſervus Dei per univerſum orbem pro Sancto ſit habendus, & colendus, neceſsè eſt, quod hujuſmodi judicium declarativũ, & præceptivum procedat ab eo, qui totius mundi habet regimen ſpirituale, ſed hic eſt ſolus Papa; ergò illius proprium eſt canonizare. Tùm quia canonizare innitur fidei Jeſu Chriſti, ſoli autem Petro dictum fuit, Lucæ 22. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquandò converſus confirma fratres tuos.* Habet ergò Pontifex fidem indeficientem, quæ non ſinit eum errare in definitionibus, quæ pertinent ad controverſias fidei, & morum univerſæ Eccleſiæ. *Et tu,*

Petre,

Digitized by Google

Petre, *aliquandò converſus confirma fratres tuos*. Conſtantiam fidei ſuæ communicat Epiſcopis, & Cardinalibus, quandò in his utitur eorum conſilio, & conſenſu, itaut non poſſit illum deducere in errorem. Quare cum poſſit Pontifex Romanus canonizare Sanctos, non eſt illi denegandа poteſtas beatificandi, quod eſt quid minus, argumento à majori ad minus. *Turrian. in* 2. 2. *diſput.* 17. *dub.* 4. *apud Contelor. capit.* 8. *num.* 2.

5 Dixi 3. hunc Canonizationis actum à Papa fieri ſolemnitèr, hoc eſt, coram multitudine fidelium omnis generis, Cardinalium, Epiſcoporum, Cleri tùm ſæcularis, tùm regularis, & populorum congregatorum in Eccleſia magnificè ornata ad hunc effectum canonizandi ſervum Dei. Contelor. cap. 1. de Canonizat. num. 9. Canonizatio ergò debet eſſe ſolemniſſima. Undè aliud eſt aliquid fieri ſolemniſſimè, & in ſuperlativo gradu, aliud verò aliquid fieri *ſolemnitèr* tantùm; hoc

6 modò Miſſa dicitur ſolemnitèr cantata, quæ non cum ſolis Canonicis cantatur, ſed interventu etiam aliorum Clericorum, *ex deciſ.* 59. *nu.* 9. *apud Paulum Rubeum par.* 7. *recent.* Miſſa ſolemnis dicitur etiam illa, quæ canitur præcisè à Sacerdote cum Diacono, & Subdiacono, ut colligitur *ex Rubr. Miſſal. par.* 1. *tit.* 15. *num.* 2. *&* 3. Reſpondente Choro, ità quòd Miſſa ſolemnis eſt illa in qua omnes interſunt, qui choro ſunt obligati, *Quartus Cler. Regul. in Rubr. Miſſal. part.* 1. *tit.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 1. *Verſ. Dubitari*. Solemnitas autem in Beatificatione, quam Papa facere poteſt privatim, dummodò beatitudo ſervi Dei ſibi legitimè conſtiterit, non requiritur.

7 Dixi 4. Quod canonizandus, ſeù beatificandus debet eſſe mortuus, quia vivi non ſunt his honoribus qualificandi, eſto hic, & nunc eſſent amici Dei, Beati, & Sancti, quia cum adhuc ſint viatores demereri poſſunt, & peccare, & ſic amittere gratiam Dei, & fieri peccatores, qui non ſunt capaces hujus honoris; igitùr objectum Beatificationis, ſeù Canonizationis eſt quidem gratia non inchoata, & amiſſibilis, ſed perfecta, & conſumata in patria, quæ ſimplicitèr nùncupatur beatitudo, & ſanctitas æterna, & inamiſſibilis, quæ eſt ipſius Dei viſio ſempiterna. Nullus ergò in hoc mundo dici poteſt Beatus, aut Sanctus, quia nemo felix in hac lacrimarum valle, *Contelor. cap.* 2. *num.* 15.

8 Dixi 5. Quòd beatificandus, vel canonizandus debet objiſſe cum opinione ſanctitatis, alitèr his honoribus indignus eſt, & ſolùm illis honorantur, qui in Domino moriuntur, & Deum in patria vident, & regnum poſſident æternum, ut dicitùr cap. 1. de Reliq. Quandò ergò conſtat de mortuorum ſanctitate ex bonis eorum operibus, & miraculum Papa honorat his titulis.

9 Dixi 6. Quòd conſtante de eorum ſanctitate Papa definitivè declarat Sanctos, non facit Sanctos, ſed tantùm mundo demonſtrat, quid credere debent, dum per ſuam definitionem fideles certificat talem hominem jam in Domino defunctum eſſe in Paradiſo ſanctum, videre Deum, & æterna perfrui beatitudine. Idem facit, dum aliquem Dei ſervum decla-

declarat beatum, ſed talis declaratio non eſt definitiva, cum ulteriùs expectetur Canonizatio, ad quam diſponit ipſa Beatificatio; hæc enim eſt actus antecedens Canonizationem, quæ noſtris temporibus non fit, niſi præcedatur à Beatificatione.

10 Dixi 7. Sanctum Canonizatione deſcribi in Cathalogo aliorum Sanctorum, quod tunc fit, cum non ſolùm regiſtratur in peculiari libro ad hoc conſervato, ſed etiam cum editur Bulla Canonizationis, ad perpetuam rei memoriam, quod fit etiam pro Beatificatione; in utroque enim caſu notantur non ſolùm Sancti, ſed etiam Beati, ut conſtet de illis. Liber ergò eſt Cathalogus, in quo Beatorum, & Sanctorum nomina deſcribuntur ad perpetuam rei memoriam: *Vide Hoſt. in ſumma, de Reliq. Contelor. cap.* 1. *num.* 16. De hoc vocabulo *Cathalogi* fit mentio *cap. Quorumdam diſt.* 34. & *cap. Quoniam* 19. *q.* 3. Martyrologium quoque Romanum appellari poteſt Cathalogus Sanctorum, qui in eo ſunt deſcripti.

11 Dixi 8. Demùm per Canonizationem decerni quoque venerationẽ debitam Sancto canonizato, quæ conſiſtit potiſſimùm in cultu duliæ celebrando ejus officium, & Miſſam, atque eidem erigendo Eccleſias, & altaria in univerſum orbem; per quod poſtremum differt à Beatificatione, qua indicitur veneratio tribuenda beatificato non ubique, ſed in locis determinatis, ubi ejus ſacrum corpus veneratur.

Quæres 2. In quibus conveniant, & differant Beatificatio, & Canonizatio?

12 Conveniunt *primò*, quia utriuſque actus ſunt ſpirituales. *Secundò* in cauſa, quia Pontifex Romanus agens utriuſque eſt. *Tertiò*, in utraque declaratur ſervus Dei Sanctus, & beatus. *Quartò*, per utranque indicitur veneratio exhibenda Beato, & Sancto. *Quintò*, per utranque fideles certificantur de beatitudine, & ſanctitate beatificati, & Canonizati.

13 Differunt *primò*, quia Beatificatio præcedit Canonizationem, ſicut actus primus antecedit actũ ſecundum; non enim poteſt quis canonizari, niſi prius ſit ſanctificatus ſecundùm normam, quam obſervant Summi Pontifices; undè Canonizatio dicitur ſententia definitiva, & ultimum judicium, quod faciunt ſuper ſanctitate; Beatificatio verò eſt primum judicium, & ſententia non ultima, nec definitiva, dum ordinatur ad ſequentem. *Secundò*, Beatificatio fit ſinè ſolemnitate, & multitudine magnatorum, quæ requiruntur in Canonizatione, quæ ideò ſolemnis actus appellatur. *Tertiò*, per Beatificationem ſervus Dei acquirit venerationem in certo loco, & à certis perſonis ejus celebratur officium, & miſſa; per Canonizationem, Sanctus acquirit venerationem per univerſum orbem terrarum. *Quartò*, per Beatificationem non acquiritur Beato facultas fidelibus, quibus veneratio conceſſa eſt, fabricandi Eccleſias, eſto, illorum imago cum radiis ponatur ſuper altare veneranda. Per Canonizationem verò conceditur poteſtas fabricandi Eccleſias, & altaria in honorem Sanctificati. Vide Contelorum cap. 2. de Canonizat.

Quæres 3. An Canon zatio, & ejus

Digitized by Google

ejus ſolemnitas, atque etiam beatificatio ſint antiqua in Eccleſia Dei?

14 ℞. Actus canonizandi eſt antiquiſſimus in Eccleſia Dei, tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti; ſolemnitas verò ejus, quæ nunc adhibetur, non eſt multùm antiqua.

Prima pars, quòd uſus canonizandi fuerit etiam in Eccleſia Veteris legis, probatur manifeſtè in cap. 44. Eccli. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo*. Et infrà. *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudem*. Iterùm. *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt.* Deindè nominatìm nonnullorum Sanctorum Veteris Teſtamenti nomina recenſentur, eodem capite, & ſequenti. Nota unum laudari, & canonizari viros glorioſos non quoſcunque, ſed tantùm generationis ſuæ, hoc eſt, hæbraicæ, quæ fidem unius Dei habebat. Ità ſupradictas auctoritates explicat *Innoc. III. in cap. 1. de Reliq. & ex eo Contelor. cap. 3.* Confirmatur id, quia in Evangelio Matthæi cap. 27. 53. dicitur: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Quandò ſcilicèt ſurrexit Chriſtus à mortuis; ergò in Veteri Teſtamento erant Sancti viri tales cogniti, & habiti tunc à Synagoga.

15 Secunda pars de Canonizatione Sanctorum in novo Teſtamento probatur, tùm ex Actis Apoſt. cap. 7. ubi multa referuntur de Sancto Stephano, quaſi contenta in Bulla ejus Canonizationis, ut notat Contelor. cap. 3. nu. 1. tùm ex S. Optato Epiſcopo Milevitano, qui circà annum 300. ſcribebat contrà Parmenianum lib. 2. dicens eſſe nefas venerari Reliquias martyris non vindicati, ideſt nondùm ab Eccleſia approbati, & cogniti pro vero martyre, qui mortem fuerit paſſus pro fide Chriſti, *ex Baronio ad 2. Aprilis, ex eo Contelor. cap. 3. nu. 2. & 3.* tùm ex S. Auguſtino in collat. diei 3. tom. 7. qui reſcripſit, quoſdam martyres, qui fuerunt occiſi, eò quòd noluiſſent ſacros Codices tradere juxtà Edictum Diocletiani, eſſe venerandos, quia de eorum pio martyrio conſtabat eſſe interfectos propter fidem. Notum ergò eſt uſum canonizationis, & cultus publici in Eccleſia Dei ab initio viguiſſe, & ſucceſſivè fuiſſe ampliatum quoad ritum, & formam, de qua reſtat dicendum in ſequenti.

16 Tertia pars de ſolemnitate, & forma canonizandi nihil certi aſſignari poteſt, quia non ſemper eadem ſervata eſt, ſed invenitur diverſa, dum Magiſter Ceremoniarum reſpondit Leoni X. volenti canonizare ſervũ Dei Franciſcum de Paula, ſe nihil certò invenire, quia alii Pontifices pro ſuo arbitrio variabant in hac ſolemnitate.

Referunt de anno 804. Leonem III. ad inſtantiam Caroli Magni Imperatoris, & Hildebalbum Archiepiſcopum Colonienſem, de conſenſu Cardinalium, & Prælatorum in oppido
17 de Uverda, lecta vita, & miraculis Suiberti, illum aſcripſiſſe in cathalogo Sanctorum. Baron. ad annum 804. Contelor. cap. 3. n. 4.

In

In Bullario Laertiano extenditur unica Bulla Joannis XV. qui ad inſtantiam Luithalphi Epiſcopi
18 Auguſtæ legantis vitam, & miracula Uldarici ſui anteceſſoris in dicto Epiſcopatu, ubi in Domino objit anno 973. quam approbavit cum ſuis miraculis, communi conſilio Cardinalium decrevit, illius memoriam eſſe venerandam. Bulla autem incip. *Cum conventus*. Sub datum 3. Kalend. alias nonis Februarii 993. undè poſt viginti annos ſuæ mortis canonizatus fuit. Quatuor obſervo, *primum*, quòd ille Epiſcopus legit publicè ejus geſta. *Secundum*, quòd Papa ea omnia, quæ de Uldarico lecta fuerant, recepit, hoc eſt approbavit. *Tertium*, quòd decrevit, ut ejus memoria veneraretur, quod eſt, eum canonizare. *Quartum*, quòd hanc Canonizationem fecit de conſilio communi Cardinalium, qui ſe ſubſcripſerunt cum verbo *Conſenſi*. Paſchalis II. anno 1110. cano-
19 nizavit Petrum Epiſcopum Anagninum Monacum, qui fecerat miracula ante, & poſt mortem, referente Brunore Epiſcopo Signenſe, mandando, quatenùs tertio nonas Auguſti natalis ejus diem celebrem recolant, numerando illum in Cathalogo Sanctorum Confeſſorum, & Præſulum. Iſte Pontifex non fuit uſus conſilio, nec conſenſu alicujus, ſed propria auctoritate illum canonizavit, credendo Epiſcopo Bru-
20 nori. Innocentius II. anno 1134. canonizavit Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, ſcribendo Guidoni Priori Carthuſiæ, quòd audita vita, & miraculis B. Hugonis, illum de conſilio Archiepiſcoporũ, Epiſcoporum, Cardinalium, & aliorum, inter Sanctos, & electos honorari præcepit, & diem ejus aſſumptionis cum gaudio ſolemnitèr celebrari. Bulla incip. *Divinis reſpondentes*. ſub datum 1134. die 22. Aprilis. Alias Bullas vide in eodem Bullario. Obſervavi autem verbum
21 Canonizationis, & Cathalogi, in quo ſunt deſcribendi Canonizati reperiri in Bulla Canonizationis S. Eduardi de anno 1161. Alexandri III. & ſubſequentèr in aliis, ferè ſub hac forma. *De Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, de omnipotentis Dei, & auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & noſtra ipſum N. Sanctorum N. Cathalogo duximus adſcribendum, præcipientes, ut feſtum ejuſdem ſolemnitèr celebretis, & faciatis celebrare*. Ab anno 1528. in Canonizatione S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, in Bulla incip. *Rationi congruit*, ideſt Clementis VII. § 32. fit mentio de divino officio in ejus honorem celebrando. Et in Bulla Canonizationis S. Didaci incip. *Rex Regum* 82. Sixti V. anno 1588. §. 29. fit etiam mentio de erectione Eccleſiarum, & & altarium, & ſubſequentèr in aliis, quod modò etiam ſervatur, ut conſtat legenti Bullas Canonizationis aliorum deinceps Sanctorum.

22 Quarta pars, de Beatificatione, & Beatis, obſervavi nomen Beati fuiſſe in uſu antè Canonizationem, ut videri poteſt in Bullis Canonizationis B. Hugonis Gratianopolitani Epiſcopi, B. Bernardi Abbatis, B. Homoboni Cremonenſis, B. Antonii de Padua, in quibus, & aliis in Bullario Novo ante actum Canoni-

zationis appellantur Beati, quorum primus, ut dixi ſuprà, fuit Beatus Ugo canonizatus anno 1134.

23 Quis verò ex Pontificibus diſtinxerit actum Beatificationis à Canonizatione? incertum videtur, niſi velimus dicere, id colligi ex narrativa Bullarum, ac proindè actum Beatificationis diſtinctum ab actu Canonizationis fuiſſe in uſu tempore Innocentii II. qui canonizavit Hugonem, qui anteà dicebatur Beatus. Invenio in Bulla Leonis X. extenſa ſub Bulla Pauli V. incip. *Domini Noſtri* 110. præceſſiſſe Beatificatio-
24 nem Philippi Benitii Florentini Propagatoris Servorum Beatæ Mariæ Virginis, qui fuit ſolemnitèr canonizatus à Clemente X. & dictum Leonem conceſſiſſe Fratribus, & Monialibus, ut ſolemnitèr poſſent celebrare in ſuis Eccleſiis divina officia privatim, & publicè; quod idem Paulus V. ibidem extendit ad omnes Clericos, tàm ſæculares, quàm Regulares civitatis Tudertinæ tantùm, ubi ejus ſacrum corpus requieſcit, & veneratur.

Quæres 4. An Papa errare poſſit in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum?

25 ℟. Non poſſe. Probatur *primò*, Lucæ 22. 32. *Ego rogavi pro te,*
26 *ut non deficiat fides tua*. Hæc verba dixit Chriſtus in perſona Petri omnibus etiam ejus ſucceſſoribus in Pontificio, quæ maximè verificantur in cauſis fidei, inter quas locum etiam habet Canonizatio, quia honor, & cultus, qui debetur Sanctis, & Beatis, per definitionem Canonizationis, eſt quædam profeſſio fidei, per quam Sanctorum gloriam credimus, ut docet D.Thom. Quolib. 9. art. ult. Ergò Pontifex in Canonizatione errare non poteſt, quia deficere à fide non poteſt contrà Chriſti promiſſionem, qui non fallitur, nec fallere poteſt. *Secundò* probatur ex cap. 18. Matth 20. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Sunt Chriſti verba, quæ fallere non poſſunt, & maximè verificantur in materia Canonizationis, quæ inter alias eſt maxima; ergò Papa, qui in definiendo, & declarando aliquem Dei ſervum eſſe Beatum, ſeù Sanctum, congregationem facit, in qua cum Chriſtus in ejus medio exiſtat, per operationem Spiritus Sancti non permittit Pontificem falli, nec alios decipere in venerando eos, qui Sancti non ſunt. *Tertiò*, nulla ratione perſuaderi poteſt, Papam errare poſſe in Canonizatione Sanctorum, quia ad id faciendum non ſe deliberat, niſi priùs de miraculis ſervorum Dei, vel de martyrio propter fidem Chriſti, vel alterius virtutis, conſtet; undè in cauſa dicitur procedere ſecundùm allegata, & probata, conſequentèr errare non poteſt, quia ad ſenſum patent miracula, & martyrium, ex eorum ſignis apparentibus ſenſibilitèr, non poteſt ergò Papa errare in his; *Quartò*, Chriſtus Joann. 14. 26. dicit; quòd Spiritus Sanctus docebit omnia Apoſtolos, & cap. 16. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Certè inter omnes veritates hæc etiam connumeratur, quæ pertinet ad Canonizationem; ergò hanc Spiritus Sanctus per ſuam aſſiſtentiam docet Pontificem Romanum, dum canonizat, & declarat

aliquem

aliquem Dei ſervum eſſe Beatum, & Sanctum, alitèr non doceret omnem veritatem, ſi Papa tunc erraret.

Ità communitèr Canoniſtæ, & Theologi *cum Turrecr. lib. 2. de Eccleſ. cap.* 110. *Silv. & Tabien. V. Canonizatio cum multis aliis Contelor. capit.* 10. *numer.* 10. *Barboſ. ad capit* 1. *de Reliq. numer.* 5.

Contraria opinio, ſeù potiùs error, docet Papam errare poſſe in Canonizatione Sanctorum, eſt Gloſ. V. Sedis Apoſtolicæ, cap. Un. de Reliq. in 6. ex cap. A nobis 28. de ſent. excom. ubi dicitur: *Judicium Eccleſiæ nonnumquàm opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit, & falli, propter ea contingit interdùm, ut, qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam, ſit ſolutus, & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia inno-*
27 *datus*. Ratio hujus rei duplex aſſignari poteſt. *Prima*, quia nemo poteſt certò ſcire proprium ſtatum ſalutis, nec damnationis, juxtà illud Eccleſ. 9. 1. *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit*, ad quod facit ſer. 6. cap. 9. & can. 13. & 14. contrà tenentes ſe eſſe juſtificatos; ſi ergò ipſe homo ignorat ſe eſſe juſtum, vel injuſtum, à fortiori magis ignorabit quis de extraneo; ac proindè Pa pa ſcire non poteſt, an aliquis ſit Sanctus, & ſic errare poteſt, definiendo hoc; quæ enim hominis ſunt, nemò novit, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt, ut dicitur 1. ad Corinth. 2. 11. *Secunda*, Papa in Beatificatione, & Canonizatione nititur teſtimonio hominum, inquirendo per teſtes de vita, & miraculis ſervorum Dei, ex cap. Venerabili, de teſtibus; teſtimonium autem hominum fallibile eſt, cap. Nec aliqua 4. 27. q.
28 1. ibi: *Cum & manus obſtetricum, & oculi ſæpè fallantur*. Undè refertur illud D. Gregorii ex Dialogis cap. 42. *Multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in tormentis*. Ex his Caſtellanus qu. 9. de Canoniz. concludit, opinionem Gloſ. & Innoc. eſſe magis communem, & opinionem contrariam Gloſæ eſſe magis piam.

Reſpondetur, opinionem Gloſæ eſſe improbabilem, & ab omnibus reprobari, cum nulla ratione fulciatur; undè ab aliquibus vocatur remeraria, ab aliis dicitur hæretica, de qua in ſequenti quæſtione.

29 Ad auctoritatem illius cap. A nobis, dico, ibi ſermonem eſſe de jis, quæ Papa ſingularitèr expedit in cauſis ſingulorum, in quibus decipi poteſt, imò & decipere, atque errare ex ignorantia, vel paſſione; in jis verò, quæ ſpectant ad res fidei, & morum totius Eccleſiæ, ut eſt Canonizatio, quæ indicit fidelibus per univerſum orbem publicum cultum duliæ Sanctis canonizatis tribuendum, errare non poteſt, cum hæc ad mores Eccleſiæ pertineant. Ità *Valentia* 2. 2. *diſput.* 1. *part.* 7. *quæſt.* 6. §. 40. *Pitigian. in* 3. *ſent. diſt.* 25. *quæſt.* 2. *artic.* 5. *Caſtropal. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 1. *part.* 5. §. 5. *cum illis Carena part.* 2. *de Sancto Officio tit.* 12. *num.* 46. *Contel. cap.* 10. *nu.* 12.

ex Joanne de Neapoli reſpondet, in eo capite *A nobis*, ſermonem eſſe de Papa procedente ut puro homine, & viatore. Non placet ejus dictum, quia Papa non cenſurat, nec judicat, ut purus homo, ſed ut perſona publica.

Ad primam rationem, quamvis nullus certitudinem odii, an amoris apud Deum habeat, nihilominùs Papa cognitionē hanc habere poteſt certam, beatificandum ſcilicèt eſſe beatum, & Sanctum cum Deo in Paradiſo, quia Deus promiſit Petro, & ejus ſucceſſoribus, ut dixi ſuprà, ſe non permiſſurum errorem in illis, dum agunt de rebus ad univerſam Eccleſiam ſpectantibus, ut eſt materia Canonizationis; Spiritus ergò Sanctus docet Pontifices Romanos omnem veritatem; ergò & hanc, quòd ſervi Dei canonizandi ſunt Sancti in Paradiſo exiſtentes. *Confirmatur*, quia Papa nullum canonizat, niſi priùs ſit, vel martyr, vel poſt mortem fecerit aliquod miraculum certum, & indubitatum, ut dixi Meditat. 4. num. 15. ad 20. & niſi de his priùs conſtet evidentèr, ut reverà conſtare poteſt, cum ſint hæc ſenſibilia; ergò in his errare non poteſt, declarando aliquem Sanctū, dum videtur non poſſe decipi in miraculis ſenſatis, & martyrio; hæc enim ad oculum monſtrantur, quæ ſinè dubio efficacitèr, & concludentèr probant Sanctitatem ejus, qui fecit miracula; neque enim Deus eſt falſus teſtis faciendo miracula ad teſtificandam amicitiam, quam habet cum ſervis ſuis, ſi talis non eſſet juſtus coram Deo.

Ad ſecundam rationem dico, Canonizationem niti principalitèr in divina promiſſione, quòd Petro non deficit fides, & in aſſiſtentia Spiritus Sancti, qui docet Pontificem omnem veritatem; ergò & hanc, quòd ſervus Dei canonizandus eſt Sanctus, & amicus Dei, propter quod dignus eſt veneratione. Diſpoſitivè verò, & præparatoriè utitur etiam teſtimoniis de vita, & miraculis, quæ ità evidentia ſunt, ut nullo modo Papa decipi poſſit; nam e. g. ſi mutus loquitur, ſi cæcus videt, &c. ità clara hæc ſunt, ut
30 videatur impoſſibilis deceptio, & redundans error in Pontifice, qui adhuc non diceretur errare, ſi inter plura miracula vera, intruderetur falſum ex mendacio teſtium, quia Canonizatio reſpiceret vera tantùm miracula, nec iniquitas teſtium refundi poteſt in ſervum Dei defunctum, qui mereri, nec demereri poteſt, & peccare.

31 Demùm illud vulgatum non reperitur in operibus Sanctorum Gregorii, & Auguſtini, inquit *Contelor. cap.* 10. *num.* 15. *Bellar. lib.* 1. *de Sanct. Beatitud. c.* 9. *Carena par.* 2. *tit.* 12. *num.* 41. *Covar. lib.* 1. *Var. cap.* 10. Interprætatur ergò illud dictum: *Multa corpora Sanctorum &c.* Qui ſcilicèt habentur tales ſecundùm opinionem hominum, non ſecundùm Eccleſiæ ſententiam, quæ veram, & certam habet cognitionem Sanctorum, venerantur ab illis in terris, quorum animæ cruciantur in inferno, ut loquitur tex. cap. 1. de Reliq. ubi fit mentio de quodam occiſo in ebrietate, qui colebatur pro Sancto à nonnullis, qualis tamen non erat, quia Eccleſia hoc pro Sancto non declaraverat.

Quæ

32 Quæ hactenùs dicta ſunt de
Canonizatione, locum habent
etiam in Beatificatione, neque
enim in hac Papa errare poteſt,
quia nititur divina promiſſione,
& aſſiſtentia Spiritus Sancti illu-
minantis mentem Pontificis ad
declarandum ſervum Dei eſſe
Beatum, & Sanctum in æterna
beatitudine, non minùs enim in-
dicitur cultus publicus per Beati-
33 ficationem, quàm per Canoniza-
tionem; ergò Deus ità aſſiſtit
Papæ in Beatificatione, ſicut in
Canonizatione. Caſtropal. *tom. 1.*
tract. 4. diſp. 1. p. 5. § 5. num. 3.

Quæres 5. An ſit de fide, Pa-
pam in his non poſſe errare?

34 ℞. Affirmativè eſſe de fide, Pa-
pam non poſſe errare in Beatifi-
catione, & Canonizatione San-
ctorum. Ratio eſt, quia in his,
quæ pertinent ad fidem, eſt de
fide, quod errare non poteſt, ex
illo Lucæ 22. *Rogavi pro te, ut non*
deficiat fides tua; Sed iſti actus
referuntur ad fidem, dum per
ipſos declaratur Dei ſervus eſſe
ſanctus, & pro tali habendus eſſe
ab omnibus, & ab illis honoran-
dus; ergò de fide eſt, in his er-
rare non poſſe. Ità docent pleri-
que cum Carena *par. 2. tit. 12. nu.*
42. *Anfoſſio de ſacrarum Reliq. cul-*
tu §. 24. num. 5. Nugnes tom. 2. in
par. 3. D. Thomæ qu. 20. art. 3. Piti-
gianus in 3. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 5.
§. Secundò probatur, quos cum aliis
refert Contelor. cap. 10. nu. 11. Con-
trà Cajetanum, & Canum apud
dictum Carenam, aſſerentes eſſe
ſolùm impiam. Contrà Svarez
diſp. 5. de fide ſect. 8. num. 8. aſſeren-
tem eſſe ſolùm impiam, & teme-
rariam. Contrà Caſtropal. *tom. 1.*
tract. 4. diſput. 1. p. 5. §. 5. num. 3.
Dicentem, eſſe temerariam, &
ſcandaloſam.

Quæres 6. An ſit hæreticum
dicere, Papam poſſe errare in
Beatificatione, & Canoniza-
tione ſervorum Dei?

35 ℞. Affirmativè, & inducitur ex
oppoſito prælibatæ reſponſionis;
nam illa propoſitio eſt hæretica,
cujus oppoſita eſt de fide; ſed de
fide eſt, ex probatis, Papam non
poſſe errare in prædictis; ergò
hæreticum eſt dicere, Pontificem
poſſe errare in eiſdem. Confirma-
tur id ex actis Concil. Conſtan. ſeſſ.
8. ubi damnantur quamplures ar-
ticuli Joannis Vigleph hæretici,
de quibus etiam extat Bulla Mar-
tini V. incip. Inter cunctas, ideſt,
ubi inter illos articulos damnatur
44. qui ſic legitur: *Auguſtinus,*
Benedictus, & Bernardus damnati
ſunt, niſi pœnituerint de hac, quod
36 *habuerint poſſeſſiones, & inſtitue-*
runt, & intraverunt religiones, &
ſic à Papa, uſque ad ultimum Re-
ligioſum omnes ſunt hæretici. Hanc
propoſitionem eſſe hæreticam ne-
mò ignorat, tùm quia eſt jam da-
mnata. Tùm quia refertur ad
duo, nempè ad deſtructionem
eorum ſanctitatis, & ad injuſtam
poſſeſſionem bonorum Religio-
num, quæ duo eſſe omninò hæ-
retica conſtat; neceſsè ergò eſt
dicere, Papam in Canonizatione
Sanctorum non errare, ac proin-
dè præfatos Sanctos ab Eccleſia
canonizatos, verè eſſe Sanctos,
non obſtante, quod non abdica-
verint bona, & poſſeſſiones, quæ
habebant pro ſuſtentatione ſuo-
rum Religioſorum. Ità præcitati
in præcedenti quæſtione cum Ca-
rena *part. 2. tit. 12. num. 42. Caſtro-*
pal. par. 1. tract. 4. diſp. 1. p. 5. §. 4.
num. 2.

Quæres 7. An præter Canoni-
zationem, & Beatitudinem qua-
tenùs

Digitized by Google

tenùs expreſsè, & formalitèr procedunt poſitivè à Romano Pontifice detur alia Canonizationis, ſeù Beatificationis ſpecies, qua ſervi Dei pro certo habeantur Sancti in regno Cœlorum.

37 ℟. Affirmativè, & vocari poteſt Canonizatio, ſeù Beatificatio virtualis, & interpretativa, in quantum communis fidelium unius populi, vel omnium devotio habet pro Sanctis illos, qui in hac vita benè vixerunt, & poſt mortem diverſa patrarunt miracula; nam fideles ex his prudentèr conceperunt de his bonam opinionem, quòd cum Deo in cœlis perfruantur divina viſione, ac proindè non ſinè ratione illos appellant Beatos, & Sanctos. Atque id comprobatur ex Bulla Pontificia, quam extendi ſub Meditat. 31. num. 10. ibi: *Declarantes, quod per ſupraſcripta præjudicare in aliquo nolvimus, neque intendimus jis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii celebrantur*. Et infrà num. 18. præfatum tempus, declarat his verbis. *In ſuper longiſſimum tempus, illiuſque immemorabilem curſus, de quo in prædicto decreto, intelligi declaravimus, eſſe tempus centum annorum metam excedens*.

Itaque omnes illi ſervi Dei, qui anno 1525. deceſſerant cum opinione ſanctitatis, ſeù martyrii, & illam ſibi conſervaverunt per ſupervenienti à miracula nuncupati in Cronicis Beati, ſeù Sancti, habentur pro canonizatis, & Beatificatis, ità quòd abſurdum eſt, & iniquum ſpoliare illos ſuis titulis Beatorum, aut Sanctorum, dum ſint in pacifica illorum poſſeſſione.

Quæres 8. An ſit de fide, quòd Papa habeat poteſtatem canonizandi.

38 ℟. Affirmativè, & colligitur ex illo Matth. 16. 18. *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum, & in Cœlis*. Dum Papa declarat aliquem Sanctum, ligat fideles ad credendum illum eſſe amicum Dei in Paradiſo, & eoſdem obligat ad illius venerationem, & per hoc idem declarat eum eſſe ſolutū à miſeriis hujus, & alterius ſæculi, ac proindè judicium hoc in terra factum approbatur in cęlis; igitùr cum id habeatur ex ſacra Scriptura, de fide credendum eſt, Papam habere hanc poteſtatem canonizandi. Ità *Arragona 2. 2. q. 1. art. 10. concl. 2. Bagnes ibidem dub. 7. Ludov. Carbo in ſumma tom. 3. lib. 1. cap. 17. cum aliis Contelor. cap. 8. num. 1. fine*.

Quæres 9. An Epiſcopus poſſit canonizare? Sub cujus nomine veniunt etiam Archiepiſcopi, Metropolitani, Patriarchæ, & Primates, ſunt enim omnes Epiſcopi?

39 ℟. Non poteſt, quia Canonizatio dicit ſententiam definitivam, per quam declaratur, canonizatum per univerſum orbem eſſe venerandum, & honorandum pro Sancto; ſed Epiſcopus id facere non poteſt, cum arctetur loco, & juriſdictione, ut notum eſt; ergò canonizare non poteſt.

40 Confirmatur, quia canonizare eſt actus ordinatus ad fidem; nam mira-

miracula, propter quæ judex movetur ad canonizandum, dependent à fide, ſinè qua nemo miraculizare poteſt, ex dictis Medit.
41 1.36. Medit. 3. nu. 25. Sed *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros non niſi ad Petrum, ideſt, ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe* 12.24.qu.1. Idem habet cap. 3. de baptiſmo, quòd cauſæ majores ſunt referendæ ad Petrum; nulli dubium eſt, materiam de Canonizatione eſſe de
42 majoribus, & gravioribus cauſis, ut expreſsè dicitur in Decreto extenſo Medit. 31. num. 52. ergò
43 ad ipſum ſolùm, & non ad Epiſcopos ſpectat cauſa Canonizationis. Ità ferè omnes *cum Jacobo Caſtellano qu. 3. de Canon. Malveſius dub. 2. Contelor. cap. 4. num. 4. Barboſa ad cap. 1. de Reliq. num. 5.*

Quæres 10. An Concilium ſaltem Univerſale, ſi non Provinciale poſſit canonizare?

℟. Nullum Concilium Provin-
44 ciale, nec Generale, ſeù Univerſale poteſt aliquem Dei ſervum canonizare, niſi de ſpeciali licentia Summi Pontificis. Et quidem reſpectu Conciliorum Provincialium res eſt clara, quia in cauſis majoribus, inter quas reponitur Canonizatio Sanctorum, non poteſt ſe intromittere, cap. Multis 5. diſtinct. 17. Confirmatur, quia Epiſcopi in eo digerendo errare poſſunt circà definitiones fidei, & morum, *ex S. Auguſt. lib. 2. de Bapt. contrà Donatiſtas cap. 9. Aragona in 2.2.q.1.art.10. de Concilio col. 3. verſ. His ſuppoſitis. Bannes ibid. dub. 3. concl. 2.* Ergò de ſe inſufficiens eſt ad canonizandum, ità *Contelor. cap. 7. nu 6.*

45 Nec Concilium Generale de ſe id facere poteſt, niſi id à Papa illi ſpecialitèr delegetur, ſicut & alias cauſas fidei ipſe delegare poteſt, tunc enim communicat eis infallibilitatem, ne errent in definiendis rebus fidei, & morum, cum progreſſivâ tamen dependentia ab ejus libera voluntate, ità quòd cauſa non dicitur ultimò terminata, niſi ab eo ſpecialitèr approbetur, ità *Contel. cap. 7. num. 10. ad 17.* Nec id facere poteſt, eſto, vacaret Sedes Apoſtolica, quia, ut dixi, ſinè ſpeciali licentia non poteſt canonizare, quam nemo dare poteſt, dum ſedes vacat, ex eodem nu. 19.

Dices, Concilium Conſtantienſe mandavit, dum ſedes vacabat, fieri proceſſus ſuper vita, & moribus trium Dei ſervorum; ergò & poterat propria auctoritate eoſdem canonizare, quia cuì conceditur antecedens, datur etiã conſequens; formatio enim proceſſus ordinatur ad Canonizationem. In eodem Concilio publìci honores à Patribus Concilii delati ſunt S. Rocho, cujus imago proceſſionalitèr deportata fuit, ut ejus interceſſione à Deo liberarentur à peſte, quod eſt de facto canonizare; ergò Concilium Generale de ſe poteſt canonizare.

46 Ad primum reſpondet Contelor. eodem cap. 1. num. 22. illos Dei ſervos, ſuper quorum vita inquirebatur, non fuiſſe canonizatos. Nec valet conſequentia à præparatoriis proceſſibus ad ipſam Canonizationem, quia patet, Epiſcopos poſſe formare proceſſus,

ex dictis

ex dictis Medit. 31. num. 5. 6. & 7. & 80. non tamen publicare illos, quoad miracula; ergò multò minùs illos canonizare.

47 Sanctum Rochum non canonizavit Concilium Conſtantienſe, ſed pro tollenda peſte Patres ſvaſi fuerunt ad jejunium, & proceſſionem faciendam ſub vexillo B. Rocchi, quod fecerunt anno 1414. initio ejus Concilii decimoquinto Kalend. Julii, ut refert Vading. tom. 3. Annalium Ordinis Franciſcani ad annum 1327. ſuæ mortis, num. 13. fuit enim Tertii Ordinis S. Franciſci profeſſor; & cum antecedentèr eſſet Beatus, & Sanctus, non formali Canonizatione, ſed interpretativa, fuit canonizatus, juxtà dicta ſuperiùs hìc ſub num. 37. ideò nihil contrà nos, quia Concilium publicè Sanctum, jam ex pia Eccleſiæ opinione pro tali habitum, honoravit illa ſolemni proceſſione. Vide Martyrologium Franciſcanum ad 16. Auguſti, & Caſtellinam Ordinis Prædicat. de Inquiſit. Miracul. p. 4. Append. Generalis, in quibus locis plura de ipſo referuntur.

Quæres 11. An Collegium Cardinalium, Sede vacante, poſſit canonizare Sanctos?

48 ℞. Negativè, quia tunc nullam poteſtatem habet ex jis, quæ pertinent ad Pontificem Romanum, Sede vacante, ut ſtatuit Pius IV. in ſua incip. *In eligendis* 63. §. 6.

49 *Sedis autem vacatione durante, Collegium Cardinalium in jis, quæ ad Pontificem Maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omninò poteſtatem, aut juriſdictionem habeat*. Et qnidem meritò, quia non ſuccedit in ejus juriſdictionem, ſicut Capitulum Canonicorum, Sede Epiſcopali vacante; *Imola in Clem. 2. de elect. cum aliis Contelor. cap. 6. num. 1. ad* 4.

Quæres 12. An Legatus à Latere poſſit canonizare?

50 ℞. Negativè, quia reſervata ſpecialitèr Papæ, ut eſt Canonizatio Sanctorum, ex cap. 1. de Reliq. non tranſeunt in Legatum à Latere, niſi ſpecialitèr illi committantur, ut docent omnes *in cap. Quòd translationem 4. de off. leg. Nicol Boer. de poteſtate Legat. num. 24. Eraſm. Cocbier. de juriſd. Ordin. par. 1. q. 3. num. 13. Barboſa hìc num. 2.* Reſervata autem Papæ nnmerantur ab eodem Allegat. 50. ubi n. 43. dicitur reſervata Canonizatio. In terminis *Panvin. in Relat. S. Bonaventuræ, apud Contelor. ca. 6. nu 5.*

Quæres 13. An Papa in Canonizatione Sanctorum requirat conſilium; & conſenſum Cardinalium?

51 ℞. Negativè, & id facere eſt tantùm de illius honeſtate, & quadam civili pompa, quibus magnates adhibent in conſilium viros doctos, & peritos quaſi in ſuum obſequium.

52 Probatur. Tùm quia ſoli Petro, & ejus ſucceſſoribus dictum fuit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, & illi ſoli collata fuit immediatè à Deo poteſtas regendi Eccleſiam, ut de fide credendum eſt, juxtà illud *Paſce oves meas*. Et illud Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Sed ſub poteſtate regendi Eccleſiam comprænditur

tur etiam Sanctorum Canonizatio, quam Papa exequitur per dictam poteſtatem Pontificiam, quæ ſicut in ſolo Petro pro tempore reperitur; ità & ab eo ſolo exercetur, & non ab aliis, qui ea carent; non tenetur ergò petere conſilium aliorum ad Canonizationem Sanctorum, *tùm quia* Papa habet jura utriuſque imperii, terreni, ſcilicèt, & cœleſtis, cap. omnes diſt. 22. independentèr à quavis humana poteſtate, cum eam habeat immediatè à Deo; ergò incongruum eſt dicere, ipſum teneri petere conſilium in ſuis actibus, & judiciis, quæ
53 pro Eccleſia exercet, *tùm quia* pro cauſis arduis, ut eſt etiam Canonizatio, omnia jura clamant recurrendum eſſe ad Petrum, nulla facta mentione de conſilio, ſeù conſenſu aliorum, *cap. 3. de Baptiſmo, cap. Quoties* 24. *q.* 1. ergò ipſe ſolus quaſcunq; cauſas etiam arduas, & in materia fidei expedire poteſt ſinè aliorum conſilio,
54 *tùm quia* ſolus Papa habet plenitudinem poteſtatis, *cap. Decreto* 11.2. *q.* 6. *cap. Ad honorem* 4. *de Auctor. & uſu palii*. Plena autem
55 poteſtas ea dicitur, cui nihil accreſcit, aliàs non eſſet plena, ſi aliquid ei adjungi poſſet, cum plenitudo adjectione non egeat, *cap. ſi omnia* 7. 6. *q.* 1. Egeret autem, ſi teneretur in arduis petere conſilium, & multò magis ſi de-
56 beret illud ſequi, *tùm quia* qui habet poteſtatem liberam, & abſolutam nullius conſilium requitere tenetur in ea exercenda, *Gloſ. V. liberè, cap. Dudum, de ſepult Gloſ. V. liberè, cap. Cum plures, de offic. deleg. in* 6. *apud Pariſ. lib.* 7. *de Reſign. benef. cap.* 5. *num.* 9.
57 Liberè verò agere non poteſt, qui alterius conſilium expectare debet, *Curt. jun. conſ.* 2. *num.* 3. *Jaſon. vol.* 4. *conſ.* 130. *Verall. par.* 1.
deciſ. 297. *n.* 6. ſed Papa liberam 58 omninò habet poteſtatem, & abſolutam, ac independentem à quocunque, *cap.* 2. *de præbend. in* 6. *Clem.* 1. *fine*, *Ut litè pend. Merlin. deciſ.* 764. *nu.* 12. ergò in ejus exercitio à nullo dependet, ac proindè ſolus ſinè Cardinalium conſilio poteſt canonizare, ità *Augustinus de Ancona qu.* 14. *de Eccleſ. poteſt. quem citat. Contelor. cap* 9. *n.* 43. *& ſequitur num.* 46. *Maſcard. concl.* 261. *num.* 56. *Rocha de Canon. cap.* 4. *fine*, *Cathalog. G. M. conſid.* 47. *par.* 3. *fine*, *Panuin. in Relat. S. Raymundi col.* 3. Si non tenetur Papa quærere conſilium in Canonizatione ex probatis, multò minùs in Beatificatione, quæ minoris momenti cenſetur.

Contrarium, quòd Papa teneatur requirere Cardinalium conſilium in Canonizatione Sanctorum, docent omnes illi, qui aſſerunt in omnibus cauſis arduis, Papam debere petere ab illis conſilium, ſiquidem cauſa Canonizationis inter ardua ponitur. In arduis ergò nonnulli requirunt conſilium, quos recenſet Diana *parte* 5. *reſol.* 4. *de Cardinal. & Contelor. cap.* 9. Sed multò plures ſunt ex parte negativa. Referam illorum argumenta, & ſolvam.

Requirentes conſilium probant. *Primò*, quia Cardinales ſunt in pacifica poſſeſſione conſulendi Romano Pontifici, ne Papa ardua tractet ſinè eorum conſilio; undè Joannes Monachus in cap. Super eo, de hæret. in 6. narrat, multas collationes beneficiorum, Abbatiarum, & Epiſcopatuum caſſatas fuiſſe, quia fuerant colla-

tæ à Cœleſtino Papa ſinè conſilio Cardinalium. Item Benedictum XI. ſuſpendiſſe multa ſtatuta, quæ Bonifacius ſinè conſilio illorum dederat Marchianis. *Secundò*, in arduis ſemper utitur conſilio Fratrum; ergò habet debitum ità faciendi; Antecedens colligitur ex pluribus locis juris, *cap. Ad Apoſtolicæ, de re jud. in 6. cap.* 1. *de ſchiſm. in 6. cap. Fundamenta de elect. in* 6. Et in omnibus Bullis de Canonizatione, exprimitur clauſ. *De conſilio, & aſſenſu Fratrum*; ergò illud præterire non poteſt. *Tertiò*, in cap. *Per venerabilem* 13. *Qui filii ſint legit.* Papa illud Deuter. 17. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, qui indicabunt tibi judicii veritatem*. Et ibi ſermo eſt de cauſis difficilioribus, & arduis. Ubi Pontifex per Sacerdotes leviticis generis intelligit fratres ſuos, qui ſunt Cardinales illius coadjutores in officio ſacerdotali, & conjudices ipſius, ut inſinuat illud verbum *Indicabunt tibi judicii veritatem*. Sinè illis ergò nullam cauſam ex arduis decidere poteſt. *Quartò*, inter Papam, & Cardinales eſt quaſi unio identitatis; ità quòd alter ſinè altero agere non poteſt; ſunt enim Cardinales membra ſpecialia ità unita corpori Papæ, ut ab eis juramentum fidelitatis non exigat, & dicuntur mitti de latere Pontificis, quaſi à viſceribus illius procedentes; cum ergò inconveniens ſit, imò impoſſibile, corpus operari ſinè ſuis membris, quæ illius inſtrumenta ſunt, ſequitur, Papam ſinè conſilio Cardinalium non poſſe quemquam Beatum canonizare. Hæc ex Conteloro cap. 9. uſque ad num. 22. ubi refert Doctores hujus opinionis, quos recenſere non oportet, ſed argumentis reſpondere.

59 Primo igitùr argumento reſpondetur, quòd cum actus conſulendi ſit facultativus, nunquàm poſſunt Cardinales præſcribere poſſeſſionem intereſſendi negotiis Papæ etiam arduis, quia præſcriptio non currit in facultativis, *Gabriel de præſcript. concl.* 10. *Seraph. deciſ.* 716. *nu.* 10. *apud Rubeum par.* 4. *tom.* 1. *deciſ.* 396. *nu.* 6. *Caputaque par.* 1. *deciſ.* 316. *num.* 7. *Surd. conſ.* 127. *num* 20. *apud eundem Rubeum part.* 3. *recent. deciſ.* 369. *nu.* 4. Accedunt ergò Cardinales, quandò vocantur ad conſilium, & ſic non habent jus à ſe conſilium dandi Papæ. Cauſa verò caſſationis, & revocationis beneficiorum &c. ea non eſt, & cum ſit nobis occulta, ut quid facti relinquitur.

60 Secundo argumento reſpondetur, ex quo Papa utitur Cardinalium conſilio, non benè infertur habere debitum ità faciendi, quia nemo poteſt jus ſibi indicere, ſed in alterum eſt, *l. Princeps ff. de legib.* Nec quis ſibi imperare poteſt, *l. pœn. ff. de arbitr. Tuſch. lit.* 1. *concl.* 47. certum autem eſt, nullum poſſe Pontifici imponere jus, & imperare, *cap. Pro illorum* 22. *de præbend.* quia ipſe judicat omnes, & à nemine ipſe judicatur, *cap. Si Papa 6. diſt.* 40. Nullus ergò Papam obligare poteſt, nec ei legem imponere. Paſchalis II. in Canonizatione Sancti Petri Epiſcopi Anagnini non fuit uſus conſilio Cardinalium, ut notavi ſuprà ſub num. 19. Sanctum quoque Laurentium Bublinenſem Epiſcopum ſinè conſilio fratrum. Honorius III. in cathalogo

San-

Sanctorum ſcripſit, ut patet in ejus Bulla incip. *Ineffabilis* 7.

61 Tertio argumento reſpondetur, eſſe de honeſtate, non debitum, quod Papa utatur fratribus tamquàm coadjutoribus ſuis; Adjutus enim in nullo dependet à Coadjutore, ſed is ab illo, undè ibidem dicit: *In quibus cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad judicium eſt Sedis Apoſtolicæ*

62 *recurrendum*. Nulla facta mentione de fratribus. Et licèt in Deuter. expreſsè fiat mentio de Sacerdotibus levitici ordinis, qui videntur conjudices cum Judice, non indè tamen infertur, eodem modo à Pontifice Romano eſſe judicandum, ſicut fiebat judicium à Sacerdote Veteris legis, ſed Pontifex in illa Decretali ad verbum retulit ſententiam Deuter. ne illam mutilaret, non verò ut indicaret, eſſe neceſſarium judicare cum conſilio fratrum, dum ſubjungit ibidem difficilia judicia eſſe referenda ad Sedem Apoſtolicam, quo nomine nullatenùs veniunt Cardinales, nec Epiſcopi.

63 Quarto reſpondetur, verum quidem eſt, quòd Cardinales ſunt principaliora membra Papæ, qui eorum eſt principale caput, non non ideò ſequitur, quòd caput in aliquo ſubjiciatur ſuis membris, ut ſubjiceretur, ſi teneretur in cauſis arduis conſulere Cardinales, qui in omnibus ſubjiciuntur illi, ut alii fideles; & membra

64 à capite diſcedere non licet, *cap.* 1 *diſt.* 12. *cap. Celebritatem* 22. *diſt.* 3. *de conſecr.* quia illi ſubduntur, & per contrariam rationem caput diſcedit à membris; ideò ea ſequi non tenetur petendo ab eis conſilium. Et quæ habentur in tit. de jis, quæ fiunt, &c. locum non habent in ſupremo Principe, qui ſibi non imperat, ſed aliis, ut ſuprà dixi.

Quæres 14. Quis poſſit beatificari, & canonizari?

65 ℟. Non ſolùm fideles, ſed etiam infideles ex infidelibus nati, ad fidem converſi, poſſunt canonizari, ſi deceſſerunt in Domino cum opinione ſanctitatis, & poſt mortem egerint aliqua miracula, licèt dum viverent, eſſent peccatores; imò & hæretici ad fidem converſi hæreſim abjurantes.

Prima pars de fidelibus patet, quia Baptiſmus, ſicut eſt janua, per quam homo fit dignus ad recipienda alia Sacramenta, & per ea acquirendi gratiam Dei, *cap. Per catechiſmum, de cognat. ſpir. cap. Veniens* 3. *de Præsbyt. non baptiz.* ità & eſt fundamentum, & baſis, per quam baptizatus poteſt ſibi acquirere ſalutem æternam, cap. Firmiſſimè 55. 1. qu. 1. ergò ex hoc capite capax eſt Canonizationis, ſi reliqua habeat.

66 Secunda pars de infideli converſo ad fidem, patet ex eodem fundamento, quia per converſionem, & receptionem baptiſmi deſinit eſſe infidelis, & fit fidelis; ergò is defectus non obſtat, ità *ex Panvin. in Relat. S. Bonav. par.* 1. *art.* 8. *fine*, *Contelor. cap.* 1. *num.* 12. ubi citat jura diverſa, quæ tractant de Neophitis, ſed nihil ad rem.

67 Tertia pars de peccatoribus probatur, quia non eſt neceſſarium, ut fuerint omninò innocentes à quolibet, quia ut ait Joan. epiſt. 1. c. 1. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Proverb. 24. 16. *Septies cadit juſtus, & reſurget, impius*

autem corruet in malum. Ideò peccator dicitur juſtus, quia per gratiam Dei ab eo reſurgere poteſt, & ampliùs non eſt peccator, *cap. Ferrum* 18. *diſt.* 50. *Contelor. cap.* 11. *num.* 14. Et patet exemplo diverſorum peccatorum, qui nunc Sancti venerantur, & primus, quem canonizavit Chriſtus in Cruce, fuit bonus Latro; Maria Magdalenà fuit peccatrix, &c.

68

69 Quarta pars de hæreticis abjurantibus probatur, quia dum ad pœnitentiam recipiuntur, juxtà cap. Ad abolendam de hæret. Eccleſiæ, extrà quam erant, reconciliantur abjurantes hæreſim, ac proindè in bono perſeverare poſſunt, & ex hac vita juſti decedere; iſtorum enim, ſicut aliorum peccatorum, Deus ampliùs non recordatur, ac ſi non peccaſſent, Ezech. 18. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor, in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet*, & ſi cum illa ex hac vita decedet, capax erit Canonizationis.

70

71 Quinta pars, quòd ſit neceſſarium, hominem mori in gratia Dei cum opinione ſanctitatis, probatur, quia decedens in peccato mortali, non eſt capax Canonizationis; illi enim ſoli canonizantur, qui declarantur Sancti cum Deo vivere in regno cœlorum, decedens autem in peccato mortali, procul dubio Sanctus non eſt, cum non ſit amicus Dei, nec poſt hanc vitam talis evadere poteſt, cum non ſit ampliùs in via merendi, nec demerendi, ſed perpetuò damnatus in inferno; nullum enim coinquinatum, qualis eſt decedens in peccato mortali, poteſt introire in Regnum Dei. De hac ſanctitate omnes Bullæ Canonizationis, & Beatificationis mentionem faciunt, quas vide in Bullario novo, & apud Paſqual. num. 1236.

72 Sexta pars de miraculis præcipuè poſt mortem, probatur, quia miracula poſt mortem teſtificantur de ſanctitate ejus, ad cujus corpus, vel imaginem, Deus operatur mirabilia, quæ non faceret, ſi homo ille in hac vita, & in morte præſertim fuiſſet impius, & ſceleratus; Deus enim non eſt teſtis falſus pro iniquis ut bonis, qui reverà non ſunt, *D. Thomas in Epiſt.* 2. *ad Theſſal. cap.* 2. *Scotus in l. q.* 2. *Prologi verſ. De octavo ſcilicèt*, ità docent omnes Canon. *in cap* 1. & 2. *de Reliq. Contelor.* 20. *per totum*, & *dixi Medit.* 4. *q.* 7. *Paſqual. num.* 1236.

Dixi, miracula eſſe neceſſaria poſt mortem, quia in vita etiam mali homines poſſunt miraculizare, ut probavi Meditat. 2. num. 55. 58. ſed iſti non illuminantur à Deo, ſicut boni, ut dixi Medit. 14. num. 16. Non verò ante mortem, quia facta in hac vita concludentèr non probant; ſicut perpetrata à ſervis Dei defunctis, quia ſunt certa, & indubitata. Ità *S. Thomas* 2. 2. *qu.* 178. *art.* 2. *Caſſan. in cathal. glor. mundi par.* 3. *conſid.* 50. *Rota in diverſis Relat. apud Contelor. cap.* 20. *num.* 4. Confirmatur, quia, dum homo eſt viator, nec ipſe, nec alius certus eſſe poteſt de ejus ſalute, & ſanctitate, quia ammitti poteſt per peccatum, quod perpetrare eſt in poteſtate hominis viatoris; neceſſaria ergò ſunt miracula poſt mortem, dum ſanctitas viatoris vacillare poteſt, non ſic poſt mortem, quia eſt inamiſſibilis ab eo, qui moritur in gratia Dei.

Quæres

Quæres 15. An infantes baptizati defuncti in ea ætate, canonizari poſſint?

73 ℟. Doctores communitèr tenere, non eſſe canonizandos, quia multam gloriam Deus cum illis non facit, & nulla habent merita ſuarum operationum, maximè decedentes ſtatim poſt Baptiſmum. Ità *Malveſius dub. 3. num. 63. Gignius de Reliq. cap. 6. Contel. cap. 11. num. 17.* niſi ſint martyres, ut Innocentes, qui pro Chriſto, & vice Chriſti ſunt interfecti, & B. Simon Tridentinus à Judæis in opprobrium Chriſti crudelitèr occiſus.

Quæres 16. An Sancti Veteris Teſtamenti poſſint canonizari?

74 ℟. Affirmativè, quia de eorum ſanctitate manifeſtè cõſtat ex ipſa Scriptura Sancta, quæ non mentitur. Et præterea de multis Eccleſia celebrat in eorum honorem divina officia, & Eccleſiæ eis eriguntur, quod probatione non eget, cum id ſit luce clarius, ità *Contelor. cap. 11. initio, Lezana conſult. 3. de S. Elia.* Sancti ergò Patriarchæ, & Prophetæ ab Eccleſia ſupponuntur canonizati, dum publicè venerantur à fidelibus, & ſolùm eis deeſt ſolemnitas Canonizationis, quæ modò utitur Pontifex Romanus. Et licèt de illis non legantur miracula, niſi de Moyſe, Elia, & Eliſeo; non ideò tamen excludendi ſunt ab

75 hoc honore; quia in tantùm miracula neceſſaria ſunt ad Canonizationem, in quantùm indubitatè non conſtat de eorum ſanctitate; ergò cum de illa procul dubio conſtet reſpectu multorum Sanctorum ex Sacra Scriptura, cujus narratio eſt veriſſima, ſequitur, quod miracula non ſint neceſſaria ad eorum Canonizationem.

Contrarium, non poſſe canonizari ſenſerunt *Aug. Triumph. de poteſt. Eccleſ. q. 17. cap. 2. Joan. Viguer. Inſtit. Theolog. cap. 10. de virt. Fidei* §. 3. *num. 14. fine.* Probant. *Primò*, quia quos Deus, & Chriſtus Dominus canonizavit, non egent iterùm canonizari à Papa; ſed Chriſtus plures approbavit, ut legitur in Evangelio; ergo non ampliùs poſſunt canonizari; fieret enim injuria Chriſto. *Secundò*, Chriſtus eſt fundamentũm, & cauſa omnium Sanctorum; ergò nullus eorum, qui fuerunt ante natalem Domini, canonizandus eſt, cum omnis cauſa præcedat ſuum effectum. *Tertiò*, canonizatio requirit plenitudinem gratiæ; Sancti autem Patres hac carverunt, quia non erant in tempore plenitudinis gratiæ, quæ eſt à Chriſto. *Quartò*, claritas divinæ juſſionis clauſa fuit omnibus uſque ad mortem Chriſti, qui, aſcendendo poſt reſurrectionem in cœlum, omnibus apervit januas Paradiſi.

Reſpondetur, prædicta non obſtare, quia cum jam ſint Sancti, ut Adverſarii concedunt, nihil prohibet, quin Papa poſſit eis exhibere honorem hunc ſolemnitatis, qui Sanctis Novi Teſtamenti præſtatur. Nec argumenta urgent.

76 Primò namque dico, Canonizationem ſumi duplicitèr, primò pro judicio, quo quis denominatur Sanctus, ſecundò pro ſolemnitate, & forma adhibita in ipſo judicio. Chriſtus priori modo canonizavit Patres Veteris Teſtamenti, poſteriori modo ſpectat

ad

ad Papam, dum collaudat, & magnificat, quòd fecit Chriſtus, & Dominus Deus noſter.

77 Secundò reſpondetur, quòd Chriſtus eſt cauſa, & fundamentum omnium Sanctorum, juxtà illud: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum*, & Sancti Patres à Chriſto venturo, in quem credebant, receperunt Dei gratiam, quam illis mervit; præceſſit ergò cauſa meritoria, licèt non executoria, ut per mortem Chriſti; præcedit ergò cauſa effectum Canonizationis.

78 Tertiò reſpondetur, plenitudo gratiæ eſt in Chriſto ſolo, non neceſſaria Patribus, quibus non competit, cum non ſint comparandi Chriſto; ideò parum refert tempus plenitudinis gratiæ in canonizandis Patribus. Et dato etiam hoc, cum nunc adſit, nihil obſtat Canonizationi.

79 Quartò demùm reſpondetur, illud ſolùm probare, nulli apertam fuiſſe portam Paradiſi ad videndum Deum, niſi per Chriſtum Dominum, dum aſcendit in Cœlum comitatus Sanctis Patribus, quos evexit in Paradiſum, ex quo patet, nihil deficere, quin declarari poſſint Sancti, dum cum Chriſto regnant in cœlis. Undè Contelor. ea argumenta retulit, ſed quia non urgent, nihil ad ea reſpondit.

Quæres 17. Quid requiratur ad canonizandos martyres?

80 ℞. Solum martyrium ſufficit etiam in eo, qui de infideli fit fidelis ſubeundo mortem propter fidem, & amorem Jeſu Chriſti, quia martyrium verum remittit culpam, & omnem pœnam ei, qui moritur pro fide Jeſu Chriſti,

81 *ut docet S. Auguſt. relatus cap. Baptiſmi 34. & cap. Cathecumenum 3. diſt. 4. de conſecr. & cap Firmiſſimè 3. 15. qu. 1.* ubi ità ſcribitur: *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, exceptis illis, qui pro nomine Chriſti ſuo ſanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic à malis ſuis fuerit per pœnitentiam, fidemque converſus, & per Sacramentum fidei, & pœnitentiæ, ideſt per baptiſmum liberatus.* Martyrium ergò ritè aſſumptum, hoc eſt, voluntariè propter amorem Dei, morte ex eo ſecuta, remittit omnem culpam, & omnem pœnam, comparatur enim omninò in hoc baptiſmo fluminis, cum & ipſum dicatur baptiſmus ſanguinis, ſecun-

82 dùm D. Auguſt. locis citatis, *& tract. 84. in Joan. Tertullian. in Apologet. fine, Clementem lib. 5. conſtitut. cap. 7. Cyprian. epiſt. 73.* qui omnes æquant martyrium baptiſmo, *cum Scoto in 4. diſt. 4. q. 6. tomo 8: ex Vadingo in comment. num. 30.*

83 Quòd autem ſolum martyrium ſufficiat etiam in infideli probatur ex eodem D. Aug. in cit. cap. *Baptiſmi*, inquit, *vicem aliquandò implere paſſionem, de latrone illo,*

84 *cui non baptizato dictum eſt*: Hodie mecum eris in Paradiſo. *Non leve documentum idem B. Cyprianus aſſumit. Quod etiam, atque etiam conſiderans invenio, non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id, quod ex baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemq; cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim Latro ille pro nomine Chriſti Crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum, nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur, credidit.* Latro ille non erat diſcipulus Chriſti, nec

pro Chriſto pertulit ſupplicium, niſi in fine, dum ipſum confeſſus fuit, aliud bonum non fecit, niſi confitendo illum, nec Baptiſmum fluminis habebat; ergò ſolum martyrium ſufficit ad Canonizationem; Chriſtus enim Latronem canonizavit, dum dixit ei: *Hodie mecum eris in Paradiſo. D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 2. ad primum, Contelor. cap* 13. *nu.* 10. Nolo per hoc dicere, quòd non ſit neceſſarium inquirere ſuper vita, & moribus martyrizati, quomodo, & quo ſpiritu acceſſerit ad martyrium.

85 Colligitur hinc, miracula non eſſe neceſſaria ad Canonizandum martyres, quia eorum Sanctitas ſufficientèr nota eſt ex ipſo martyrio concludentèr probato. Hoc latiùs probavi Meditat. 4. à num. 15. Ideò ne repetam illuc remitto Lectorem. Hinc eſt, quòd Canonizatio martyrum citiùs, & faciliùs expeditur, quàm aliorum
86 Sanctorum, ut docent *Hoſt. in cap.* 1. *de Reliq. cum aliis Contelor. cap.* 21. *num.* 10.

Digitized by Google

ADDITIO.

An Deus faciat ſemper id, quod melius eſt?

1 IN quadam diſputatione contrà concluſionem Thomiſticâ de non futura Incarnatione Verbi, non exiſtente peccato, propoſitum fuit hoc argumentum. *Honorabilius eſt Deo dicere, quòd Incarnatio facta fuerit non ſolùm propter Redemptionem, ſed etiam propter excellentiam myſterii*, quam ſi dicamus factam propter ſolam Redemptionem; ergò ità dicendum eſt. Ità arguit C.

2 Reſpondet G. propugnator concedendo antecedens, negando conſequentiam, quia, inquit, *non debemus tribuere Deo quicquid eſt illi melius, & honorificentius*; & attulit G. in exemplum. *Honorificentius eſſet Chriſto plures actus charitatis elicuiſſe; plures actus meritorios feciſſe; plura tormenta ſuſtinuiſſe, quæ tamen communitèr non tribuuntur*. Hæc G.

3 Viſa fuit, inquit C. hæc reſponſio Deo, & Chriſto, quia negat in Deo meritum infinitum honoris, injurioſa, dum dicit G. non debere nos tribuere Deo quicquid eſt illi honorificentius, & negat ſimilia Chriſto, omne meritum honoris, quod potuit ſibi acquirere per actus internos, & externos charitatis, operando quantum ſimplicitèr potuit.

4 Ego B. nego per C. inferri benè ex argumento G. fieri injuriam Deo, & Chriſto prædicta illis negando. Probatur, quia tunc illis fit injuria, cum eis aufertur debitus honor, quem conſtat certò illos habere, ut patet, ſi Chriſto negetur honor Redemptionis, de qua certò conſtat, & non eſt opinio. Confirmatur id, quia injuria provenit ex pravo affectu injuriantis, *cap. Illud* 2. 15. *q.* 1. ubi dicitur, quòd nemo facit injuriam, niſi qui ſcit, ſe facere injuriam; omnes autem fideles credunt, & ſciunt, Chriſtum exercuiſſe Redemptionem hominis, quam proindè ſi negant, procul dubio illi injuriam faciunt, auferendo illi hunc honorem; non verò, qui ab eo negant hoc myſterium excellentiæ, quia de eo certò non conſtat, cum id ſit in opinione Scotiſtarum contrà Thomiſtas, qui tamen non ſunt Deo injurioſi, negantes id ſecundùm propriam eorum opinionem; non enim obligatio eſt ſequendi hanc, vel illam opinionem, cum nulla ſit in præcepto, quia in opinionibus datur electio; ergò non debitum; cum ergò prædicata, licèt honorificentiora de Chriſto ſuprà expreſſa à C. ſint ſub opinione, ac proindè incerta ex parte rei nobis ignota,

non poſſunt cadere ſub debito, & obligatione.

Veruntamen inquit C. Doctiſſimus, & humaniſſimus Cenſor, (cognomine R.) rogatus ſuper his propoſitionibus ſuum judiciū interponere, exiſtimat, eas non eſſe dignas cenſura, quia propoſitio univerſalis de Deo. *Non debemus tribuere Deo quicquid eſt illi honorificentius*, poteſt habere duplicem ſenſum verum. Alter eſt. *Non tenentur homines, aut Angeli obligatione rigoroſa præcepti tribuere Deo omnes actus honoris poſſibiles*. Alter. *Deus non ſemper facit ad extrà id, ex quo major honor ſibi reſultat, ſeù ſemper non facit optimum*. Propoſitio autem de Chriſto poteſt verificari de potentia abſoluta; per hanc enim potuit intendi habitus charitatis, & ſic in ſe elicere plures actus charitatis internos, vel unum perpetuū intenſiorem, & perfectiorem; potuit etiam plures actus externos, patrando plura miracula, plures ſanctitates conferendo, plura ſuſtinendo &c. & hoc ſcilicèt honorificentius eidem futurum fuiſſe. Hæc R.

5 Placet B. utraque propoſitio R. Et ſi enim Deus, & Chriſtus poſſint perfectiora, & optima facare, reſpectu quorum poſſibilium debemus benè de Deo ſentire, & debitum ſuper hoc præcisè, & non ſuper actum tribuere honorem, quòd hæc ſcilicèt poſſit facere, quia tamen nobis non conſtat feciſſe id, quod eſt in quæſtione præſenti, propterea benè dixit R. Deum non ſemper facere optimum, nam id ex Sacra Scriptura non habetur, dum loquitur in gradu poſitivo, Deut c.32.3. *Dei perfecta ſunt opera*. Joan. 1. cap. 2. nu. 5. *In hoc charitas Dei perfecta eſt*. Job 4. 6. *Perfectio viarum ſuarum*. Loquens de Incarnatione Sacra Scriptura nihil præter Redemptionem exprimit de hujuſmodi excellentia myſterii; ergò cum de ea non conſtet, nullum adeſt debitum tribuendi Deo talem honorem; omne enim debitum, & obligatio oritur ex lege publica, vel privata, ut docet *Sanchez lib. 1. diſp. 9. num. 5. Verſ. Secundò*, & aſſerenda non eſt, niſi expreſſis verbis ſit inducta, *l. Quidquid* 99. *ff. de verb. ſign.* Obligatio peccati aſſerenda non eſt, niſi aliqua lege exprimatur, *cap. Conſuluiſti* 20. 2. *q.* 5. *cap.* 2. *de transl. Prælator*. Cùm ergò nulla lege Chriſtiana exprimatur hujus myſterii excellentia, ſed ſolùm Redemptio, nullum eſt debitum in hoc honorandi Deum; & ſic utraque propoſitio eſt probata. Hæc B.

6 Sed ego C. nihil dubito, doctiſſimum virum R. in hac cauſa plus benignitatis ſuæ, quàm Sapientiæ dare voluiſse. Fortè quia exiſtimavit agi de perſona reſpondentis G. cui ut opitularetur, ad ſenſus improprios recurrit, nihil reſpiciens ad totum diſcurſum, ex quo ipſarum propoſitionum ſenſus erui debet. Verùm quia nihil tentatur contrà perſonam, ſed ſolùm contrà propoſitiones, & aliundè agitur de honore Dei, & Chriſti, cujus vera imminutio omnis eſt blaſphemia, & Theologis cautiſſimè vindicanda, oſtendam hìc breviter quantùm potero.

7 Obſervat hìc B. *primò*, R. non recurriſſe ad ſenſus improprios, ut falsò ait C. nam per eas propoſitiones duas reverà confirmavit,

pro-

propoſitionem G.& argumentum C. refutavit, relegantur à Lectore, & veritas ejus, quod dico, planè apparebit. *Secundò*, falſum quoque eſt nihil tentari contrà perſonam G. nam C. quærebat amicum, qui propoſitionem G. notaret de cenſura, ac injuria illata contrà Deum, quod noluit facere, quia ea propoſitio reverà non eſt digna cenſura, ut patet ſuprà, & infrà magis apparebit; tentatio ergò reverà oſtendebatur à C. dum cenſura quærebatur contrà G. quod confirmatur ex antecedenti altercatione, bis habita in duabus publicis diſputationibus, ſeveriùs agente C. contrà G. ubi major pars virorum Theologorum ſtabat contrà C. pro G. *Tertiò* non videtur ad propoſitum laudatio de majori benignitate Cenſoris, quàm de Sapientia, dum ſermo erat de hac, & non de illa. *Quartò* demùm ait hìc agi de honore Dei, & Chriſti, cujus imminutio eſt blaſphemia vindicanda à Theologis, datam benignitatis laudem blaſphemia obſcurat, & negligentem R. redarguit, quia non vindicavit blaſphemiam. C. hic ſupponit, præfatas propoſitiones G. & R. eſſe blaſphemas, quas tales non eſſe infrà patebit, dum reſpondebimus novem propoſitionibus ab eodem C. propoſitis contrà prædictas à G. & R.

8 Primò inquit C. explicato vero ſenſu quæſtionis, & argumenti, non poſſe propoſitionem priorem declarari, & ſalvari per duos illos ſenſus, quorum unus neget præceptum exhibendi Deo omnes honores poſſibiles; alter neget honorem poſitum in oſtenſione divinarum perfectionum in perfectioribus creaturis.

9 Secundò, falſum eſſe, & cenſura dignum aſſerere, quòd Deo non debeatur maximus honor poſſibilis, ſeù majus obſequium, quàm illi à creaturis rationalibus impendi poſſit etiam ex præcepto.

10 Tertiò, non ſinè injuria divinæ majeſtatis poni aliquem ejus honorem, ſeù magis aliquam honorabilitatem in productione creaturarum perfectiorum, aut perfectiſſimarum.

Quartò, quæſtionem, utrum Deus teneatur ad optimum, non pertinere ad hanc cauſam, & circà illam multùm æquivocare Theologos.

Quintò, Chriſtum nihil potuiſſe, vel efficere, vel tolerare honorificentiùs, quam re ipſa fecit, & toleravit.

Sextò, propoſitionem adductam exponendam eſſe de facto, non de potentia abſoluta.

Septimò, nec de potentia abſoluta Chriſti charitatem intendi potuiſſe.

Octavò, quantuncunque ſupponatur intendi poſſe, prout fuit in re, falſo dici, quod intendi potuerit ultrà, quàm communitèr ei tribuatur.

Nonò denique, quidquid in hac re dicatur, falſò affirmari, honorificentiùs ei futurum, ſi plures meriti, aut charitatis internos, vel externos actus egiſſet, vel plura ſuſtinuiſſet. Hæc C. qui ſic proſequitur.

11 Ad primum inquit C. quod attinet, propoſitio illa: *Non debemus tribuere Deo, quod eſt illi melius, & honorabilius*. Probata eſt ad negandum Deo, quod in Incarnatione intenderit unam cũ

hominum Redemptione excellentiam myſterii. Quod niſi Deo tribuamus, faciemus Deum invidum, vel caſu agentem, aut motum ab alio; & conſequenter non Deum, quæ eſt clara, & aperta blaſphemia. Malum eſt enim agens invidum, & non Deus, quod non amat aliquam bonitatem, quæ eſt in effectu à ſe primo ordinato, & liberè poſito. Nec ullus eſſet homo, qui, ſi ei proponantur plures utilitates, vel honeſtates, in, vel ex aliqua operatione conſequenda, velit illam elicere, propter unam tantùm, excluſis aliis. Quis autem neget, myſterium ipſum Incarnationis, prout eſt ſuprema divini boni communicatio, eſſe excellentiſſimum bonum? Et hoc permittendum eſt dici non intentum à Deo in ipſa Incarnatione?

12 Sed contrà reſpondet B. quia tunc eodem præſente, & audiente, ſic G. ſuum protulit ſenſum: Nos non debemus tribuere Deo, quod eſt illi melius, & honorabilius, niſi hoc habeamus ex Sacra Scriptura, ſeù Patribus, ex qua, & quibus deducitur Incarnationem factam fuiſſe ſolùm ob Redemptionem, quæ opinio eſt omnium Thomiſtarum, & quidem magis probabilior, quàm Scotiſtarum, ut videri poteſt apud Cardin. de Lugo diſt. 7. num. 2. ubi refert auctoritates aliquorum Patrum; dicta ergò propoſitio ut manca relata fuit à C. Præterea cum eadem propoſitio prolata fuerit occaſione præſentis materiæ de Incarnatione, in ea non poteſt cadere debitum tribuendi Deo, quod melius eſt, quia ex opinione illud inferri non poteſt, cum in ea detur electio, non obligatio, ex quo enim opiniones procedunt à perſonis privatis licèt doctis, non poſſunt obligare, nec inferre debitum; benè ergò dixit G. nos non debere tribuere Deo, quod eſt illi melius, quandò ignoramus tribuendum illi ineſſe, ut in caſu præſenti, qui opinatur, & non ſcitur. Neſcio qua ratione ex præfata propoſitione negativa ea abſurda, & blaſphemiæ ſequantur, cum illam tenens nullo modo peccet; ergò nec Deum facit invidum, nec caſu agentem, nec ab alio motum; hæc enim abſurda ſunt peccata, & graviſſima, quia hæreſes, & tamen eam propoſitionem tenens non peccat, quia nihil aufert à Deo, cum conſtet ex ſententia Thomiſtica, Deum non eſſe honorandum illa excellentia, cum non ſit reverà conjuncta cum Redemptione; ergò non poſſumus Deo tribuere talem actum, dum eo caret. Idem confirmo exemplo myſterii Conceptionis B. M. V. certum enim eſt, utramque opinionem, negativam ſcilicèt de Conceptione Immaculata, & affirmativam de maculata, adhuc vigere, & neutram eſſe repræhendendam aliqua cenſura contrà conſtitutiones Apoſtolicas; qui autem tenent affirmativam non poſsunt, nec debitum habent tribuendi Deo, quod illi eſt melius, & honorificentius; nempè, præſervationem, quod eſt quid honorificentius, quàm ſit ſublevatio ab originali per ſanctificationem, ut docent omnes; ergò non debemus id tribuere Deo, licèt excellentius, ideſt, non habemus obligationem, dum poſſumus abſtinere, ſequendo affirmativam. Exemplum de homine, cui pro-

ponuntur

ponuntur in ſua operatione plures utilitates, nihil probat, quia homo liber poteſt operari ſecundùm eam utilitatem, quam vult, aliis excluſis; electio enim eſt voluntatis, & non à neceſſitate objecti. Sic Deus ab extrà operatur; poteſt ergò unum eligere, & non aliud, undè elegit ſolùm Redemptionem, aliter ſequeretur, ipſum non liberè agere, ſed ex neceſſitate motus ab alio, quod repugnat ejus naturæ. Demùm ſupponit, quod eſt in quæſtione, & illud nullo modo probat, cum debuiſſet oſtendere certò, Incarnationem fuiſſe factam propter utrunque, quod non fecit.

13 Proſequitur C. ſuum diſcurſum per hæc verba: Aliud autem eſt, quòd excellentia Incarnationis intenta non fuerit, tamquàm finis adæquatus independentèr ab utilitate Redemptionis, ut ob eam ſolam futura fuiſſet Incarnatio; & ideò antecedens diſtingui poterat, minor autem tacita abſolutè concedi debuit.

14 Supponit C. Incarnationem factam ob excellentiam, quod tamen debebat probare, & poſteà diſtinguere. Nullo enim modo, nec dependentèr, nec independentèr à Redemptione intenta fuit à Deo, ſed ſola Redemptio, ut clarè docent plures Patres apud de Lugo. Non erat ergò locus diſtinctioni in antecedente, nec minor datur ſimul cum antecedente, ſed tantùm reſpicit majorem ſecundùm Logicæ leges.

15 Subjungit idem C. ſequentia: Senſus ergò ille de obligatione tribuendi Deo omnes actus honoris poſſibiles, vel de honore externo poſito in productione creaturarum perfectiorum, ſunt omninò remoti, nec ad illos niſi violentèr reduci poteſt propoſitio. Apparet enim tùm ex terminis ipſius, tùm ex antecedenti conceſſo, eam intelligi debere de exiſtimatione, quam debemus habere de prædicatis Dei abſolutis, aut reſpectivis, illa affirmando, vel negando, data nimirùm occaſione. Hoc enim ſignificat *tribuere*, nempè prædicare, dicere, ſentire de ſubjecto, & *quod eſt illi honorificentius* prædicatum, quod ſubjecto affert majorem honoribilitatem, quàm ejus negatio. Antecedens autem conceſſum erat. *Honorificentius Deo eſt, ſi dicamus, Incarnationem factam fuiſſe ob Redemptionem, & excellentiam myſterii, quàm propter Redemptionem ſolam.* Quomodò ergò in hac occaſione dicere, quòd non debeamus tribuere Deo quicquid eſt illi magis honorificum, ſalvari poteſt. Primò per hoc, quòd non adeſt præceptum exhibendi Deo omnes actus honoris nobis poſſibiles. Cum enim dicitur *magis honorificum*, intelligitur de aliquo uno inter multa. Undè ſaltem applicari debuit non omnibus actibus honoris, ſed actui majoris honoris. In quo ſenſu falſa etiam eſſet propoſitio, & injurioſa Deo, ut dicemus. Sed reverà præceptum, ad quod ea obligatio reduci poteſt, eſt de tribuendis, aut certè non negandis Deo omnibus perfectionibus, quod includitur in præcepto fidei, & ejus profeſſionis. Quomodò item ſalvari poteſt per negationem honoris extrinſeci, poſiti in oſtenſione divinarum perfectionum relucentium in creaturis perfectioribus, & perfectioribus, dum agebatur, utrum Deus amaret,

ret, & intenderet omne bonum creaturarum, quas facit, tàm magis, quàm minus perfectarum, & an id de eo affirmandum eſſet tamquàm honorificentius, quàm oppoſitum? Quæ perfectio tribuitur Deo in ſacris literis Sapient. 11. *Diligit omnia, quæ ſunt.* Nempè ſecundùm totam bonitatem. Et relucet in homine, & in aliis agentibus creatis amantibus partus, & opera ſua, & totam illorum bonitatem; imò etiam ex illorum imperfectione etiam defectus. Huc uſque C.

16 Gratis inquit B. aſſeritur à C. Omnes honoris actus poſſibiles non poſſe reduci ad eam propoſitionem, cum non niſi de actibus honorificis utrobique agatur; ac proindè reſpectu propoſitionis dici non poſſunt remoti. Certum quoque eſt, nos debere exiſtimationem habere de prædicatis divinis, tùm abſolutis, tùm reſpectivis, & de hoc prædicato *quod eſt illi honorificentius*, quàm negativo. Id tamen abſolutè verum non eſt, ſed cum hac diſtinctione, quoad potentiam, quia Deus poteſt efficere quicquid illi poteſt eſſe honorificentius; non autẽ quoad actũ, de quo non conſtat, dum controvertitur, & eſt in opinione, ut patet ex allatis exemplis de Incarnatione, & Conceptione. Non enim Deo tribuendus eſt honor, quòd aliũ mundum creaverit, ſed ſolùm quòd poteſt illum creare, *honor* enim *Regis diligit judicium*, Pſal. 98. 4. & veritatem diligit Deus, non mendacium, ex quo nullus honor oriri poteſt.

17 Neque verum eſt, quòd conceſſerit ſimplicitèr antecedens, ſed ſolùm quoad potentiam, non ſecundùm actum; Thomiſta enim illud concedere non poteſt ſecundùm actum, dum ſentit, Verbum nullo modo incarnatum, niſi propter Redemptionem, aliàs non incarnandum, ſi Adam non peccaſſet. Nec placet, quod dicit ibi, his verbis: *Cum enim dicitur magis honorificum, intelligitur de aliquo uno inter multa.* Nam quid eſt hoc unum inter multa, niſi myſterium Incarnationis in ſe, quod ſemper ſupponit, aliàs probandum? Præterquamquòd non ſubſiſtit forma ſyllogiſtica, dum propoſitio univerſalis fingitur ſingularis. Rejicitur quoque quod ſubdit: *Undè ſaltem applicari debuit non omnibus actibus honoris, ſed actui majoris honoris.* Quia omnis actus honoris ſivè poſitivè, ſivè comparativè oſtendit Dei honorem, & laudem.

18 Neque quod ſubjicit de hoc ſuo præcepto, reduci ſcilicèt ad præceptum fidei, & ejus profeſſionis, placet, tùm quia ſpectat ad virtutem Religionis, qua honor Deo redditur 2. 2. *qu.* 81. *art.* 2. *&* 4. tùm quia ea, quæ ſub opinione cadunt, non ſpectant ad fidem, tùm quia ſupponit præceptum, quod non eſt, ex probatis ſuprà.

19 Demùm verum eſt, Deum diligere omnia, quæ ſunt; omnibus enim creatis vult bonum, dum illis dat eſſe, quod bonum eſt, *ex D. Thoma part. 1. q. 20. art. 2. q. 23. art. 3. ad primum, &* 1. 2. *q.* 110. *art.* 1. & cum omnia Dei opera ſint perfecta, totam earum bonitatem diligit, aliter mancus eſſet in ſua dilectione, quod dicendum non eſt. Sed ex his nihil contrà G. & R.

20 Proſequitur C. impugnando his verbis. Quo ad ſecundùm, expoſi-

expoſitio de negato præcepto omnium actuum honorum poſſibilium, eſt nimis impropria, quia propoſitio aſſerit, non eſſe tribuendum Deo, quod eſt illi magis honorificum, nempè, unum ex duobus, vel pluribus; undè ad ſummum explicari poteſt, ut neget Deo maximum honorem poſſibilem ex præcepto. Hoc ergo & falſum eſſe, & dignum cenſura, ſic probatur. Maximus honor poſſibilis eſt latria, ſeù ſervitus, & ſubjectio omnium maxima, quæ fit per maximam æſtimationem excellentiæ, & majeſtatis Dominicæ, & exhibitionem ei factam ſui ipſius omni meliori modo. Hoc autem procul dubio Deo debetur ex præcepto legis Naturæ, quæ dirigit hominem ad Deum per virtutem Religionis, quæ virtus ſecundùm Auguſtinum includit ſubjectionem totius hominis ad Deum, intellectus per fidem, voluntatis per ſpem, & amorem, & omnium facultatum per obſervantiam mandatorum.

21 Et quamvis, inquit C. homo in præſenti vita non teneatur ſemper inſiſtere actibus divini obſequii, quia non poteſt, tenetur tamen in patria, ubi & habet, & habere debet totas vires paratas ad nutum, & obſequium Dei. Hìc verò tenemur ad ſacrificium, quod eſt maximum inter obſequia exteriùs præſtabilia, & tenemur interiùs ad æſtimationem ſummam, quæ à nobis haberi poſſit, divinæ majeſtatis, & excellentiæ, tamquàm ſummi, boni primi omnium rerum principii, & ultimi finis; & hanc æſtimationem tenemur, quandò adeſt occaſio, profiteri, & teſtari uſque àd ſanguinis effuſionem, & mortem.

22 Hæc, inquam, obligatio eſt legis Naturæ, & ad hunc honorem à nobis exigendum ſpectat univerſum opus Dei: *Quia à nobis nihil magis requirit, quàm ut per actus noſtros nomen ſuum magnificetur ab omnibus*, ait Aug. cap. 9. de Vita Chriſti. Et hoc ipſum eſt meta, & ſcopus operum Dei mirabilium, ait Valentia *tom. 3. diſp. 6. p. 1. ex Roman. 6. Epheſ. 3. Philip. 1.* Hoc ſenſu dicitur Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, quia Sapiens, ut dicebat Epicurus: *Omnia agit propter ſemetipſum*. Et magnanimus, ſecundùm *Ariſt. ad Nicom. 3.* incumbit magnis honoribus, operando ſecundùm excellentiores virtutes, cum nihil melius honore ſit inter bona externa. Deo verò nihil ex creaturis præter honorem reſultare poſſit. Quod ſi etiam præceptum potiſſimum requiris. Huc ſpectat primum mandatum. *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Exodi 20. *Si ego Pater ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi ego Dominus ſum, ubi eſt timor meus, dicit Dominus exercituum?* Malach. 1. *Adorato Domino Deo tuo*. Deuter. 26. *Honora Deum ex tota anima tua*. Eccl. 7. *Deum adora*. Apocal. 19. & 22. Etiam de templo Domini dicitur 2. Machab. 3. quòd *Reges, & Principes locum ſummo honore dignum ducebant. Et adorate ſcabellum pedum ejus*, ait David Pſal. 98. Et de ſacrificio ei offerendo, extant in Exodo, & Levitico præcepta non ſolùm quoad ſacrificii ſubſtantiam, ſed etiam quoad offerentes tabernaculum, vaſa, cæremonias, & alias circunſtantias, quæ erant myſteria ſacrificii Euchariſtiæ,

chariſtiæ, quod offertur modò ab Eccleſia.

23 Cum igitùr nullus major honor externus dari poſſit, quàm ſacrificium, nullus major internus, quàm æſtimatio ſumma divinæ majeſtatis, & hæc Deo debeantur, falſum eſt dignum cenſura dicere, quòd Deo non debeatur ex præcepto potiſſimi, & maximi actus honoris, qui dari poſſint. Huc uſque calamus C.

24 Satis, dico ego B. prolixus eſt ſermo, & verus, quoad ſacrificium, latriam, & alios actus à C. recenſitos, ſed non probant, nec faciunt ad hanc controverſiam. Quia diſcurſus prælibatus eſt certus, & de fide; ideò hæreticus eſt dicens, Deo illos actus honoris latriæ, ſacrificii, &c. ex præcepto non deberi, qui poſſunt dari Deo. Materia autem, quæ controvertitur, non eſt de fide, nec de latria, nec de ſacrificio, & aliis ad ipſū ſpectātibus, ſed de aliis actibus honoris, qui controvertuntur, quorum honor non tribuitur Deo, cum ſint in opinione hominum, ut eſt Incarnatio propter ſe ipſam, de qua non conſtat, niſi quòd eſt intenta ſolùm pro Redemptione, ac proindè in hoc ſenſu ſolùm honor Deo debetur.

25 Obſervandum autem eſt, quòd latria, & ſacrificium in ſuis actibus, tùm externis, tùm internis, ſunt perfectiſſima quoad ſubſtantiam, & eſſentiam, quibus aliud præſtantius excogitari non poteſt; & ideò talis honor Deo in illis tribuendus eſt, quo major Deo non eſt dabilis. Tamen quoad exercitium, ſicut fidelis non tenetur tales actus perfectiſſimè exercere, dum ſufficit, quòd benè fiant; non enim homo habet præceptum melius faciendi, ſed ſolùm benè facere, niſi aliqua lege exprimatur, *Gloſ. V. Qui præſtantior, cap. licet* 15. 8. *q.* 1. illud comparativum reſolvens in poſitivum, *P. Navara lib.* 2. *de Reſtit. cap.* 1. *num.* 59. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 6. *ex illis Megal.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 31. *nu.* 21. Undè melius omittens non peccat, ſi bonum agat, ut ibidem dicitur, ità neque perfectiſſimum in illis honorem de Deo prædicare, ſed talem, qualem importat exercitium; alius enim eſt alio melior in exercendo, & nihilominùs omnes eorum actus ſunt boni, quia illis nihil deeſt de requiſitis ad bonitatem; nullum ergò debitum, nullum præceptum tribuendi Deo honorem majorem, quem non exigit exercitium boni operis erga Deum. Turba de Chriſto, ut legitur Marci cap. 7. num. 37. dicebat: *Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*. Et cap. 1. Geneſ. referens Moyſes creationem omnium rerum, non loquitur poſitivè, quòd bonæ ſunt, & id ſex vicibus dixit, cur ſemper poſitivè loquutus fuit? Ratio ea eſt, quia non plus debebat laudare Deum in operibus externis, quàm ipſa ejus opera referebant, & ſemel uſus fuit comparativo verbis extremis ejuſdem capitis. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Non dixit optima, quia non ſemper id fecit. Et quamvis Deus ſit laudabilis nimis *Pſal.* 47. 2. & alibi, non ideò id præcipitur, quia ſufficit laudare. Itaque non de omnibus habemus debitum tribuendi Deo quicquid eſt illi melius, & honorificentius, cum omnia nun fecerit in gradu comparativo,

utique

utique debemus magnificare ejus infinitam omnipotentiam, & Sapientiam ſecundùm eſſe, non ſecundùm actum, & ea, quæ cadere poſſunt ſub opinione.

Demùm propè finem confundit præceptum poſitivum cum jure naturæ, ut clarè colligitur ex allatis auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, quæ ferè omnes ſunt juris Decalogi, & naturæ.

26 Suum C. proſequitur diſcurſum his verbis: Quoad tertium, quòd nempè injurioſum ſit divinæ majeſtati ponere aliquam ejus honorificentiam, ſeù honorabilitatem in creaturis perfectioribus nondùm poſitis. Probo tripliciter. Primò, oſtendendo, quòd Dei honorabilitas augeri non poteſt; & oppoſitum eſt contrà communem omnium exiſtimationem. Deindè cum honor Dei, qui non conſiſtit in obſequiis creaturarum, nullus in creaturis dari poſſit, nec ullus intelligi, niſi impropriè, nempè, vel de merito honoris, vel de augmento meriti, quorum prior dici poteſt honor meritoriè, poſterior arguitivè; probabo concluſionem. *Secundò* oſtendendo novum eſſe, & inauditum, quòd meritum divini honoris reſultet, vel ullo modo augeatur ex creaturis, fiatque major ex majori, & majori perfectione creaturarum. *Tertiò* falſum, & graviſſima cenſura dignū eſſe, dicere, quòd ex creaturis jam poſitis non conſtet tota dignitas honoris, quam habet Deus; & quòd eadem dignitas, & honorabilitas etiam arguitivè augeri poſſit per poſitionem creaturarum perfectiorum, & perfectiorum.

27 Prima probatio, inquit C. facilis eſt, nempè infinito non poteſt fieri acceſſio, divina autem, ſivè dicatur excellentia bonitatis, & perfectionis, ſivè majeſtatis, cui nempè honor debetur; undè Antiquis hæc Dea fuit mater honoris, & reverentiæ, infinita eſt, ergò infinitè honorabilis, infinita, inquam, & qua major, aut melior excogitari non poſſit; imò nec ipſa quidem quanta eſt, apprehendi poteſt. Undè D. Anſelmus in Proſ. cap. 15. *Domine*, inquit, *non ſolùm es, quo majus excogitari nequit, ſed etiam quiddam majus, quàm cogitari poſſit*. Atque hæc eſt exiſtimatio in primis omnium Theologorum, qui juxtà hæc principia Anſelmi tribuunt Deo quicquid eſt illi melius, & honorificentius habere, quam non habere, putantes, nimirùm, nihil ei deeſſe poſſe, quod ad illius perfectionem, & honorabilitatem ſit conducibile. Hoc diſcerniculo, præter teſtimonia Scripturarum ponunt in Deo libertatem in operando ad extrà, preſcientiam futurorum, ſcientiam conditionatorum, obligationem bonacitatis, & fidelitatis &c.

28 Eadem eſt exiſtimatio omnium Chriſtianorum putantium, Deum eſſe abiſſum omnium perfectionum excogitabilium, ſeù potiùs eſſe perfectùm infinitiès, ſuprà quam cogitari poſſit, & nihil amabile, nilvè honorabile poſſe illi deficere. Denique eſt exiſtimatio etiam Gentilium; qui ideò appellabant Jovem optimum maximum, quia nullam bonitatem, nullam excellentiam illi deeſſe judicabant, & conſequentèr nullum honoris meritū, cum hoc ſequatur bonitatem, ſeù excellentiam bonitatis, juxtà re-

 ceptam

ceptam doctrinam Ariſt. 4. ad Nicom. cap. 3. *Majore honore dignus eſt, qui eſt melior, maximus verò, qui eſt optimus.* Hinc perſuaſum eſt hominibus, non poſſe Deo reddi totum honorem, quem meretur, & eſſe infinitè honorabiliorem, quàm honorari poſſit, ſivè ab hominibus, ſivè ab Angelis; idque pertinet ad infinitatem ſingularem Dei perfectionum, ut non poſſint augeri, nec ullà re creata adæquari. Undè quemadmodum Deus non poteſt facere, nec ſcire omne, quod ſcire poſſet in actu primo ex defectu objectorum ſcibilium, ità nec poſſe honorari pro merito, & dignitate.

29 Hinc Eccleſ. 43. 33. dicit: *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis, major enim eſt omni laude.* Bernardus in Pſal. Qui habitat, poſtquàm dixerat honorandos eſſe Sanctos Angelos Cuſtodes, ſubjungit, *Totus tamen ei reddatur amor, & honor noſter, à quo tàm ipſis, quàm nobis eſt totum, undè honorare poſſimus, vel amare, undè amari, honorarive meremur.* Imò in lib. de Vita ſolitaria, in fine, Ad Deum *cogitandum omninò impares ſumus, ſed ignoſcit, quem amamus, & de quo digne nos non poſſe, vel dicere, vel cogitare, confitemur.* Et Auguſt. in Pſal. 134. ſuper verſ. Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus. Affert illud Chriſti apud Matthæum 19. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*; & ſic proſequitur: *Hanc ſingularitatem bonitatis ejus, & præterire brevitèr nolo, & commendare congruè non ſufficio. Sic tamen Fratres accipite me, & laudantem, & non ſufficientem, ut etiam, ſi non impleatur laudis ipſius explicatio, acceptetur laudatoris devotio. Approbet me ipſe volviſſe, ignoſcat non impleviſſe.*

30 Ea propter quamvis D. Thomas 2. 2. q. 82. art. 5. ponat, religionem inter virtutes morales habentes medium, proteſtatur tamen in reſp. ad 3. non poſſe in ea dari ſuperfluum ſecundùm circunſtantiam quanti, quia Deo non poteſt exhiberi, quantùm debetur, ſed æqualitatem poni ſecundùm quàmdam conſiderationem humanæ facultatis, & divinæ acceptationis. Quod tamen intelligendum eſt de honore externo, vel etiam interno entitativè, non objectivè; nempè honor, ut rectè notat Valentia tom. 3. diſp. 6. p. 1. ex recepta doctrina Ariſt. 8. Nicom. cap. 8. Duo dicit, unum de formali, hoc eſt, exiſtimationem excellentiæ honorati; alterum de materiali, actus nempè omnes, qui fiunt in teſtimonium prædictæ exiſtimationis, ſivè ipſi honorato, ſivè aliis. Itaque reſpectu Dei in actibus his tàm extrinſecis, quàm intrinſecis, medium, & ſuperfluum dari poteſt, tantùm quoad entitatem, & præſertim quoad aliquas circunſtantias, præſertim temporis; minimè verò objectivè, in exiſtimanda Dei excellentia. Quia Deus non poteſt exiſtimari major, quam ſit, imò nec quantus eſt, ut diximus.

31 Secunda quoque probatio C facilis eſt. Deus enim eſt honorabilis infinitè, eſſentialitèr, & neceſſariò; undè repugnat eſſe honorabilem meritoriè ob creaturas; omnis enim honorabilitas eſt intrinſeca honorato, & illum perficit; & quamvis homo perficiatur, & evadat honorabilior per

opera-

Digitized by Google

operationes virtutis. Id de Deo dici non poteſt, ut potè cui repugnat ulla perfectio accidentalis adventitia, & defectibilis. Undè non ſolùm oſtenſione ipſa extrinſecùs poſita non poteſt reddi perfectior, & honorabilior, ſed nec etiam ipſo ſuo decreto libero quatenùs tali in quocunque dicatur conſiſtere; quia tàm perfectus, & tàm honorabilis eſt Deus cum creaturis exiſtentibus, ut non plus quantùm erat, antequàm illas produceret, & quantùm eſſet, ſi nihil extrà ſe producere decreviſſet; quin etiam honor extrinſecus Deo exhibitus, ſicut & amor, & cætera obſequia non ſunt bona Deo, ſed nobis, ſicuti blaſphemiæ damnatorum non ſunt malæ Deo, ſed ipſis. Quare creaturæ omnes quantæcunque ſunt, reſpectu Dei nihil ſunt; Non ergò poteſt ullo modo honorabilitas Dei pendere ex creaturis. Et injurioſum eſt dicere de Deo, quòd aliquis ejus honor poſitus ſit in creaturis, quæ non ſunt, & ab eo non ponuntur, aut poni poſſunt, ut ſunt creaturæ perfectiores, vel optimæ ſimpliciter, quia hoc ipſo aſſeritur deeſſe Deo aliquem honorem, ſeù majus aliquod meritum honoris; & ipſum non poſſe pertingere ad aliquem gradum honorabilitatis. Nec, inquam, locutio inhonorat Deum, ſicut inhonoraret Regem liberalem, ſed ſobrium; qui diceret, honorem Regis conſiſtere in faciendis conviviis ſumptuoſioribus, & ſumptuoſioribus, quia per hoc ſignificaret deeſſe illi aliquod meritum honoris regalis.

32 Tertia probatio eſt hujuſmodi C. quamvis divina majeſtas, & honorabilitas innoteſcat per creaturas, undè poſſit dici impropriè, quòd ejus honor ſit poſitus in oſtenſione ſuarum perfectionum in creaturis. Falſum eſt tamen, poſſe Deum reddi oſtenſivè honorabiliorem per poſitionem creaturarum perfectiorum, & perfectiorum, quia honor, qui Deo debetur modò mediis creaturis, non eſt diverſus ab eo, qui illi debetur ob ſuam intrinſecam majeſtatem; hunc autem oſtenſum eſt augeri non poſſe, quia nec major honor exhiberi Deo poteſt, quàm latria, nec divina majeſtas major, aut evadere, aut apparere poteſt per quaſvis creaturas; quàm modò apparet ex creaturis exiſtentibus; apparet enim tota eo modo, quo apparere poteſt; nempè analogicè, enigmaticè, & ex parte: Apparet, inquam, tota divina, digna ſupremi cultus, reverentiæ, & ſubjectionis, teſtante Apoſtolo ad Rom. 1. quòd *inviſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Undè & ineſcuſabiles dicit fuiſſe Gentiles, *quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Et certè creatura non poteſt aliter divinam perfectionem oſtendere, quàm ut veſtigium, vel ut imago. Neutra autem ratio non deeſt in univerſo, & quidem ſuo modo, nempè arguitivè utraque repræſentat totum, quia Deus eſt indiviſibilis, & non poteſt niſi totus repræſentari. Poteſt quidem repræſentare perfectiùs, & clariùs, ſed hoc non faceret Deum honorabiliorem; ſicut Rex aliquis alienigena v.g. poſtquàm per teſtimonia fide digna ſufficientèr aſſerviſſet ſuam dignitatem, non fieret poſteà

honorabilior per hoc, quòd novi teſtes idem confirmarent, vel literæ ſcriptæ venirent clarioribus caracteribus, vel etiam in multiplici idiomate; quamvis tunc ejus dignitas fieret manifeſtior. Et ob eandem rationem non eſt venerabilior Deus Beatis, qui ipſum vident claré, quàm nobis, qui per enigmata; quamvis ratione ſtatus poſſint illius cultui liberiùs, & toto prorsùs conatu incumbere. Falſum itaque eſt uudequoque dare aliquem honorem Dei extrinſecum, poſitum in oſtenſione &c. de quo honore verificari poſſit propoſitio. *Non debemus tribuere Deo quicquid eſt illi magis honorificum*. Quaſi honor Deo debeatur ad menſuram perfectionis creaturarum, oſtendentium illius perfectiones, & non potiùs ipſarum perfectionum oſtenſarum.

33 Et ex his, quæ hucuſque diſputata ſunt, apparet ad cenſuram illarum opinionum non fuiſſe neceſsè deſcendere ad quæſtionem: *An Deus faciat*, *vel teneatur facere melius*, *aut optimum*, ut recurrit reſpondens coactus vi argumenti, ſed perperàm, quia in eo agebatur de non intendenda, vel intendenda excellentia myſterii Incarnationis in ipſa Incarnatione jam poſita, quod non eſt ponere, vel non ponere melius in creaturis, ſed divinitatem in Deo, ut diximus ſuprà. Hæc hucuſque C. quibus in ſequentibus à B. reſpondetur.

34 Ponit ergò C. hanc propoſitionem. Injurioſum eſt divinæ majeſtati ponere aliquam ejus honorabilitatem in creaturis perfectioribus nondùm poſitis. Ego autem B. ſentio oppoſitum. Probo, quia Deus relucet in omnibus creaturis præcipuè perfectioribus, per ſuam omnipotentiam; eſt enim principium omnium rerum; ergò non ſolùm in poſitis, ſed etiam in non poſitis, & ponibilibus. Conſequentia probatur, quia omnipotentia reſpicit non ſolùm poſitas, ſed etiam ponibiles; ergò in his omnibus honorandus eſt; ſicut enim melius eſt eſſe, quàm non eſſe, ità melius eſt eſſe poſſibile, quàm non poſſibile, quia nihil eſt. In omnibus ergò creaturis honorandus Deus, & hoc inſinuatur in Canone Miſſæ antè orationem Dominicam, ubi dicitur. *Eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor*, *&* *gloria*. De quo univerſali honore, & laude D. Joan. Chryſoſt. tom. 3. de incompar. Dei nat. contrà Amonæos Homil. 3. ſub initio, loquitur his verbis: *Invocemus Deum ipſum*, *quem illi maledictis laceſſunt*, *nos omni laude proſequamur*, *&* *honore*. Neſcio ex his, qua ratione C. vocet hanc propoſitionem mox probatam, eſſe injurioſam, cum ſit de honore Dei, qui omni laude, & honore dicitur dignus; omnis enim creatura ab ipſo eſt, à quo bonum habet, propter quod in eo relucet.

35 Tres autem probationes refert pro ſua propoſitione, qua dicit, injurioſum eſſe divinæ majeſtati ponere aliquam honorabilitatem in creaturis nondùm poſitis, mox à nobis reprobata.

36 Prima probatio eſt, quòd honorabilitas Dei non poteſt augeri, quia infinito non poteſt fieri acceſſio, divina autem bonitas, & perfectio eſt infinita; ergò infinitè honorabilis tali infinitate,

qua

qua major, aut melior excogitari non poteſt.

37 Ego autem B. probo augmentum honoris Dei, de quo 1. Reg. 2. 29. *Magis honoraſti filios tuos, quàm me.* loquentis ad Heli Sacerdotem, qui omnia permittebat ſuis filiis Ophni, & Phinees, in grave dedecus honoris divini in ſacrificiis. Deindè Deus quærit ſuum honorem à filiis hominum, Malach. 1. 6. *Ubi eſt honor meus?* non quærit honorem ſibi ablatum; ergò augmentum habiti, & inauferibilis. Ulteriùs in Eccleſia Deus oratur pro augmento virtutum fidei, ſpei, & charitatis; ſi ergò in fidelibus augentur virtutes, cur non in Deo augetur honor, qui eſt virtus exhibens reverentiam, & laudem Deo.

38 Nec his obſtat allatum C. argumentum, quod ſolùm probat, ſubſtantialem Dei perfectionem nullatenùs augeri, cum in ſe ſit actu infinita, & cum proindè nihil ei deſit, nihil addi poteſt. Ratione verò exercitii, & denominatione extrinſeca, & ſecundùm noſtram exiſtimationem à nobis Dei honor augetur. Et certè C. auctoritates probant, quod nos dicimus, nam ab eo allata auctoritas Eccl. his verbis: *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis, major enim eſt omni laude.* Manifeſtè tale honoris augmentum indicat, ſiquidem comparativum, ſecundùm gradum exceſſus neceſſariò arguit acceſſionem, & acretionem. Et ex his patet, quoque auctoritates Sanctorum nobis non obſtare, ſed ſolum arguere noſtram imbecillitatem ad laudandum Deum, non verò negare honoris acretionem, juxtà illud Sequentiæ Corporis Chriſti: *Quantùm potes, tantùm unde, quia major omni laude, nec laudare ſufficis.* Hoc indicat noſtram imbecillitatem ad laudandum, illud verò noſtram acceſſionem, & incrementum ad laudandum Deum; laus enim eſt effectus honoris.

39 Secunda C. probatio eſt, quòd Deus non eſt honorabilis meritoriè ob creaturas, quia omnis honorabilitas eſt intrinſeca honorato, & illum perficit, qua perfectione uti accidentali, & defectibili non eget Deus. Id verum eſt, ſi ſermo ſit de honorabilitate inter homines, nam hæc eſt illis accidentalis, & defectibilis, & egent, dum eam deperdunt ſuis demeritis; Deus ergò non eſt honorabilis hoc modo, nec ob creaturas, in quibus non eſt excellentia honoris. Vel, dic quòd Deus non eſt honorabilis, quaſi in ſe aliquid accipiat à creaturis, quod ante non haberet, dicitur enim in Pſal. 12. 2. *Quoniam bonorum meorum non eges.* Deus ergò nullius bonorum eget, ac proinde noſtro non eget honore, nos tamen debitum habemus illum honorandi, Eccli. 7. 33. *Honora Deum ex tota anima tua*, quia noſter Dominus eſt. Honor ergò, & quilibet actus bonus Deo tribuendus eſt, adeo quòd ipſi, & nobis bonus eſt, juxtà illud *Ariſt.* 1. *Eth. cap.* 5. Honor eſt in honorante, & honorato, quod etiam docet *Gloſ. v. Honor l.* 5. §. *Eſt enim ff. de Var. & extraord. cognit.* Eſt enim honor præmium virtutis in utroque exiſtentis; dicitur enim in Pſal. 45. 1. *Deus noſter refugium, & virtus*, & hominis virtus eſt honorare, & laudare Deum, cum ab ipſo Deo præcipiatur.

Sub-

40 Subiungit C. quòd Deus tantus eſt nunc Deus, quantus antè creationem mundi. Id nil aliud probat, niſi quòd tunc nihil ad ipſius honorem actu exercebatur, cum nondùm eſſet creatura intellectualis, ut nunc eſt, & ſic honoratur nunc, quo honore carebat extrinſeco, non defectu ſui, ſed creaturarum. Subiungit iterùm, quòd honorabilitas Dei non pendet à creaturis. Id verum eſt dependentia indigentiæ; tamen ex hoc non negatur Deo honorabilitas per creaturas, cum præcipiatur; ſed ob creaturas, quia Deus earum honore non indiget, eſto enim creaturæ nihil ſint reſpectu Dei, aliquid tamen ſunt, quia Dei opus ſunt, & operantur dantes honorem & laudem Deo. Subiungit tertio eſſe iniurioſum Deo, dicere, quòd aliquis ejus honor ſit poſitus in creaturis non poſitis, nec ponendis, quia per hoc aſſeritur, Deum carere aliquo honore. Jam probavi ſuprà id apertum falſum eſſe, quia quælibet creatura, ſive poſita, ſive poſſibilis, arguit Dei omnipotentiam, quæ honor eſt illi eſſentialis, creaturis accidentalis. Confirmatur id, quia non eſt iniurioſum dicere, quòd verbum procedere ex cognitione creaturarum poſſibilium, ut plerique tenent cum Cajetano ad art. 3. q. 33. parte 3. ergò nec dicere, quòd Deus honoratur in creaturis poſſibilibus. Demùm qui laudat Regem de ſobria liberalitate in conviviis, non ideò illum inhonorat, ſed laudando ſic honorat, niſi exprimat, illum in hoc ſolùm eſſe liberalem, quia cum hac taxativè ſignificat illi deeſſe aliquod meritum regalis honoris. C. non adiecit in hoc exemplo taxativam, ne contra eum poſſet inferri, ejus argumentum probare ſolùm in caſu taxativo.

41 Tertia probatio C. eſt, quia divina majeſtas, & ejus honorabilitas nobis innoteſcit per creaturas impropriè, analogicè, & enigmaticè ſecundùm Apoſtolum; ex quò infert, non poſſe Deum oſtenſivè reddi honorabiliorem per cognitionẽ creaturarum perfectiorum, quia honor Dei mediis creaturis modò non eſt diverſus ab eo, qui illi debetur ob ſuam intrinſecam majeſtatem, qui non poteſt augeri, quia illi major honor latria exhiberi poteſt, nec ejus divina majeſtas evadere, aut apparere poteſt major per cretauras; quàm modò apparet ex creaturis exiſtentibus.

42 Ego autem B. dico, verum eſſe Deum per Viatores cognoſci præfata cognitione enigmatica ſecundùm Apoſtolum, ex ea tamen malè infertur, per eã Deum non reddi honorabiliorem, cum Deus Viatoribus commendet ſuum honorem, ſed in tantùm Deum honorant, in quantùm illum cognoſcere poſſunt; nimirum, ſecundùm magis, & minus; nam Sancti Patres, & Theologi, & inter hos aliqui magis perfectè aliis, & omnes præfati in majori perfectione Deum enigmaticè cognoſcunt, quàm faciunt imperiti, cum ergò in his appareat comparativa cognitio, non tamen oſtenſiva, ſed tantùm arguitiva, certò infertur honorem Dei augeri. Et ex his patet ad argumentum C. quod ſolùm loquitur de honore ſubſtantiali divino, qui idem eſt reſpectu ipſius Dei, & Viatorum, non verò loquitur de

eodem

eodẽ honore exercito à creaturis, cujus actus modò ſecũdùm majorem fervorem, & devotionem, modò ſecundùm minorem exerceantur, & ideò Deus comparativè à Viatoribus honoratur, unde in Sacris Scripturis non ſemel legitur. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Comparativè per exceſſum nimis, id eſt, multùm laudabilis, valdè laudabilis, à nobis igitur laudatur ſecundùm magis, & minùs ex conditione laudantis, ac proinde eodem modo honoratur; laus enim eſt effectus honoris.

43 Subiungit C. quòd creatura poteſt repręſentare clariùs, & perfectiùs Deum, ſed hoc non faceret Deum honorabiliorem, probans id exemplo Regis, ad quod dico, id nos facere Deum intrinſecè honorabiliorem, utique extrinſecè, & ſecundùm noſtram exiſtimationem; ea enim repręſeotario uti perfectior perfectiorem debet tribuere honorem per extrinſecam denominationem; ſicut & Rex evadit eò honorabilior in hominum exiſtimatione, quò ejus dignitas tot modis manifeſtatur, quàm ſi unico tantùm innoteſceret. Et id perſvaderi poteſt, quia qualis cauſa, talis ejus effectus, ea enim hunc in ſe continet; ſed cauſa hìc manifeſtat in gradu comparativo, ergò & in gradu comparativo perfectiorem effectum honoris producit; patet id exemplo albedinis, quæ quò major eſt, albiorem producit parietem. Et ex his patet contra C. Deum eſſe venerabiliorem Beatis, quàm nobis, quia illi clarè vident, nos in ænigmate; ſicut ergò noſtra cognitio eſt valdè infirmior, & obſcurior, beatorum verò valentior, & clara viſio, ità per eam magis veneratur Deus à beatis, quàm à nobis, quibus ex noſtra imperfectione veneratio minoratur, & minus tribuitur Deo.

44 Ex prædictis C. putat falſum eſſe, dare honorem aliquem Deo extrinſecum, eſſe poſitum in oſtenſione, de quo honore poſſit verificari propoſitio G. hæc: *Non debemus tribuere Deo quicquid illi eſt magis honorificum*. Quaſi honor Deo debeatur ad menſuram perfectionis creaturarum, oſtendentium illius perfectiones, & non potiùs ipſarum perfectionum oſtenſarum.

45 Ego B. hìc dico primò, eam propoſitionem eſſe veram, juxtà probata initio; nemo enim tenetur meliùs agere, ſed ei ſufficit benè facere. Secundò oppono C. duas auctoritates Sacræ Scripturæ, nam Apoſtolus 2. Corinth. 3. 5. inquit: *Sufficientia noſtra ex Deo eſt*, qui, ut legitur Ephes. 4. 7. eam nobis menſurat ſecundùm magis, & minùs, illis verbis: *Unicuique enim noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*, ut docet ibidem Lyranus; & ad Rom. 12. 3. *Et unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*. Et infrà num. 6. *Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes*. Ergò ſecundùm hanc differentiam magis, vel minus homo Deum honorat ſecundùm menſuram ſuæ perfectionis à Deo acceptam.

46 Demùm concludit C. ex ſuis dictis contrà G. non fuiſſe illi neceſſarium recurrere ad quęſtionem: an Deus faciat, vel teneatur facere meliùs, aut optimum, quia in argumento agebatur de

non

non intendenda, vel intendenda excellentia myſterii Incarnationis in ipſa Incarnatione jam poſita, quod non eſt ponere, vel non ponere melius in creaturis, ſed divinitatem in Deo.

47 Ego dico, fuiſſe talem reſponſionem neceſſariam, nam ejus argumentum fuit hoc: *Honorificentius eſt Deo dicere, Incarnationem eſſe factam propter excellentiam myſterii, & Redemptionem*. Rectè ergò & ad propoſitum reſpondit. *Nos, inquit G. non debemus Deo tribuere, quod eſt illi honorificentius*. Nam ſi conceſſiſſet, ſuccubuiſſet, meritò ergò negavit tributum in gradu comparativo; non enim talis honor Deo tribuendus eſt, quem non habuit in ſententia Thomiſtarum.

48 Proſequitur C his verbis: quia tamen ad illam doctiſſimo etiam cenſori deſcendere viſum eſt, adhærendo negativè. Dicam ego C. quid ſentio, ſupponendo priùs, quod tantùm abeſt, ut ex illius ſolutione argumentum ullum peti poſſit ad negandum, quòd Deo conveniat quicquid eſt illi melius, & honorificentius, ut potiùs illa, ſicuti cæteræ de divinis perfectionibus quæſtiones, non alitèr, quàm per majorem Dei honorabilitatem decidi debeant, quia non minùs eſt prædicatum extrinſecum Deo hujuſmodi, ſive obligatio, ſive neceſſitas, ſive major propenſio, ſi datur, quàm eſſe liberum juſtum, miſericordem &c. aut ergò honorificentius Deo eſt teneri ad optimum, & dicendum eſt teneri; aut honorificentius non teneri. Et dicendum eſt non teneri; longè enim certius eſt, & evidentius Deo convenire, eique tribuendum quicquid eſt illi melius, & honorificentius, quàm quòd teneatur, vel non teneatur ad optimum; eſtque illud principium univerſale ad omnia, ut ſuprà diximus. Et quicumque negant, ipſum teneri ad melius, & optimum, ex eo id probant, quia putant honorificentius eſſe Deo, non eſſe alligatum ulla neceſſitate quoad creaturas, ſed habere omnimodam, & abſolutam libertatem.

49 Sed contrà ego B. dico, perfectiones poſſibiles extrinſecas ità reſolvendas eſſe per majorem ſcilicet honorabilitatem, attenta Dei omnipotentia; non autem ſi perfectio ſpectetur in actu, & negetur Deo probabiliter, quia in hoc caſu tantùm abeſt, ut honorificetur Deus, quòd potiùs inhonoretur ab eo, qui opinatur oppoſitum, cum in hoc ſit falſus, & mendax, dum Deo tribuit factum, quod non fecit; in hoc ergò Deus non honoratur, ſicut ſi illi tribuerem plures mundos jam actu feciſſe.

50 Subdit C. his verbis: ego video, illos magna æquivocatione laborare, non diſtinguentes inter melius, vel optimum abſolutè; & melius, vel optimum comparativè, inter incompoſſibilia, hoc eſt, inter optimum factu. Ad optimum, vel melius abſolutè non poteſt teneri Deus, quia utrumque eſt chimera. Optimum enim, quod non conſiſtit in indiviſibili, eſt impoſſibile, quia eſſet Deus. Melius, & melius eſt impoſſibile, quia actio determinata non poteſt habere terminum indefinitum; hoc ipſo autem quòd determinari debet, jam non ponitur melius, & melius, ſed neceſſariò relinquitur melius; at

melius,

melius, & optimum factu in quavis contingentia, & eſt poſſibile, & conſiſtit in indiviſibili, nempe, in attingendo medium exactè; ad hoc autem teneri Deum, probatur tùm à priori, tū à poſteriori.

A priori probatur ab eodem
51 C. quia facere ſemper quod eſt optimum factu comparativè ad finem, hoc eſt, eligere optimum medium, vel attingere medium exactiſſimè, eſt perfectio agentis ſimpliciter ſimplex, ſeù indicat perfectionē ſimplicitèr ſimplicē, & eſt honorabile magis, quàm oppoſitum; ergò non debet negari; alioquin negaretur ipſi perfectio ſimpliciter ſimplex, & non eſſet optimus. Confirmatur, quia alioquin poſſemus concipere Deum meliorē; melior enim eſſet Deus, qui cum cæteris perfectionibus haberet hanc quoque agendi ſemper, quòd melius eſt, quod eſt contra receptam doctrinam S. Anſelmi mox traditam. Quòd autem melior eſſet Deus, & eſt ex ſe manifeſtum, & probatur ex perfectione hominis, qui ex eo laudatur, & perfectus dicitur, quòd ſemper eligit optimum ex eligibilibus.

52 Neque dicas, aliam eſſe perfectionem Dei, aliam hominis, quia homo ſubeſt legi, Deus non item, & ideò non eſſe illam arguendam ex iſta. Nam contra eſt, quia ſi Dei perfectio in operando æquivocè tantùm conveniret cum hominis perfectione, ineptè ſeipſum illi Deus proponeret in exemplum perfectionis, dicente Chriſto Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Sanè humana ratio eſt participatio rationis divinæ, (unde colligit Aug. 3. de liber. arb. cap. 5. *Id, quod vera ratio dictat nobis faciendum, factum à Deo judicari debere*). Et quamvis humana perfectio non conveniat cum divina perfectione univocè, quia aliud eſt optimū eligibile à Deo, aliud ab homine; convenit tamen analogicè, quia ſicut homo deliberatè operans, operatur propter finem, & illius laus conſiſtit in eligendis mediis melioribus, & oportunioribus ad illum conſequendum; ita & Deus operatur propter ſemetipſum, tamquàm propter finem ultimum, & propter creaturam rationalem, tamquàm propter finem proximum, & ſecundùm, & cætera omnia eligit in utilitatem creaturę rationalis, & honorem ſuum. Differt verò, quia Deus ipſum honorem ſuum non quærit, ut bonum ſibi, ſed ut bonum nobis, nam reſpectu ſui nihil eſt, nobis autem plurimùm prodeſt; unde Aug. in Pſal. 103. *Laudare ſe vult Deus, & hoc ut ſic proficias, non ut ille ſublimetur, non eſt omninò, quòd illi retribuas, & quòd exigit, non ſibi, ſed tibi exigit, tibi proderit, tibi ſervatur.* Falſum autem eſt, Deum non ſubeſſe legi; ſubeſt enim non alienæ, ſed ſuæ; ut ait D. Bernardus de dilig. Deo cap. ult. dicens. *Nihil ſine lege relinquitur, cum ipſa quoque lex omnium ſine lege non ſit, non tamen alia, quàm ſeipſa, quæ eſſe ipſam & ſi non creavit, regit tamen*. Et D. Thomas in 1. diſt. 4. q. Un. art. 3. ad Anibalem. *Secundùm modum intelligendi, bonitas Dei ſe habet ad voluntatem Dei ut movens, ſapientia ut dirigens*. Et part. 1. q. 21. art. 1. ad 2. *Impoſſibile eſt Deum velle, niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet, quæ quidem eſt ſicut lex juſtitiæ, ſecundùm quam*

ejus voluntas recta, & justa eſt; undè quod ſecundùm ſuam voluntatem facit, juſtè facit, ſicut & nos, quod ſecundùm legem facimus, juſtè facimus, ſed nos quidem ſecundùm legem alicujus ſuperioris, Deus autem ſibi ipſi eſt lex. Et alioquin ſequeretur maximum inconveniens, quòd nempè licitum eſſet Deo operari perperàm, & invertere ordinem naturæ abſque emolumento, & permittere dæmonibus, ut omnia animalia interimerent, elementa ſuis locis dimoverent, mutare legem naturalem, permittere, ut homo ipſi non crederet dicenti non fidem promittenti, coleret idola pro Deo, &c. quæ nullus admittet.

53 Sequerentur autem, inquit C. hæc omnia abſurda, quia nulla Deo convenit perfectio, niſi ſumma, undè ſicut ei non tribuitur ſcientia, quæ non ſit certiſſima, & clariſſima; ità non poteſt admitti obligatio operandi benè, niſi ſit operandi optimè; alia enim eſt ratio de homine ignoto, & infirmo, alia de Deo optimo, & infinitè Sapienti; ipſe enim aut operari debet juxtà bonitatem, & ſapientiam ſuam, & operari debet perfectiſſimè; aut non tenetur operari juxtà illarum dictamen, & poterit efficere quodlibet.

54 Pro rejectione dictorum à C. notandum eſt ex D. Thoma part. 1. q. 25. art. 6. & ex Scoto in Report lib. 2. diſt. 34. verſ. De primo, bonitatem, ſeù perfectionem in rebus dici dupliciter, eſſentialiter, & accidentaliter, occaſione hujus quæſtionis, an Deus poſſit facere meliora, quæ fecit, & reſpondet D Thomas negativè quo ad eſſentiam, quia ſpecies ſunt ſicut numeri, quibus nihil addi, nec detrahi, niſi cum eorum deſtructione, ut notum eſt; utiquè verò accidentaliter ſinè deſtructione, faciendo quamlibet rem pro ſuo arbitrio magis, vel minùs bonam, vel perfectam. Quare pono hanc concluſionem contrà C.

55 Deus ſemper facit res perfectas juxtà exigentiam naturæ ſingularum, perfectione eſſentiali, ſi abſolutè ſpectentur; relativè verò, unam facit meliorem alia ſecundùm ſpeciem; eaſdem verò ſecundùm perfectionem accidentalem non ſemper facit meliores, ſed pro ſuo arbitrio modò perfectiores, modò minùs perfectas, tàm ſpectatas in ſe, & abſolutè, quàm reſpectivè inter ſe. Quare Deus non ſemper facit, quod melius eſt. Ità coligo ex Suarez opuſc. 4. de libert. vol. divinæ ſect. 1. de Lugo diſput. 2. de Incarnat. ex illis Paulus Areſius Epiſcopus Derthonenſis in Apocal. Velit. 6. Excurſ. 1. fine, ubi illos citat, & Excurſ 4 num. 14. ubi Melius dicitur abſolutè, & reſpectivè, à quo ſupponit C. ubi Areſius dicit, Deum non ſemper operari, quòd melius eſt abſolutè, utique, quod eſt melius reſpectivè.

56 Probo autem primum, quod Deus ſemper operatur res perfectas in ſe ipſis ſpectatas, & abſolutè conſideratas ſinè magis, & minùs, quia eas non faceret, ſed deſtrueret, ſi earum naturam, & eſſentiam alteraret; cum enim eſſentia cujuslibet rei ſit indiviſibilis, non poteſt admittere majorem, nec minorem perfectionem, quia divideretur, & ſic mutaretur ejus eſſentia; impoſſibile enim eſt, quòd indiviſibile ſit diviſibile,

viſibile, ex quo caret partibus ſecundùm magis, & minùs. Undè Moyſes cap. 1. Geneſis, loquens diſtributivè de operibus ſex dierum, ſingulas res à Deo creatas dixit eſſe bonas in gradu poſitivo, non in gradu comparativo, quia eas produxit ſecundùm ſuam legem ordinatam in ipſis rebus, quibus ſingulis aſſignavit proprias naturas, & eſſentias, ſicut numero denario aſſignantur decem unitates, quarum unius detractione, vel additione non minoratur, nec melioratur denarius, ſed omninò deſtruitur. Loquens verò de eiſdem collectivè ſumptis in fine ejuſdem capitis, dixit. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, hoc eſt, paritèr bona, quia nihil eis de ſuis intrinſecis deerat, ſed unaquæque in ſe erat bona, non dicitur melior, quia ei nihil addi poteſt, niſi cum ſui deſtructione: Sacra ergò Scriptura non utitur comparativo, quia Deus in operando non minuit, nec auget, & non excedit res, ne deviet à ſua lege, per quam ſingulis adſcripſit naturam immobilem, & invariabilem.

57 Probo ſecundum, quòd quandò comparatur una res cum alia reſpectivè ad earum eſſentias, nulli dubium eſt, Deum creare unam rem, creare meliorem alia in bonitate eſſentiali, nam melior eſt eſſentia hominis, quàm bruti; auri, quàm argenti, hujus, quàm ferri. Nec iſta comparatio adverſatur mox dictis, quaſi deſit aliquid ſubſtantiale ei, quæ reſpectivè non eſt melior, & quæ eſt melior aliquid ſuprà propriam eſſentiam habeat ejus naturam complentem, ſed ſic comparantur inter ſe ſecundùm totam eſſentiam unius ad alteram in ſuis ſpeciebus, quarum una eſt perfectior eſſentialitèr altera. Confirmatur, quia Deus conſtituit Sacramenta veteris legis inferiora Sacramentis novæ legis, quæ longè perfectiora illis ſunt, quæ noſtrorum figuræ erant. Item Chriſtus quoad humanitatem minoratus infrà Angelos.

58 Probo tertium, quòd una res à Deo fieri poſſit melior, & non tamen ſemper fiat talis bonitate, ſeu perfectione accidentali, in ſe ſpectata, & abſolutè; quia ait Salomon de ſe Sap. 8. 19. *quòd ſortitus eſt bonam animam*, hoc eſt, meliorem, quam illi Deus potuiſſet dare, ac proinde minorem; ſi enim ei dedit meliorem, quòd eſt plus, potuiſſet ei dare eam inferioris bonitatis, quia qui poteſt plus, poteſt etiam minus, ut experientia docet. Quòd autem illud *bonam animam* accipiatur pro meliori, patet ex eo, quod in plus facit differre animam Salomonis ab animabus aliorum, ergò ſumitur comparativè; quod confirmatur ex illo Pſal. 117. 8. *Bonum eſt confidere in Domino, quàm in homine* ideſt melius eſt, poſitivum enim ponitur pro comparativo, ut notat Navar. tom. 3. cap. Charitas diſt. 2. de Pœnit. §. Ergò numer. 6. Deindè comparitivum ſemper ſupponit poſitivum, *Ariſt. cap. De quali, & 2. Topic. loco* 41. Unde nec illud tollit, *Sanch. lib. 7. diſp.* 11. *num.* 15. *arg.* 2. Ergò poteſt poni à Deo. Et id magis probatur ex Sententia Thomiſt. nam Deus poterat creare animam Mariæ Virginis ſine peccato originali, quòd eſt melius, & tamen non creavit, ſecundùm illos, quòd eſt minus. Poteſt ergò Deus reſpectu

ſpectu ejuſdem ſecundùm magis, & minus operari pro ſuo arbitrio, & non ſemper operari, quod melius eſt. Sic ad rem noſtram Deus fecit Incarnationem ſolùm propter Redemptionem ſecundùm Thomiſtas, quam etiam poterat facere propter excellentiam myſterii; non ergò ſemper fuit melius.

59 Probo quartum, Deum ſcilicèt non ſemper facere melius etiam reſpectivè, ſed quandoque uni melius, alii minùs ſecundùm perfectionem accidentalem, ex Sacra Scriptura, ad Timoth. 6. 17. *Qui præſtat nobis omnia abundè*. Ad Titum 3. 6. *Quem* ſc. Spiritum Sanctum, *effudit in nos abundè*. Deus in nobis bona ſua abundat in gradu poſitivo, & quandoque in gradu comparativo, Joann. 10 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Et cap. 3. ad Ephef. 20. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundantèr, quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis*. Quibus verbis uſus fuit S. Thomas part. 1. q. 25. art. 6. ad id probandum, quod diximus, ubi quoque ad 4. dicit, quòd nihil melius potuit fieri, quàm Chriſtus, & Maria, ut Mater Dei; de qua S. Bonavent. in Speculo B. V. inquit cap. 8. *Ipſa eſt, qua majorem Deus facere non poteſt, majorem mundum facere poteſt, majorem matrem, quàm Dei matrem non poteſt*. Optimum ergò opus, quod ultrà perfici non poterat, & ſic non tantùm melius, ſed optimum; undè Eccleſia canit: Elegit eam, & prælegit, ſcilicèt ſuper omnes creaturas.

60 Ad argumentum ſupradictum C. factum à priori, quòd ſcilicèt ex negatione, quòd Deus ſemper faciat melius, vel optimum, auferatur à Deo perfectio ſimpliciter ſimplex; & illud eſſe magis honorabile, quàm oppoſitum. Reſpondeo, nullatenùs tolli eam perfectionem, quia cum perfectio ſimpliciter ſimplex ſit illa, qua melius eſt ipſum eſſe, quàm non ipſum eſſe, *ex Anſelm. in Monolog. cap. 15. apud Scotum in 1. diſt. 2. q. 7. num. 39.* Sed eſt illa, quæ excludit omnem imperfectionem compoſitionis; undè non reſpicit opera Dei ad extrà, ſed tantùm ejus eſſentiam, ut eſt incompoſitus, & puriſſimus actus, abſque eo, quòd reſpiciat extrà ſe; neque enim ex operatione habet, quod ſit talis, cum ad eam ſupponatur, etiam ante conceptum proceſſionis in divinis. Nec verum eſt, quòd magis honorabile eſt ſemper optimum operari, cum id ſit contrà naturam rerum, & earum ordinem, cum non omnes ſint æquales, nec ſimiles, nec eædem; Deus ergò in earum operationibus diverſimodè operari debet ſecundùm ſuam legem, qua illas diverſificavit in ſuis naturis. Confirmatur, quia varietas in modo operandi arguit honorem in agente, & pulchritudinem in rebus; dicitur enim Exodi 26. 31. *Velum pulchra varietate contextum*. Eſter. 2. 6. *Quod mira varietate pictura decorabat*. Et in Pſal. 44. 10. de Regina, quæ eſt Eccleſia, dicitur. *Circumamicta varietate*. Varietas ergò ornat rem, quam pulchram facit, & dignam laude, qua non carere debet earum factor, & Creator.

61 Cætera, quæ C. dicit de lege, qua tenetur Deus, non aliena,

ſed

ſed ſua, concedo; nondùm tamen inveni in Sacra Scriptura, quòd Deus ex ſua lege debeat facere, quod melius eſt, vel optimum; imò talis lex divina dabilis non eſt, quia ſi Deus teneretur ſemper facere optimum, in rebus non daretur diverſitas, inæqualitas, nec diſſimilitudo, quia optimum non admittit magis, & minùs. Demùm, quòd omnis Dei perfectio debeat eſſe perfectiſſima, & ſumma, non tollit diverſitatem modi operandi, benè, melius, & optimè; imò magis eam talis modus operandi oſtendit ex ſua infinitate modorum operandi. Confirmatur id, quia modus operandi non conſtituit perfectionem in agente, ſed eam ſupponit, quæ cum in Deo ſit ſumma, & infinita omnibus modis, & diverſimodè operari poteſt, ſinè aliquo ejus detrimento.

62 Proſequitur C. & à poſteriori probat ſuam concluſionem, quòd Deus ſemper melius, vel optimum facit ſic: Quia re ipſa in univerſo optimum eſſe conſtat ex ſacris literis, nam Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Et Pſal. 103. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus*. Idemque ſupponit Ariſtoteles frequentiſſimè in toto opere phyſico, præſertim in lib. de Motu animi cap. 4. tàm in ordine naturæ, quàm gratiæ, ſupponit D. Aug. toto lib. 3. de lib. arb. ubi tradit hanc regulam. *Quicquid ſibi vera ratione melius occurrerit, ſcito feciſſe Deum tamquàm bonorum omnium conditorem*.

63 Reſpondetur ex probatis, Deum non ſemper facere melius, undè ad auctoritatem Gen. dicit S. Thomas part. 1. q. 47. art. 2. ad primum. *Sic igitùr & Deus totum univerſum conſtituit optimum ſecundùm modum creaturæ, non autem ſingulas creaturas, ſed unam alia meliorem. Et ideò de ſingulis Creaturis dicitur* Gen. 1. *Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona, & ſimilitèr de ſingulis. Sed de omnibus dicitur: Vidit Deus cuncta, quæ fecit, & erant valdè bona*. Patet ergò ex S. Thoma, Deum unam rem feciſſe alia meliorem, & ſic unam non feciſse meliorem, ſed minus bonam; datur enim exceſſus ſupra meliorem. Et illud *valdè* non importat melius bonum, niſi reſpectu alicujus inferioris, cum ſupra ſe poſſit eſſe aliquid melius; dicimus enim e. g. ille homo eſt valdè bonus, ſed poteſt fieri melior, & per hoc nondùm dicitur perventus ad optimum, Deus ergò non ſemper melius, non ſemper optimum operatur, ſed ſemper bonum, & perfectum, ſed difformiter ſecundùm magis, & minus, juxtà exigentiam, & naturam ipſarum rerum, quæ in ſuis perfectionibus valdè differunt. In Pſal. 110. Nihil contra nos; nemo enim negat opera Dei eſſe magna, & exquiſita, hoc eſt accuratè, & diligenter procedentia à voluntate Dei, qui facit omnia quæcunque vult, nulla mentione facta de meliore, vel optimo. Demùm verba D. Auguſt. cap. 5. non obſtant, quia paulò ante dixerat hæc: *Cujus profectò largiſſima bonitas juſtiſſimè laudaretur, etiamſi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidiſſet*. Ergò poterat nos condere gradu inferiori, & propter hoc adhuc eſſet Deus laudandus. Illud ergò verbum *Melius* non ad opus, ſed ad argumentum, & ra-

& rationem ex parte hominis referendum eſt.

64 Proſequitur C. his verbis: Supponunt denique in actu exercito omnes Theologi. Hi enim in quæſtionibus facti, quæ ex Sacris literis ſolui nequeunt, examinant congruentias, & pro illa parte judicium ferunt, pro qua plures, vel pauciores congruentiæ eorum judicio militant; ſic probant puritatem Conceptionis Deiparæ; ſic Chriſti impeccabilitatem; ſic legem naturalem obligationem &c. quod utique ſupponit hanc præventionem naturæ, quòd Deus, utpotè agens optimum, non efficiat niſi id, quod eſt maximè congruum. Neque auditu digna eſt reſponſio Bernal. quòd tota probabilitas harum argumentationum innitatur tantùm ipſis congruentiis; minimè verò alicui inclinationi in Deo ad id, quod eſt magis congruum. Nam omninò ſtultus eſſet, qui ſciens, judicem, coram quo litigat, nihil reſpicere ad merita cauſarum, ſpem victoriæ poneret in majori merito ſuæ cauſæ.

Sed contrà ſcribit B. quia meliores congruentias, imò & loca Sacræ Scripturæ, & Patrum, ac Doctorum habet noſtra opinio urgentia Adverſarios. Confirmatur, quia Deus in operando ſervat ſuas leges, quas ab æterno præſcripſit creaturis, ab eo in tempore producendis ſecundùm naturam, & eſſentiam earum; cum enim non ſint æquales, Deus ex neceſſitate ſuæ legis non poteſt producere eas, ſi velit, niſi juxtà earum exigentiam ſecundùm magis, & minùs, ex quo una eſt alia perfectior. Quare non eſt magis congruum, quòd Deus ſemper faciat id, quod melius videtur, ſed quod eſt tale ex parte rei; nulla enim congruentia perſuadet homini docto, ut Deus meliori modo producat aurum, quàm hominem, ſed ratio dictat, quòd melior ſit creatio hominis, quàm auri, & conſequentèr falſum eſt, eſſe congruentius, & honorabilius dicere, Deum ſemper melius, vel optimum facere, dum operatur ſecundùm legem ſuam, quæ illi dictat inæquales operationes ad extrà, ſic exigente natura rerum creandarum. Illud ergò adverbium *ſemper* deſtruit legem ipſius Dei, & non producit creaturas ſecundùm legem ſuam, ſed potiùs impedit earum eſſe; ac proindè ex Adverſariorum opinione ſequuntur hujuſmodi abſurda, quæ nec imaginatione digna ſunt.

65 Proſequitur C. his verbis: Tandem optima electio in operibus Dei omnibus, patet conſideranti cuncta, & totum. Undè nos, qui non comprehendimus totum, neſcimus reddere rationem convenientiæ ſingularum rerum Beati autem, qui comprehendunt, præſertim poſt univerſale judicium, quandò divinum opus quaſi dramma ad ultimum uſque actum repræſentatum fuerit, videbunt, tàm benè, tàm optimè, tàm ſapientèr omnia facta, & ordinata, ut nihil melius deſiderari potuiſſet. Interim verò contemplativi cognoſcunt optimum eſſe ex parte, quia communicatio divinæ bonitatis, quæ hæc non poteſt ſecundùm totum, facta eſt per omnes gradus bonitatis, & per modos omnes uſque ad ſummum, nempè per unionem hypoſtaticam. Creaturæ intellectuales

les factæ ſunt fortè omnium ordinum, & ad eas omnes inſtruendas fortaſſe ſpecies rerum corporalium conditæ ſunt, certè quòd ſatisfacerent præcipuè quoad numerum, & ideò dicitur Deus creaſſe omnia in numero; pondere, & menſura. Undè D. Dionyſius de div. nom. *Oportet in hoc videre veram Dei eſſe juſtitiam, quòd omnibus tribuit propria, ſecundùm uniuſcuiuſque exiſtentium dignitatem, & cujuſque naturam in proprio ſalvat ordine, & virtute.* Cui concinit D. Thom. qu. 21. art. 1. *Et excludenda temeritas illorum eſt, qui dicunt, melius Deus feciſſet, ſi ſic feciſſet, ut de diſpoſitione cœlorum blaſphemavit Alphonſus.*

66 Ex his nihil contrà nos, inquit B. infertur, imò pro nobis, ex ſententia D Dionyſii, ibi: *Omnibus tribuit propria ſecundùm juſtitiam*, hoc eſt ſecundùm ſuam legem æternam, qua ſibi præſcripſit modum producendi creaturas in tempore juxtà earum naturas, & perfectiones eſſentiales, in quibus non defecit, quia alitèr eas non feciſſet, ſed alias; undè ſi fecit eas ſecundùm legem à ſe conſtitutam *Benè fecit omnia* Marcii 7. 37. quia legem ſuam ſervavit, & in nullo unqnam eſt tranſgreſſus. Illa D. Thomæ verba: *Melius Deus feciſſet, ſi ſic feciſſet*, non ſic ſunt intelligenda, quòd Deus ſemper faciat id, quod melius eſt, ſed eum habent ſenſum, quòd Deus feciſſet melius e. g. Lunam faciendo luminare majus, quaſi erraſſet, tribuendo virtutem illuminandi minorem lunæ; benè ergò fecit hæc duo luminaria ſecundùm magis, & minùs, & unum fecit alio melius; ergò lunam inferiorem Sole, & ſic eam non fecit meliorem Sole; ergò non ſemper facit melius, nec optimum.

67 Proſequitur C. his verbis: Si autem Deus feciſſet creaturas perfectiores his, quas fecit, quantùm ad aliquid, non egiſſet melius, ſed minùs benè, minuſque proindè eſſet laudabilis. Sicuti ſi etiam Pater, & Spiritus Sanctus incarnati eſſent, quod fuit alterum exemplum mihi reſpondentis. Et ratio eſt aperta, quia Deus non amat creaturas ut finem ultimum, ſed tantùm ſemetipſum; illas autem amat ut medium, etiam intellectuales aliquo modo, nec illis fruitur, ſed utitur, ut ait Aug. in primo de Doctr. Chriſti, in mediis autem non attenditur bonitas abſoluta, ſed relativa, non magnitudo, ſed congruitas, & aptitudo. Hanc autem eſſe exactiſſimam in rebus creatis reſpectu ſui finis, itaut in eis nihil deficiat, aut redundet, conſtat ex dictis, & judicari debet ex eo, quod ipſe fecerit, etiamſi alitèr videatur. Nam Deus ſeipſum amat infinitè, & cætera omnia pro menſura propriæ cujuſque bonitatis. Et hæc de prima propoſitione principali dicta ſint ſatis.

68 Ex quibus apparet, eam, utcumque explicetur, non poſſe cenſuram effugere, & quocunque ſe vertat, illi obviàm ire. Meretur enim, ſi intelligatur, ut debet, ad ſenſum argumenti negare Deo, quod amet aliquam bonitatem creatam, & quòd in Incarnatione intenderit etiam bonitatem intrinſecam ipſius myſterii, quia ponit aliquam, imò maximam bonitatem in univerſo, quæ reſpectu Dei ſit caſualis, & præter

præter intentionem. Et cum tres ſpecies honoris allatæ non ſint propriè tres honores, ſed unus formalitèr, conſiſtens in obſequiis creaturarum meritoriè, & virtualitèr in intrinſecis Dei perfectionibus, arguitivè verò in creaturis illis manifeſtantibus.

69 Meretur item, ſi neget in creatura rationali præceptum dandi Deo ſummum honorem poſſibilem, & excogitabilem, quia negat dari præceptum latriæ; meretur, ſi ſignificet, deficere Deo aliquem honorem, qui deberetur propter creaturas perfectiores, quia ſupponit, aliquem Dei honorem pendere meritoriè ex creaturis, quaſi non ſit in illo meritum ad omnem honorem ex ſuis intrinſecis perfectionibus, utpotè quòd poteſt augeri, & interim aliquis honor ei negari. Meretur, ſi intelligat, meritum ipſum honoris divini intrinſecum majus apparere poſſe in creaturis perfectioribus creabilibus; ideoque nunc aliquem honorem negari Deo poſſe propter defectū oſtenſionis ſuarum perfectionum in creaturis perfectioribus, quia ſupponit, Deum in creaturis exiſtentibus non ſe ſufficientèr manifeſtaſſe, ut Deum dignum ſupremo honore, qui poſſit tribui Deo, hoc eſt latria.

70 Denique fruſtrà proprium impropriari, & detrahi ad ſignificandum, quòd Deus non facit optimum, vel non tenetur ad optimum, quia quodlibet horum dicatur, illud affirmandum eſt eſſe Deo honorabilius. Et negare, quòd Deus faciat ſemper id, quod eſt optimum factu, eſt ſaltem temerarium; negare verò, quòd ſemper faciat, id ex quo æquè benè ſemper honorabilis eſt, nempè, ſummè, propè abeſt ab hæreſi.

71 Contrà eſt primo, quia omninò falſum, Deum creaturas minus benè feciſſe, ſi poterat facere perfectiores, quas non fecit, ſive eſſentiali, ſivè accidentali perfectione, quia quod ad perfectionem eſſentialem eas non feciſſet, ſed alias diverſæ ſpeciei; non enim eſſentiæ minuuntur, vel augentur, cum ſint indiviſibiles, & ſi variantur, illæ res non ſunt, ſed aliæ diverſæ in ſpecie; & ſic nec minùs, nec magis benè feciſſet eas, cum eas nullatenùs feciſſet. Si verò loquamur de perfectione accidentali, poteſt facere illas cum minori perfectione, relicta majori pro ſuo arbitrio, cum hæc ſit variabilis; patet id exemplo Conceptionis Virginis, quæ ſecundùm Thomiſtas accidit cum minori perfectione, dum facta fuit ſinè præſervatione à peccato originali, à quo nihilominùs potuiſſet eam præſervare, & præſervavit ſecundùm ſententiam Scotiſtarum; minoris ergò perfectionis fuit Conceptio Virginis reſpectu illorum, qui admittunt poſſibilitatem, & negant actum. Attende ulteriùs ad ſenſum duplicem illorum verborum. Non egiſſet *melius*, *ſed minus benè* ſc. ſi Creaturas Deus perfectiores feciſſet, quas fecit, nam *minus benè* facit hunc ſenſum ideſt defectuosè, qui eſt malus, quia Deus nihil defectuosè facit, cum de eo Scriptura dicat: *Benè fecit omnia*, ut dictum fuit ſuprà, & hunc relinquamus Adverſario, cum ſit malus, & accipiamus ſecundum, qui cum nullum importet defectum, ſed bonitatem creaturæ

pro-

proportionatam, ſed non tantam, quam poſſet habere, Deum ſinè dubio honorificat, & laudat e.g. magis laudabilior eſt ſublevatio Præcurſoris antè nativitatem ejus, ſi tamen ſublevatus, & emundatus fuiſſet ab originali poſt ortum remedio ordinario, adhuc laudabilis, & perfecta fuiſſet illius emundatio, ſed non tanta laude, qua prior, & hoc minus non dicit imperfectionem, quia Deus in hoc non deficit, aliter in omnium redemptione pro remedium ordinarium, omiſſo privilegiato, deficeret, quod nullus ſanæ mentis dicere poteſt. Addit aliud exemplum de Incarnatione, nam ſi cum Verbo Pater, & Spiritus Sanctus fuiſſent incarnati, ſecundùm Thomiſtas, qui hoc poſſibile putant, impoſſibile verò Scotiſtæ, fuiſſet melior Incarnatio; ergò minùs benè Incarnatio ſolius Verbi. In hoc caſu poteſt laudari Incarnatio à poſſibilitate tantùm, non ab actu, quia ſolum Verbum de fide eſt incarnatum, ex quo infertur non dari hìc reſpectu actus nec melius, nec minus benè, dum non datur reverà Incarnatio omnium trium perſonarum; ſola ergò laudatur poſſibilitas. Hanc verò, ut dixi, negant ſimpliciter Scotiſtæ; ergò ex hoc capite nihil eſt laudabile, cum impoſſibile nihil ſit; ideò nec laudandum, nec vituperandum.

72 Contrà ſecundo, quia affert rationem de amore Dei, qui amat ſeipſum tamquàm ultimum finem, creaturas verò ut media ad illum finem, & illis utitur, non fruitur. In mediis autem non attenditur bonitas abſoluta, ſed reſpectiva &c. Neſcio quomodo ex his inferat cenſuram in prima propoſitione, quæ eſt, Deum non ſemper facere quicquod illi melius eſt, & honorabilius, quàm ait G. non poſſe effugere, quia quocunque ſe vertat, eam ſemper ſibi obviam habet. Nam id non probat ratione convincente, nec ullam Sacræ Scripturæ auctoritatem refert, dicentem Deum ſemper melius, vel optimum facere; ſolùm Scriptura loquitur in gradu poſitivo his verbis: *Benè omnia fecit. Omnia Dei opera perfecta ſunt.*

73 Contrà tertio, quia illa propoſitio eſt digna cenſura, quæ eſt falſa, vel quia eſt hæretica, vel quia ſuſpecta de hæreſi, vel quia eſt contrà bonos mores, in ſententia omnium; ſupradicta autem propoſitio, *Deus non ſemper facit, quod melius eſt, vel optimum,* non eſt falſa ex prædictis capitibus, cum non ſit hæretica, nec de hæreſi ſuſpecta, nec contrà bonos mores, nihil enim horum probavit Adverſarius, nec probare poteſt; reſtat ergò, quòd ſit indigna cenſuræ, cum probatum ſit, eam eſſe veram, & legitimam. Confirmatur, quia eſt in opinione multò probabiliore, quàm ſit oppoſita; ergò cenſurari non poteſt, ſicut non poteſt opinio de maculata Conceptione cenſurari, eſto noſtris temporibus multò probabilior ſit oppoſita, & colligitur ex Bulla Alex. VII.

74 Contrà 4. quia dicta propoſitio nullam negat bonitatem creatam amari à Deo, qui omne bonum amat; unde aſſertam bonitatem myſterii Incarnationis Deus amat ſecundùm Scoticeam admittentes, non verò ſecundùm Thomiſtas, quia ab

his negatur, ac proindè cum ſit nihil; à Deo amari non poteſt, cum objectum amoris ſit bonum, non verò nihil. Neque ex his ſequitur, bonitatem universi eſſe caſualem reſpectu Dei, quia fecit mundum valdè bonum, non caſu, ſed conſilio voluntatis ſuæ, quæ ſemper tendit in bonum.

75 Contrà 5. eſto latria ſit ſummus honor Deo dandus propter ejus infinitam excellentiam, cum ſit creator omnium, tamen ei tribuendus non eſt honor earum rerum, quæ non fecit, cum nihil ſint in actu, ſed tantùm in potentia, undè ſufficit laudare, & honorare ejus potentiam, in quo caſu honor eſt minor, quàm cum honoratur ut in actu productor rei, & ſic datur magis, & minùs, quoad exercitium in cultu latriæ, *cap. Ex parte* 12. *de conſt.* non obſtante, quòd illa in ſua ſpecie ſit perfectiſſimus cultus. Quoniam autem non datur excellentia myſterii, aliàs dabilis; ideò Deo in hoc non tribuitur honor, qui non poteſt terminari ad nihil. Nullus ergò honor deficit Deo, nec ullus Dei honor pendet à creaturis, ſed ab illis Deo tribuitur, cum adſint perfectiones ab eo productæ in creaturis, neque enim actiones Dei imaginariæ honorantur; ſed quæ reverà ſunt; neque enim Thomiſtæ honorare, & laudare poſſunt immaculatam Conceptionem, quam negant, eſſent enim mendaces, non colentes Deum, neque ejus matrem. Quare concludo, Deum taliter eſſe adorandum, & honorandum ab homine, qualitèr ſe illi manifeſtavit, & non alitèr, neque enim objectum honoris, & laudis poteſt eſſe aliquid incognitum.

76 Et ex his patet, non eſſe temerarium, ſed rationabilitèr dictum, quòd Deus non ſemper facit, quod eſt melius, vel optimum, nec proindè benè Adverſarium pronuntiaſſe ex ſuis argumentis, eam propoſitionem propè abeſſe ab hæreſi, cum ex oppoſitis à nobis conſtet, propoſitionem G. eſſe veram, rationabilem, & legitimam.

77 Proſequitur C. his verbis: Jam exemplum illud: *Honorificentius eſſet Chriſto, ſi plures actus meritorios egiſſet; plura ſuſtinuiſſet; plures actus charitatis eliciuſſet, quæ tamen communitèr non tribuuntur*. Procul dubio injurioſum eſt Chriſto, & damnabile, quia re ipſa Chriſtus *omnia contemnendo, quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo, quæ horreſcunt, & omnia faciendo, quæ mirantur*, ut ait Aug. in lib. de vera relig. operatus eſt ex tota virtute, quam habebat, & ad menſuram finis, & voluntatis divinæ præſcriptam, nec potuit plura ſuſtinere, nec plures actus charitatis, & meriti elicere, cum elicuerit ex totis viribus, & ſemper, & omnis illius actus cujuſvis potentiæ, utpotè procedens à charitate, meritorius fuerit, nec proindè mereri majorem honorem per plures actus, aut paſſiones. Et qui oppoſitum aſſerit, eſt illi inimicus, quia ſupponit non amaſſe, & meruiſſe, quantùm potuit, nec ſuſtinuiſſe, quantùm expediebat.

78 Contrà eſt, quia ſtat firma catholica propoſitio G. quòd honorifi-

norificentius eſſet Chriſto, ſi plures alios actus feciſſet, nam Chriſtus à ſuis operibus laudatur, & honoratur, ut ex pluribus locis colligitur Lucæ 4. 15. *Et ipſe docebat in Synagoga eorum, & magnificabatur ab omnibus*, & cap. 18. fine dicitur: *Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Et Marci 7. in fine laudatur Chriſtus à miraculis, quæ faciebat *Et eo ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui*. Et quòd ex operibus quiſque conſequatur honorem, teſtatur ipſe Chriſtus Matth. 15. extremis hiſce verbis: *Non eſt propheta ſinè honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua.* Sicut ergò Chriſtus nunc honoratur in ſuis operibus jam factis, ità & honoraretur in aliis pluribus, ſi ea feciſſet, & ſic extenderetur ejus honor, & laus, quod non fit.

79 Quare falſum eſt, eam propoſitionem eſſe Chriſto injurioſam, nec ex D. Auguſt. id colligitur, ſed ſolùm hoc, quòd omnia, quæ fecit, ea ex tota virtute ſua ea fuiſſe operatum juxtà præſcriptũ divinæ voluntatis, quicquid enim fecit, fuit perfectiſſimum, ut docet *D. Thomas part.* 3 *q.* 44. *art.* 3. *ad* 2. quod non adverſatur præfatæ propoſitioni de ejus majori honore, ſi alia opera feciſſet; meruiſſet ergò majorem honorem ex aliis operibus perfectiſſimè faciendis, ſicut ex prioribus jam factis.

80 Subjungit C. Ait quidem Doctiſſimus Cenſor, ideſt R. potuiſſe plus honoris mereri, quia de potentia abſoluta potuerunt augeri habitus, & multiplicari actus interni, & externi, & paſſiones.

81 Sed contrà primo opponit ſe C. quia ſic diſtrahitur propoſitio ad ſenſum difficilè cogitabilem, quæ nimia clementia eſt in cenſendis propoſitionibus, præſertim quoad ſenſum offenſivum divini honoris, & piarum aurium, tunc enim accipi debent in ſenſu obvio, qualis in caſu noſtro eſt, de pluribus actibus elicibilibus per facultates actu in Chriſto exiſtentes. Qui enim diceret: Honorificentius futurum fuiſſe Pitagoræ, Platoni, Ariſtoteli unum Deum colviſſe, & aliis prædicaſſe, intelligeretur ſupponere, quòd de facto potuerint, ut ait Apoſt. ad Rom. 1.

82 Opponit B. gratis enim aſſeritur à C. ſenſus oſtenſivus divini honoris, cum id non probetur; imò laudatur Deus in diverſis hiſce modis, quibus operatur; undè nec piæ aures offenduntur, ſed ædificantur. Certum quoque eſt eſſe honorificentius colere Deum, & aliis prædicare, quàm alterum tantùm præſtare, dum multiplicatur Dei cultus, ſicuti honorificentior fuiſſet incarnatio facta, ſi fuiſſet propter utrumque, & propter Redemptionem, & propter excellentiam myſterii, ut dicit Adverſarius; ex multiplicatione ergò actuum latriæ cum magno honore augetur Dei cultus. Cur in hoc admittitur comparativum, & in illo negatur? Potuerunt ergò non de facto, ut falſò ſupponi dicitur ab eo, ſed ex divina illuminatione illi Gentiles utrumque facere cum majori honore, quàm alterum tantùm agere. Quid autem dicat ad ſuum propoſitum Paulus, non refert,

verum quidem eſt, quòd ex textu nihil colligi poteſt contrà R. qui ſano modo locutus fuit.

83 Proſequitur C. his verbis: Deindè dato, quod potuerit intendi habitus, & multiplicari actus, adhuc injurioſum eſt Chriſto dicere, quòd illi fuiſſet magis honorificum, quia ſupponit dari aliquem gradum honoris majorem, qui tunc ei deberetur, & modò non debeatur, quod falſum eſſe patet ex dictis. Quantacunque enim aucta fuiſſet Chriſti Charitas, & plures ſuſcitaſſet, ſanaſſet &c. nullus major honor dari poſſet, aut deberet, quàm latriæ, & hyperduliæ, qui de facto datur; unde interpratatio non poteſt aptari integrè propoſitioni reſpondentis, honorificentius eſt Chriſto plures actus elicuiſſe, &c.

84 Contrà eſt, quia ex intentione habitus, & multiplicatione actuũ nihil injurioſum ſequitur in Chriſto, cum habitus, & actus ſint qualitates bonę, & dignæ omni honore, cum ſint virtutes, & actus virtuoſi, ac proinde inferunt in eo honorem, non injuriam. Falſum quoque eſt, quòd aliquis gradus majoris honoris tunc ſit debitus, & modò non; ſiquidem nullo modo eſt debitus, nec tunc, nec nunc, nec ante, nec poſt, quia cum intenſio, nec actuum multiplicatio poſſibilis, quæ pro nulla temporis differentia exiſtit, nihil ſit, non poteſt eſſe objectum honoris, cum hujus objectum ſit ens in actu, ac proinde nec major, nec minor gradus honoris datur; ut tribueretur Chriſto, ſi cum illis aliquandò fuiſſet in actu, & talis honor fuiſſet latriæ, vel hyperduliæ, & quidem major ſecundùm exceſſum, & multiplicationem; attẽditur enim honor ſecundùm menſuram agentis; unus enim modo devotiùs honorat Chriſtum, quo ante, & actus ipſius Chriſti modo excellentiores, modo minùs cognoſcuntur ab eo facti, dum menſurantur à virtutibus, quæ inter ſe in perfectione differunt. Et quamvis dulia ſit perfectiſſimus cultus quoad ſuam entitatem, quoad modum tamen, & exercitium recipit magis, & minùs perfectionis ex diſpoſitione agentis, vel ex perfectione virtutum, propter quas cultus Deo tribuitur.

85 Proſequitur C. his verbis: Secundò nego potuiſſe augeri Chriſti charitatem, ait enim Magiſter in 3. diſt. 13. quòd Deus Chriſto contulit tantam gratiam, quantam conferre potuit, hoc eſt, quantæ ipſe capax fuit pro dignitate capitis Eccleſiæ; in quã diffuſurus erat. Undè *plenus gratia* dicitur Joan. 1. *Et de plenitudine ejus accepimus omnes*. Vas autem plenum non poteſt plus capere. Nec diſtinguatur mihi de poteſtate ordinata, & abſoluta. Siquidem potentia Dei moralis, & proxima poteſt quidem abſolvi à legibus particularibus, minimè verò à generali de non agendo perperàm, & præter rationem, quale eſt agere non ad menſuram, & exigentiam finis. Et cum dicitur: Omne finitum augeri poteſt; ſi ly *poteſt* dicit ſolam non repugnantiam, ex parte ipſius finiti, concedo; ſi integram poſſibilitatem, nego; ad hanc enim prætereà requiritur potentia cauſæ, & ad hanc ordinabilitas ad finem.

86 Contrà eſt, quia argumentum

tum procedit de potentia Dei ordinaria; nam de abſoluta loquendo, non implicat tale augmentum, ut docent Scotiſtæ *cum Meldul. in 3. ſent. diſp. 2. à num. 69. Card. de Lugo diſp. 16. de Incarn. ſect. 6. num. 111. Becan. cap. 8. q. 4. nu. 3.* quia non implicat, nec ex parte gratiæ, quæ ſi ſit finita, ſinè dubio eſt augibilis; nec ex parte animæ, in qua eſt potentia obedientialis ad recipiendum augmentum. Nec id obſtat dictum divinum *Plenus gratiæ*, quia non loquimur de plenitudine divinitatis, nec unionis, ſed de plenitudine, quæ eſt abundantia bonorum gratiæ, quæ augetur, nam plenitudo gratiæ in hoc ſenſu fuit etiam in B. V. & in Sanctis, & tamen non eſt tanta in illis plenitudo gratiæ, quanta in Chriſto, in quo ejus gratia excedit gratiam Virginis, S. Stephani, & aliorum, & gratia V. excedit gratiam reliquorum Sanctorum, poteſt ergò gratia augeri non obſtante plenitudine. Illud ergò *perperam* revertitur in auctorem C. non enim perperàm agunt, qui ſequuntur communem opinionem, cum prudentèr judicent; eſt enim hæc opinio communis, ut refert de Lugo. Demùm ly *Poteſt* refertur ad utrunque, ut probat allatum argumentum ex Becano; & ſic concluditur, omne finitum augeri poteſt, quia ex nullo capite repugnat, cum finito ſemper addi poſſit.

87 Proſequitur C. eandem materiam contrà eundem R. his verbis: Tertiò, quamvis charitas Chriſti, utpotè finita, mathematicè potuerit eſſe major, quàm fuit, non tamen potuit eſſe major, quàm tribuatur, nec de potentia abſoluta quidem, quia nulla menſura certa aſſignari poteſt, quæ non tribuatur ſummè magna, quantacunque placuerit, dummodo finita, non erit major ea, quæ Chriſto tribuitur, ſed minor. Quæ enim menſura à nobis ſtatui poteſt charitatis Chriſti, quàm nemò poteſt comprehendere juxtà illud Epheſ. 3. *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*. Hoc enim ſenſu ſaltem capi debet Joan. 3. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*.

88 Dices, tribuitur finita; ergò poteſt dari major, quàm quæ tribuitur. Nego conſequentiam. Facis enim tranſitum à re procul in ſe ad eandem, prout in meote; Finitum enim confusè conceptũ non poteſt intelligi auctum niſi infinito, quod implicat; & ratio eſt, quia quandiù finita non determinantur, omnia ſunt negativè æqualia, hoc eſt, nullum majus. Igitùr interpretatio non poteſt juvare reſpondentem, quippè qui aſſerit, potuiſſe Chriſtum elicere plures actus charitatis, &c. qui tamen communitèr non tribuuntur.

89 Contrà eſt, quia aliud eſt, quòd charitas major poſſit eſſe, aliud quòd non tribuatur, ſiquidem tributio habet pro objecto ens actu; ideò tribuitur minùs, quàm poſſit dari, cum dabile non ſit ens actu. Inſuper ad hoc parùm refert, quod à nobis deſignari non poſſit certa menſura gratiæ Chriſti, quia ejus augmentum non pendet à nobis, ſed ab ipſa divina potentia, cui nota eſt menſura, quam potuiſſet ulteriùs ſuperabundare in Chriſto. Quod autem dicitur, quòd Deus non dat Filio Spiritum ad menſuram,

& ſic

& ſic eam dedit infinitam ; id intelligitur in genere gratiæ, quæ ex ſua propria ratione, habet in Chriſto quicquid pertinet ad rationem ejus gratiæ, ex quo proindè non datur ad menſuram, & ad certos, & determinatos effectus, ſed ad quoſcunque. Spectata verò in genere entis, dare, & augere ulteriùs potuiſſet, quia ei uti creatæ finitæ poteſt addi. Eam diſtinctionem refert S. Thomas part. 3 q. 7. art. 11. in corpore.

90 Ad objectionem, quam ſibi facit C. reſpondeo, ipſum non probare negationem ſuæ conſequentiæ; falſum enim fieri tranſitum à re in ſe, ad eandem in mente, quia ſolùm fit tranſitus à re finita, ad ejus augmentum, quod recipere poteſt, ex quo eſt finita; res enim, & augmentum non pendent à mente. Falſum quoque eſt, finitum, de quo agimus, confusè concipi, quia certò res concipitur cum poſſibilitate augmenti, & hoc ſufficit; aliud enim non intenditur niſi augmentum, non autem ejus determinatos gradus quærimus. Ex quo patet quoque augmentum non addito infinito, ſed finito; nam conceſſit finitum, dum ſolùm ejus argumenti negavit conſequentiam, ex quo neſcio quo iure dixit augmentum non addi infinito, dum ſupponit rem, de qua agitur, eſſe finitam. Ad eam verò rationem, quòd omnia finita indeterminata ſint æqualia negativè, hoc eſt, nullum inter ea majus; dico, id gratis aſſeri, quia imò ſequitur oppoſitum, ex indeterminatione ſcilicèt inferri inæqualitatem; indeterminatio enim præſefert diverſitatem, dum unum poteſt determinari ſic, & aliud aliter.

91 Proſequitur C his verbis. Quartò, etiamſi admitteremus in Chriſto incrementum charitatis, adhuc falſum eſſet, potuiſſe illum elicere plures actus charitatis ſivè internos, ſivè externos. Et primò de internis, quia ſi tota vita unum actum continuatum elicuit, hic quantumvis auctis viribus, non potuiſſet eſſe, niſi unus, quamvis interior. Item ſi elicuit plures abſque ulla interruptione, nec ob incrementum charitatis potuiſſet elicere plures, quia ubi nulla eſt interruptio, ibi nullus eſt hiatus explebilis. Ipſe autem reſpondens non dicit actus intenſiores amoris, vel meritorios, ſed dicit plures; quod certè verificari ſolùm potuiſſet in ſecunda ſuppoſitione in caſu, quo Chriſto prorogata fuiſſet vita.

92 Quoad externos verò falſa quoque eſt ſuppoſitio, nam quantumvis auctus illi fuiſſet habitus charitatis, nec plura beneficia præſtare potuiſſet, nec plura ſuſtinere, quia quod plus facere potuit, & pati, non omiſiſſet defectu charitatis, & virium, ſed congruentiæ, & voluntatis divinæ, cui contravenire non potuerat.

93 Contra eſt, quia quoad actus internos Charitatis, ex bino argumento conditionato, nihil infert, niſi quòd ſupponit; ſed falſum ſupponit, & quod nihil eſt, quia omnes actus charitatis in Chriſto fuerunt in re ipſa plures, & interrupti, ut manifeſtè colligitur ex Evangelio Lucæ 5. 4. *Ut ceſſavit autem loqui* & cap. 11. 1. *Ut ceſſavit* ſc. ab oratione, *dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum*. Quales autem fuerunt alii actus, tales quoque fuerunt actus charitatis; Chriſtus enim humano modo ſe

do ſe gerebat in actibus ſuis; neceſſe enim erat, ut probaret, & oſtenderet, ſe hominem eſſe. Et quid, ſi demus in Chriſto unum actum charitatis non interruptum, ſed continvatum, nonne ex hoc dicitur talis actus auctus, ſicut ignis continvatus augetur? Licèt verò id non inferat pluralitatem actuum, non tamen ſimpliciter ſunt negandi Chriſto ex ea falſa ſuppoſitione, ſive Chriſtus ulteriùs ſuam produxiſſet vitam, ſivè non, quia ejus virtus, & poteſtas in operando non pendebat à tempore, ſed à voluntate divina.

94 Quoad actus verò externos malè negat pluralitatem actuum in Chriſto ex ſuppoſitione augmenti habitus charitatis, quia ſi illos omiſit, id fecit, quia noluit ulteriùs operari, ac proinde omiſſio non proceſſit eo, quòd Deus noluerit, quia Deus nullum bonum Chriſto impedivit; neque omiſſio proceſſit ex defectu congruentiæ, quia incongruentia locum habere in bonis actibus, non ulteriùs ergò progreſſus fuit, quia ità ſibi placuit.

95 Proſequitur C. his verbis: Ubi etiam illud reprehenſione dignum eſt in exemplo propoſitionis R. quod ponit honorem Chriſti in numero miraculorum, & magnitudine paſſionum, ſimpliciter dicendo, quòd honorificentius illi fuiſſet plures gratias conferre, aut plura ſuſtinere. Cum ſi Chriſti honor conſiſtat in gratiis, & miraculis, honorabiliores eſſent multi Sancti, qui non ſolùm plura, ſed etiam majora, quàm Chriſtus fecit, juxtà illius prædicationem patrarunt. Paſſiones verò per ſe nullo honore ſunt dignæ, quia malæ, & ineligibiles, & eatenus eligi poſſunt, & honorem conciliare, quatenus bonum ex illis reſultat, & ad menſuram ipſius. Unde laborant Patres in honeſtanda tanta tormentorum multitudine, & magnitudine, quantam Chriſtus ſuſtinuit, quia potius videntur ſuperflua, quàm ſufficientia. Certum minùs honorificum ei fuiſſet plura ſuſtinuiſſe, quia fruſtrà malum amplexus fuiſſet.

96 Contra eſt, quia omninò certum, quòd ulteriùs puto eſſe de fide, quòd ex miraculis, & paſſione honorandus ſit Chriſtus, & quo plura ſunt, eo illi major eſt deferendus honor, & laus. De miraculis claré habetur Lucæ cap. 2. num. 11. de primo miraculo Converſionis aquæ in vinum, *Et manifeſtavit gloriam ſuam*, quam non oſtendiſſet, ſi hoc miraculum non fuiſſet honorificum Chriſto. De miraculo Cæci illuminati cap. 18. dicitur: *Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo*. Laudem ergò conſequutus fuit ex hoc miraculo. Et eodem cap. 2. num. 23. *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat*. Unde volebant eum facere Regem, ut ibidem habetur. Confirmatur, quia gratia miraculorum erat perfectiſſimè in Chriſto, & ideò ejus miracula erant præſtantiſſima magno digna honore, D. Thom. part. 3. q. 13. art. 2. & quæſt. 44. art. 3. & alibi Ipſum *miraculi* verbum, & arduitas, quæ de illius ratione eſt, part. 1. q. 105. art. 7. ad 2. convincunt quemcumque virum ſanæ mentis ad prædicandum Chriſti honorem, & quidem majo-

rem,

rem, ſi alia edidiſſet miracula.

97 Nec his obſtat, quòd C. dicit, ſi Chriſti honor conſiſtit in gratiis, & miraculis, honorabiliores eſſent multi ſancti, qui non ſolùm plura, ſed etiam majora, quàm fecit Chriſtus; de quibus Lyranus interpretans verba ipſius Chriſti apud Joan. 14. v. 12. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*, refert majora, quia plus converſi ſunt ad prædicationem Apoſtolorum, quàm Chriſti, ad cujus prædicationem pauci Judæorum converſi ſunt; Apoſtoli omnibus linguis prædicabant; Chriſtus ſolùm propria lingua. Vide ipſum. Non obſtat, inquam; quia non ſine Chriſto majora faciebant, ſed virtute ipſius, ut dicit ibidem Gloſ. Ordin. *Non tamen ex ſe, ſed ex me; non enim ſervus eſt major domino*. Non ergò honorabiliores ſunt Sancti, quia ſine Chriſto non faciebant miracula, nec infideles convertebant propria virtute ad fidem, ſed Chriſti virtute.

98 Falſum quoque eſt, paſſiones nullo honore per ſe dignas eſſe, cùm in ſententia omnium, ſi ſint benè à ratione ordinatæ, ſint bonæ, & laudabiles, *D. Thom.* 1. 2. *q.* 24. *art.* 1. *ad* 3. *q.* 45. *art.* 1. *ad* 1. *& alibi*, & de paſſionibus, quas pertulit uſque ad mortem, non eſt dubitandum niſi impiè; ipſæ enim erant voluntariæ, & à ratione rectiſſimè ordinatæ, ac proindè ejus paſſio fuit ſimpliciter bona, & laudabilis, *ex D. Thom part.* 3. *q.* 22. *art.* 1. *ad* 2. *q.* 47 *art.* 3. *ad* 3. *art.* 4. *ad* 2. *art.* 6 *ad* 3. Qui quæſt. 49. art 6. dixit, Chriſtum propter ſuam paſſionem meruit à Deo exaltari, ſecundùm quod teſtatur *D. Paulus ad Philip.* 2. 9. his verbis: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Patet ergò, Chriſtum ex ſuis paſſionibus, & tormentis eſſe maximè honorabilem, & quo plures fuerunt illius paſſiones, eò honorabilior fuit per illas. Quare non video laborem, nec hujus laboris cauſam in honeſtanda tanta tormentorum multitudine, quia nota eſt ex ſe propter ejus honorem, qui dixit Joan. 10. 10 *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ergò multitudo, & magnitudo paſſionis, & tormentorum non fuit ſuperflua, ſed abundantèr ſufficiens; non ergò fruſtrà malum amplexus fuit, ſed rationabilitèr volvit ſuperabundare, quia ſuper omnes liberalis fuit.

99 Demùm, inquit C. nullus dari poteſt major honor, quàm qui debetur Chriſto, debetur enim illi latria ratione divinitatis, & ratione humanitatis ſolitariè ſumptæ hyperdulia, hoc eſt, adoratio, & ſervitus, qua major ſub latria dari non poteſt. Debetur itaque illi honor ſummus, qui dari poteſt, nec majorem potuit mereri per quamcunque potentiam, quia non datur major, undè injurioſa eſt evidentèr propoſitio, quæ dicit: *Honorificentius fuiſſet Chriſto plura pati, plures actus elicere &c.* Quia non ſolùm negat Chriſto conſequentèr aliquos actus, vel paſſiones debitas, aut congruas, ſed etiam honorem, qui de facto ei debetur, dum ſupponit dari poſſe majorem.

100 Jam ſuprà reſponſum fuit, non

poſſe

poſſe dari Chriſto majorem latria honorem, eandem verò habere latitudinem, & extenſionem reſpectu creaturæ adorantis; quò enim plures in Chriſto ſunt excellentiæ, & actus heroici, & præſtantes, eò magis honorandus eſt, unde ſi ulteriùs multiplicaſſet actus virtutum, quos non fecit, magis adhuc in illis fuiſſet honorandus ſummè, quamvis in illis non honoretur, cum non fecerit.

Concludit tandem C. Juſtior ergò fuit propoſitionum cenſura, quamvis benignior vindicatio. Vindicis, an ſapientiæ, & cenſuræ, tùm cenſura item ipſa, tùm tota hæc doctrina ſubiicitur.



ADVOCATUS MULIERUM,

Quæ probantur de ſpecie hominum, Paſſionis Chriſti, & æternæ ſalutis participes.

PER

F. FRANCISCUM BORDONUM

S. T. D. RELIGIONIS TERTII ORDINIS SANCTI FRANCISCI GENERALEM.

1 Legi quendam
libellum pro-
priè famoſum
contrà fœmi-
nas, quas non
eſſe de ſpecie
hominis, ne-
ſcio quis ſub-
verſus, & infamis hæreticus co-
natur perſuadere ignorantibus,
propterea eaſdem fœminas non
eſſe capaces ſalutis, nec pro eiſ-
dem Chriſtum mortuum eſſe, tra-
ductum in linguam vulgarem
per quendam Horatium Plata
Romanum forſan Auctorem,
qui tamen Catholicum in eo opuſ-
2 culo ſe profitetur. Eſt autem
nova hæreſis, quam apud nemi-
nem adhuc legi, & quidem di-
verſa eſt ab illa Armenorum, qui,
referente *Prateolo lib. 1. cap. 67.*
num. 23. aſſerunt, omnes homi-
nes reſurrecturos in ſexu virili,
nullumque poſt reſurrectionem
futurum eſſe fœmineum ſexum.
Fœminæ ergò non excluduntur
à gloria, ſed illam aſſequuntur,
nec mutant ſexum poſt reſurre-
ctionem, quam hæreſim confuta-
bo cum hac nova in ſequentibus.
Voco novam in eo, quod mulie-
rem excludit à ſpecie hominis.
3 Certum ergò de fide tenen-
dum eſt, non ſolùm homines
maſculos, ſed etiam fœminas eſſe
ejuſdem humanæ ſpeciei, & ca-
paces ſalutis, ſicut ſunt ipſi viri.
Hoc dogma tres continet partes.
Primam, quòd fœmina eſt ejuſ-
dem humanæ ſpeciei, ſicut eſt
maſculus. Secundam, quòd pro
fœminis Chriſtus paſſus eſt, ſicut
pro viris. Tertiam, quòd mulie-
res ſunt capaces ſalutis æternæ,
ſicut viri.
4 Primum de ſpecie humana
utriuſque clarè probatur ex Ge-

neſt cap. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudi em noſtram*. Et paulò infrà. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini*. Ter vocat hominem, bis hoc nomine, tertio eo pronomine *illum*, indicans utriuſque ſpeciem humanam, & eam eſſe unam, & non plures ſpecies hominis, ſicut dixit Porphyrius in cap. de ſpecie, quòd plures homines ſunt unus homo, ſcilicèt, ſpecie, quæ una eſt in ſingularibus hominibus; idcò Moyſes in numero ſingulari locutus fuit, inſinuans naturam humanam eſſe unam ſpeciem, ſub qua, & de qua ſunt Adam, & Eva, ut id expreſſit ſequentibus verbis: *Maſculum, & fœminam creavit eos*. Pronomen *illum*, quod ſpeciem, & unitatem indicat, protulit ſingularitèr, ſignificans, Adam, & Evam unius eſſe eſſentiæ, & ſpeciei, atque poſtmodum commutavit, & tranſtulit in numerum pluralem, dum ſpeciem humanam expreſſit communem eiſdem, tamquàm in duabus perſonis maſculo, & fœmina exiſtentem. Supradicta verba replicantur cap. 5. initio: *In die, qua creavit Deus hominem, maſculum, & fœminam creavit eos*. Fœmina igitùr dicitur homo, ſicut maſculus vocatur homo; dum enim creavit Deus hominem maſculum, & fœminam, duos homines fecit, ut inſinuat illud pronomen *eos*, quod uti relativum utrumque refert ſub unica ſpecie hominis, ut Legiſtæ de eodem verbo, *Eos*, docent referri ad præcedentia, *Ruin. vol. 1. conſ. 99. num. 16. Corneus vol. 1. conſ. 9. nu. 6. fine*. Creavit eos maſculum, & fœminam, quid eſt hoc *eos* niſi Adam, & Eva ſignificati per illud antecedens verbum *hominem*? Dixit *hominem* ad indicandam ſpeciem, addidit *eos*, indicans pluralitatem perſonarum creatarum, ne quis exiſtimaret, utrunque ſexum dediſſe eidem numero homini, & ſic creaſſe hermaphroditum.

5 Probatur ſecundò clariùs *ex cap. 31. num. 35 Numer.* in quo Dominus præcepit Moyſi, ut ulciſceret filios Iſrael de Madianitis, contrà quos tulerunt prædam, inter alias res, puellas triginta duo millia, ibi: *Animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognoverunt viros triginta duo millia*. Illud verbum *hominum* refertur tantùm ad mulieres juvenes, quæ viros non cognoverant; ergò etiam fœmina dicitur homo, ac proindè ejuſdem eſt ſpeciei humanæ cum maſculo.

6 Probatur tertiò ex Evangeliſtis, qui pluries Chriſtum Dominum vocant *Filium hominis*, quæ eſt Beata Virgo Maria, quæ ſinè dubio eſt homo ſexus fœminei; ergò fœmina eſt de ſpecie hominis.

7 Probatur quartò ex Geneſi cap. 2. 18. *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Illud autem adjutorium fuit Eva, ut dicitur ibidem ſub num. 23. *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*. Et eam fecit ſimilem ipſi Adamo. Iſta autem ſimilitudo alia eſſe non potuit, quàm identitas in natura ſpecifica humana; nam illi non erat ſimilis in ſexu; ergò in natura, nam Deus creavit hominem ad imagi-

imaginem ſuam, & illum fecit maſculum unum, & alteram fœminam, ac proindè ambos ſimiles in natura intellectuali; ſecun-
8 dùm enim intellectum dicuntur creati ad imaginem Dei, qui habet intellectum infinitum, ex D. Thoma *par.* 1. *q.* 93. *art.* 1. & 4. ubi illud Apoſtoli 1. Corinth. 11. 7. *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt, mulier autem gloria Dei eſt.* Interpraetatur, quòd imago Dei non negatur mulieri, ſed ei convenire ſecundariò ex eo, quòd vir non eſt ex muliere, ſed mulier ex viro, à quo per Deum Creatorem ſicut recepit naturam hominis, ità & imaginem Dei; ſimilis eſt ergò mulier viro, & Deo, vir verò ſoli Deo, non mulieri, à qua nihil recepit. Fecit ergò Deus Evam ſimilem ipſi Adamo ſimilitudine naturæ intellectualis, quæ hominem, tàm maſculum, quàm fœminam ſpecificat, & conſtituit ſub ſpecie humana. *Faciamus adjutorium ſimile ſibi.* S Auguſt. lib 9. ſuper Geneſi ad literam ſæpiùs vertit illa verba: *Simile ſibi*, ideſt, *ſecundùm ipſum* ſcilicèt Adam, hoc eſt: Faciamus illi adjutorium, quod & ipſum ſit homo, ſicut &
9 ipſe eſt homo. Hoc autem adjutorium non alia ratione illi datum fuit, niſi in ordine ad generationem, ut fœmina ſimul cum maſculo natura humana propagaretur, ut ibidem obſervat dictus Sanctus Auguſt. In adjutorium viri, non quidem alicujus operis manualis, ratione cujus poterat adjuvari ab alio viro, ſed in adjutorium generationis, inquit D. Thomas *par.* 1. *q.* 92. *art.* 1.

10 Hinc deduci poteſt argumentum, quòd mulier activè concurrit ad generationem, quia Deus illam viro dedit in adjutorium, & non tantùm ut ſubjectum generationis, dum illam vocavit adjutorium viri; ille enim dicitur adjutor, qui alteri activè cooperatur ad productionem alicujus effectus, eſt ſententia communior Medicorum, quam ſequitur *Scotus in* 3. *diſt.* 4. *qu. Un.* cum aliis Meldulenſis *diſp.* 8. *nu.* 22. *in lib. de generat.*

11 Obſervandum eſt, quòd nomen *Homo* in ſacra ſcriptura ſumitur aliquandò pro utroque ſexu, cum ſcilicèt agitur de re pertinente ad utrunque ſexum; ſic accipitur præcitatis locis de eorum creatione; item cum agitur de utriuſque ſalute, ut Pſal. 35. 7. *Homines, & jumenta ſalvabis.* Ridiculum eſt, & inſipientis ab ea voce *Homines* excludi fœminas à ſalute, quæcunque ea ſit, ſivè corporis, ſivè animæ, incluſis jumentis. Item cum agitur de peccato: 3. Reg. 8. 46. *Non eſt homo, qui non peccet.* Ideſt omnis homo ſivè maſculus, ſivè fœmina peccat. Item cum agitur de pœna Exodi 21. 12. Levitici 24. 17. *Qui occiderit hominem, morte moriatur.* Qua pœna plectetur, qui occiderit fœminam? certè eadem, quia & ipſa continetur ſub voce *Hominem*, nulla alia pœna præter hanc decernitur in lege; ergò & ipſa homo eſt. Ratio eſt, quia ut dicit S. Cyprianus Epiſcopus, & Martyr de diſciplina, & habitu Virg. cap. 2. *Quoniam fœmina viri portio eſt, & ex ea ſumpta, atque formata eſt, in ſcripturis ferè omnibus ad protoplaſtum Deus loquitur, quia ſunt duo in carne una, & in maſcu-*

in maſculo ſimul ſignificatur & fœmina. Aliquandò, & ut plurimùm ſumitur pro maſculo, quia de hoc multa plura dicuntur in Sacra Scriptura, quàm de fœminis. Geneſ. 4. 1. *Poſſedi hominem per Deum*. Dixit Eva de Cain filio à ſe genito. Pſal. 86. 5. *Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea*. Sermo hic eſt de Chriſto Domino. 4. Regum cap. 1. Elias dicitur ibi ſæpè *Homo Dei*. Et ſic pro maſculo. Demùm rarò ſumitur pro ſola muliere, & ſemel, ut exemplum attuli in ſecunda probatione.

12 Probatur quintò auctoritate D. Auguſtini tom. 3. lib. 6. cap. 4. *Et ipſe homo ad imaginem Dei, maſculus, & fœmina*, cap. 5. *Ipſo die ſexto apertiſſimè dictum ſit, maſculum, & fœminam fecit eos. Redeat ergò ad Scripturam, inveniet ſexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem maſculum, & fœminam*. Lib 9 ſæpiùs Adam, & Evam vocat homines à Deo creatos, accipe unicum exemplum ſub cap. 16. Clariùs id expreſſit tom. 5. lib. 15. de civit. cap. 17. *Et ipſum enim nomen*, ſcilicèt Adam, *interpretatur homo, ſed commune perhibetur eſſe in illa lingua*, ideſt, *Hebrea, maſculo, & fœminæ*, quid clariùs. *Quid ergò mirùm, ſi hominem ex oſſe hominis factam non novimus*. Mitto auctoritates aliorum Patrum, qui plures ſunt.

13 Probatur ſextò ex ſcriptoribus profanis, & Grammaticis magni nominis in ſermone latino. Nam in primis Plautus Ciſtel inquit: *Intus paveo, & formido foris, ità metus nunc utrobique me agitat, illis hominis miſeræ miſereri*. Et in Amph. ſcena 3. act. 2. *Quid hoc ſit hominis* Loquitur de Alcmena uxore Amphitruonis. Sulpitius ad Ciceronem ſcribens *lib. 4. Epiſt. 5. famil. de Tulliola ejus filia defuncta*, inquit: *In unius muliercula animula, ſi jactura facta eſt, tantoperè commoveris, quæ ſi hoc tempore non ſuum diem objiſſet, paucis poſt annis tamen erat ei moriendum, quoniam homo nata erat*. Cicero pro Cluent. *Ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem, ea vis, ut nemo fœminam, ea crudelitas, ut nemo eam matrem appellare poſſit*. Hæc exempla referunt Nizolius, Paſſeratius, Calepinus, & Emmanuel Alvarus, qui fœminam vocant hominem, non alia ratione, niſi quia eſt de ſpecie hominis maſculini. Nec ipſe Emmanuel in cap. de Genere nominum obſtat, dum dicit, neminem licèt latinis literis intinctum dicere *hominem bonam, aut doctam*, quia ſolùm intendit non eſſe uſitatum eum ſermonem, ut adjectivum non commune adjiciatur ſubſtantivo utriuſque generis, quod excludit adjectivum fœmineum.

14 Grammatici nomen, *homo*, declinant per utrunque genus, maſculinum, & fœmininum, *D. Aug. tom. 1. libro de Grammat. §. Genus. Priſcianus cap. 3. Donatus cap. 4. Diomedes cap. 1. Horatius Tuſcanella in 3. Declinat. ibidem Joannes Stephanus Sicinianenſis*, unum excipe Phocam, qui ſub cap. 1. ait hæc, *Bubo, Latro, Tyro, Sermo, Pavo, Homo &c.* eſſe maſculini generis. De verbo *Sermo* nulla eſt dubitatio, ut de Bubone, & Pavone, quæ ſunt generis communis, ſicut *Homo*. Sed hæc conſideranda relinquamus adoleſcentulis.

15 Probatur ſeptimò ex utroque jure

jure, Civili, & Canonico. *l. Hominis appellatione, tàm fœminam, quàm maſculum contineri non dubitatur* 152. *ff. de verb. ſignif. l. Venditor hominis* 8. *ff. de evict. Gloſ. V. Venditor hominis*, ideſt, *Ancillæ*; Venit ergò fœmina ſub nomine hominis; pro qua re facit *Reg.* 1. *&* 195. *ff. de verb. ſignif.* quæ dicit, quòd maſculinum concipit fœmi-
16 ninum, de qua *Gloſ. v. Univerſos cap. Generali* 13. *de elect. in* 6. *Jure Canonico, Stephanus Papa relatus cap. Admonere* 8. 33. *qu.* 2. occiſionem, quam Haſtulphus fecit de ſua uxore, vocat Homicidium, quia occidit hominem, quod poterat appellare uxoricidium. Item *in Clem* 1. *de elect. juncta Gloſ. V. Homines*, hæc vix dicitur tàm de fœmina, quàm de maſculo. Utrumque igitùr jus docet, fœminam eſſe ejuſdem ſpeciei cum maſculo.

17 Probatur octavò ex doctrina Philoſophorum, nam differentia eſſentialis, & ſpecifica dat eſſe rei, & illam conſtituit in certa ſpecie, & diſtinguit à quacunque alia re, quæ talem differentiam, & formam eſſentialem non participat. Ità omnes Philoſophi in cap. de Differentia, aſſerentes, differentiam ex vi nominis dici formam facientem differre rem à quacunque alia re, quæ eam differentiam non participat; undè duo habet officia, unum conſtituendi rem ſub ſpecie, quæ de illa prædicatur, & alterum diſtinguendi rem conſtitutam ſub ſua ſpecie, à quacunque alia re non communicante talem differentiam, id, quod dixit Porphyrius illis verbis: *Differentia eſt id, quo differunt eſſentialitèr inter ſe ſingulæ*, ideſt, ſingulæ ſpecies, vel ſingula individua, optimè *Meldul. diſp* 5. *in Logica num.* 140. Et id eſt familiare Juriſperitis, dum dicunt: *Forma eſſentialis eſt, quæ dat eſſe rei. l. Julianus* 9. *§. Si
18 quis, ff. ad exhibendum.* Sed anima rationalis eſt differentia, & forma eſſentialis corporis humani, ut de fide fuit definitum in Concilio Viennenſi, relato *in Clem. de ſumma Trinit. & fide cathol §. Porrò*; ergò ubicunque ea reperitur, ibi conſtituit corpus humanum in ſpecie hominis, cum ejus ſit differentia, & forma eſſentialis; definitur enim homo animal rationale, ſed illa reperitur etiam in fœminis, ergò fœminæ ſunt de
19 ſpecie hominis. Subſumpta, quòd ſcilicèt anima rationalis reperiatur etiam in fœminis perſonis, licèt clarior ſit ipſa luce, ac proindè non egeat probatione, tamen huic hæretico cœco aperiendi ſunt oculi. Ea igitùr probatur, tùm ex Sacra Scriptura Eſter 7. 3. *Dona mihi animam meam.* Ipſa dixit de ſe ea verba. Petrus Epiſt. 1. cap 3. num. 20. *In diebus Noe cùm fabricaretur Arca, in qua pauci, ideſt, octo animæ ſalvæ factæ
20 ſunt per aquam.* Ideſt, Noe cum filiis ſuis, Sem, Cham, & Japheth, cum uxoribus ſuis, qui ſunt quatuor maſculi, & quatuor fœminæ, conſtituentes octo animas, *Geneſ. cap.* 6. 11. *cap.* 7. 7. ergò fœminæ eandem in ſpecie habent animam, quam maſculi, ac proindè ſub eadem ſunt ſpecie, ſicut ſunt maſculi ſub ſpecie humana. Tùm ratione, quia anima mulieris intelligit, loquitur, & diſcurrit eodem modo, quo facit maſculus, ut experientia ità notum eſt, ut probatione non indigeat; ergò ea habet animam rationalem,

tionalem, ſicut habet maſculus. Conſequentèr ejuſdem eſt ſpeciei, ſicut maſculus intelligens, & diſcurrens.

21 Probatur nonò ex cœremonia, qua prima die Quadrageſimæ præſcribitur impoſitio Cinerum ſuper caput virorum, & mulierum in Eccleſia, in memoriam vilitatis, & mortalitatis generis humani; dum Sacerdos hæc præſtat, dicit: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Iiſdem autem verbis utitur, dum ſignat mulieres; ergò ex doctrina, & ſententia Eccleſiæ fœminæ ſunt homines, non ſecùs ac maſculi.

22 Secundum, quòd pro mulieribus Chriſtus paſſus ſit, probatur uti de fide tenendum ex Sacra Scriptura, præſertim ex Iſaia 4. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinē Jeruſalem lavent de medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris.* Ibidem 49. 22. *Et afferent filios ſuos in ulnis, & filias ſuas ſuper humeros portabunt.* De Ægypto in terram promiſſionis per mare rubrum figurans Paſſionem Chriſti, qui ſuper lignum Crucis portavit illas. Ibidem 52. 2. *Solve vincula colli tui, filia Sion, quia hæc dicit Dominus. Gratis venundati eſtis, & ſinè argento redimemini.* Ex Paſſione ſcilicèt Chriſti Domini. Ibidem 62. 11. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit.* Iſtoria 8. 21. *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus.* Ejuſdem Lament. cap. 4. 21. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perveniet. Calix, inebriaberis, atque nudaberis.* Sermo eſt de Paſſione Chriſti, ſignificata per Calicem, qua lætificantur, & nudantur à peccatis filiæ, & omnes mulieres. Joel Propheta in Act. 2. 17. inquit: *Et erit in noviſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Loquitur de divina gratia, & Spiritu Sancto, quem Deus effudit ſuper omnes, tàm maſculos, quàm fœminas in die Pentecoſtes, quæ ſunt ex Paſſione Jeſu Chriſti, cujus gratia effuſa fuit ſuper omnes etiam fœminas illo die, in quo Eccleſia Catholica initium habuit à prędicatione Paſſionis Jeſu Chriſti per Apoſtolos inchoata. Jeremia apud S. Paulum 2. ad Corinth. 6. fine, inquit; *Ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias.* Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus per ſuam Sanctiſſimam Paſſionem factus eſt pater omnium fidelium, non ſolùm maſculorum, ſed etiam fœminarum, omnium ſinè ulla differentia recordatus eſt, eos, & illas ſua paſſione redemit.

23 Confirmatur auctoritate Sanctorum Patrum S. Hilarius. *Eandem autem calumniam, quam Sadducæi afferunt de conjugio, afferre plures ſolent, in quam formam muliebris ſexus reſurgat; ſed qualis in Scripturis auctoritas eſt de Angelis opinando, talem in reſurrectione ſpei noſtræ ſenſum oportet eſſe de fœminis.* D. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei, inquit: *Sed mihi melius ſapere videntur, qui utrunque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant.* Dionyſius Cartuſ. ex S. Ambroſio, art. 1. ſuper cap. 1. Matth. in-
24 quit: *Fœminæ peccatrices in Genealogia Chriſti ponuntur propter*

exim-

exemplum ſperandæ ſalutis. Fœminæ igitùr participes ſunt paſſionis Chriſti, ſicut homines.

Ratio prædictorum eſt, quia & ipſæ homines ſunt, ut probatum eſt; ergò redemptæ, & ſalvatæ à Chriſto Domino. Certa eſt hæc conſequentia ex duabus auctoritatibus, quæ ſunt: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Et illuminat omnem in hunc mundum venientem*, quod præſtat per ſuam Sanctiſſimam Paſſionem.

25 Tertium ex dictis, neceſſariò infertur; nempè mulieres eſſe capaces ſalutis æternæ, quæ datur morientibus in gratia Dei. Id autem uti de fide probatur multis auctoritatibus.

26 Primò ex illo Joan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Verbum incarnatum eſt vera lux, quæ venit illuminare non ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas; locutus enim fuit univerſalitèr
27 *omnem hominem*. Propoſitio enim expreſſa ſigno univerſali, eſt majoris efficaciæ in ſignificando, quàm ſi illo careret ſigno, nihil excludit, comprehendit maſculinum, & fœmininum, ex allegatis *à Barb dict.* 241. *nu.* 1. Chriſtus igitùr illuminat omnes homines gratia ſua, qui volunt eam recipere. Audi S. Chryſoſtom. *Illuminat igitùr omnem hominem, quantùm ad eum pertinet; ſi autem quidam mentis oculos claudentes noluerunt recipere lucis hujus radios, non à lucis natura obtenebratio eſt eis, ſed à malitia eorum, qui voluntariè privant ſeipſos gratiæ dono; nam gratia quidem ad omnes effuſa eſt, qui verò nolunt dono hoc frui, ſibi ipſis hanc imputent cæcitatem*. Auguſtinus. *Illuminat omnem hominem, ſic intelligimus, non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur*. Qui ergò illuminantur, à ſolo Deo illuminantur, qui omnes illuminat, qui volunt illuminari, juxtà quod ſequitur in eodem Evangelio: *Quotquot receperunt illum*, per ſuſceptionem ſcilicèt baptiſmi, & fidei, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus*. Igitùr non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ fieri poſſunt filiæ Dei, per illuminationem divinæ gratiæ, credentes in nomine unigeniti filii.

28 Secundò, auctoritate S Pauli 1. ad Timoth. 2. 4. *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri*. Hæc coincidit cum præcedenti Sancti Joannis; nam Dominus illuminat omnes homines, quia vult illos ſalvos fieri, ſivè maſculi ſint, ſivè fœminæ. Qua autem voluntate id velit, non eſt hujus loci, ubi tantùm intendimus probare, Deum velle, ut ſalventur non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ. Vide *apud D. Auguſt tom* 7. *lib.* 1. *de prædeſt. Sanct. cap.* 8. *Item contrà Julianum lib.* 4. *cap.* 8. *Item de corrept. & grat capit.* 14. qui explicat ſic, Deum velle omnes ſalvos fieri, qui per illum ſalvantur, exemplo Magiſtri, qui docet omnes pueros civitatis in eo ſenſu, quo nullus diſcit, niſi quos ipſe docet, ut dictum eſt ſuprà. Secundò explicat, pro generibus ſingulorum, ideſt, Deus ex omnibus hominum ſtatibus vult aliquos ſalvos fieri, *tom.* 3. *in Enchir. ad Laurentium cap.* 103. Tertiò ait, Apoſtolum loqui de voluntate antecedenti, in præcitato

loco de correpţ. & gratia cap. 15. hunc tertium modum amplectuntur ferè omnes Patres, & Theologi, ut videri poteſt apud *Alvarez lib. 4. de divinis auxil. cap.*
29 *3. Meldul. in 1. ſent. diſp. 4. q. 5.* Eſt autem voluntas antecedens illa, per quàm Deus, quantùm eſt ex ſe, nullo reſpectu habito ad homines, & ad eorum opera, vult, quòd omnes ſalventur, offerendo eis remedia ad ſalutem proportionata. Hæc duo axiomata ſortiuntur ſuum effectum in habentibus gratiam efficacem, quæ componitur ex dono Dei, & conſenſu hominis.

30 Tertiò eſt Textus manifeſtus pro mulieribus ejuſdem Apoſtoli apud Philip. 4. 2. ad 4. *Evodiam rogo, & Sintichen deprecor, id ipſum ſapere in Domino. Etiam te rogo germane compar adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Certum autem eſt, illos omnes tàm maſculos, quàm fœminas, inter quas ſunt Evodia, & Sintiches ambæ mulieres ſanctæ, eſſe ſalutis æternæ capaces, & poſſidere vitam æternam, quæ in Domino objerunt. Nec obloquatur hæreticus dicendo: *quorum nomina*, ideſt, virorum, quia maſculinum concipit fœmininum, ut omnia jura clamant, & dicam infrà. Si viri ſunt ſcripti in libro vitæ, quia laboraverunt in Evangelio, & quare non fœminæ, quæ paritèr laboraverunt? Vide *D. Chryſoſt. tom. 4. ſerm. 13. ad hoc cap.* commendantem has mulieres, tamquàm caput, & miniſtras in Eccleſia Philippenſi. Idem *Paulus ad Roman.* 16. commendat Phœben ſororem, quæ erat in miniſterio Eccleſiæ Cenchrenſis, ut eam ſuſcipiant *in Domino dignè Sanctis*, ideſt, in numero Sanctarum Mulierum, quæ ſerviebant ſervis Dei.

31 Quartò, S. Petrus in ſua Epiſtola *cap. 3. num. 3.* vocat mulieres Sanctas, quæ ſperant in Deo, *ſub num. 7.* inquit: *Viri ſimilitèr cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo, muliebri impartientes honorem; tamquàm & cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes veſtræ.* Sunt ergò mulieres capaces gratiæ, & gloriæ in cœleſtibus, quia pro ipſis Chriſtus paſſus eſt.

32 Quintò, Chriſtus Dominus Miſſæ ſacrificium inſtituit, pro remiſſione peccatorum, & ſalute fidelium, tàm mulierum, quàm maſculorum, pro vivis, & defunctis, ut de fide certum eſt; & ne quis auderet excludere fœminas, Mater Eccleſia inſtituit, & præſcripſit in Miſſa duo Memento his verbis: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum*, ad inſinuandum, quòd Sacerdotes debent in Miſſa orare non ſolùm pro maſculis, ſed etiam pro fœminis, quæ ſicut illi, capaces ſunt remiſſionis peccatorum, & vitæ æternæ.

33 Sextò, Sancta Eccleſia pro honore, & cultu Virginum, & Sanctarum mulierum illis inſtituit commune officium, in quo commendantur earum geſta, & ſancta vita, & de illarum gloria teſtantur ibidem recenſitæ laudes; dicitur enim in 1. ℞. Virg. *Et cum Angelis in Paradiſum introiſti.* Mulieres ergo, cum & ipſæ homines ſint, capaces ſunt gratiæ, & gloriæ, quas Dominus Sanguine ſuo pretio-

pretioſo redemit, ſicut homines maſculos. Quæ omnia de fide credenda ſunt, quia clarè; ut viſum fuit, exprimuntur in Sacra Scriptura. *Vide S. Bonaventuram, qui tom. 1. in cap. 7. in Eccleſiaſt.* prope finem hanc hæreſim profligat, & adducit textum Matth. 21. 31. *Meretrices præcedent vos in regnum Dei*. S. Cyrillus Hieroſolim. Catech. 13. inquit: *Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere viri creata eſt. Ergo Jeſus, qui venit, ut viris ſimul, & mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, ut ſolveret peccatum*. Certum ergo eſt etiam mulieres, eſſe capaces ſalutis, ſicut ſunt viri.

His præmiſſis uti fundamentis ad ea, quæ dicenda ſunt in confutatione errorum hujus hæretici veritatis, tùm Divinæ, tùm humanæ inimici, convertamus mentem, & calamum, Deo dirigente, contra illum.

34 Primò dicit, quòd ſicut licitum eſt in Sarmatia credere, & docere, Chriſtum, & Spiritum Sanctum non eſſe Deum, ita & eo melius putat ſibi eſſe licitum credere, & docere, mulierem non eſſe de ſpecie hominum, cum ſit quid minus, ac proinde Chriſtum pro eis non eſſe paſſum, nec ſalvari.

35 Contra eſt, nam cum incipiat à falſis in limine probationis, facit ſe ſuſpectum in reliquis. In primis dicit eſſe licitum in Sarmatia docere, & credere Chriſtum non eſſe Deum. Hæc eſt hæreſis Ebionis, de quo *Salelles Reg. 216. numer. 82. Prateolus V.*

36 *Ebionitæ*. Nullibi autem licet credere, nec docere hæreſim, quia hæc eſt jure divino prohibita, etiam naturali aliquo modo, nam licèt infidelitas non ſit in natura, repugnat tamen inſtinctui interiori hominis, cum ſit contra ejus naturam dicere falſitatem, & Deum veracem facere mendacem, conſequenter nullibi eſt li-

37 citum credere, aut docere hæreſim, quæ adverſatur divinæ veritati revelatæ, quæ ubique credenda, & docenda eſt, cum in qualibet parte mundi divina veritas ſemper maneat eadem immutabiliter. Non licet ergo in Sarmatia docere eam hæreſim, ergo neque hìc in Italia docere eandem, neque aliam minoris gravitatis, quòd mulier non eſt de ſpecie hominis, ex quo eſt & ipſa hæreſis. Ex hac hæreſi ſequuntur aliæ duæ, prima, quòd Chriſtus non ſit paſſus pro illis, ſecunda, quòd non ſalvantur, ſi Chriſtus pro illis paſſus non eſt.

38 Hæc eſt natura hæreſis, quòd una ſequatur aliam, quia, ut dicitur *Cap. Excomunicamus 13. de hæret.* hæretici caudas habent colligatas, id eſt, ſua dogmata, ex quorum uno alterum deducitur.

39 Secundò dicit, ſibi timendum non eſſe aliquod ſupplicium, quia tollerantur, imò à Magnatibus præmiantur blaſphematores Dei, & eò magis, quòd per ſacras Scripturas inrendit probare, mulieres non eſſe de ſpecie hominis, quibus ipſi affirmant Chriſtum non eſſe Deum.

40 Contra eſt, imò ille ſubverſus timere debet Dei juſtum judicium, & ſeveriorem vindictam, ſibi comminatam per Sacram Scripturam, Marci 16. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Imò dicit Joannes 3. 18. *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Eſt enim hære-

ſis, & incredulitas graviſſimum delictum, quia hæreticus ponit os ſuum in Cœlum, & Deum facit mendacem, dum negat veritates ab eo revelatas. Nullus hæreticus in hæreſim deprehenſus, & convictus, toleratur, ſed ſeverè punitur, ſicut etiam blaſphematores dignis plectuntur pœnis; nullus ergò præmiis honoratur; eorum verò, quorum hæreſes ignorantur, ſeù potiùs nomina neſciuntur, vindex eſt Deus omnipotens. Et ſicut, qui Chriſtum negant eſſe Deum, hanc falſitatem probant ex mala ſacrarum literarum interpretatione, ità is infamis hæreticus ſuum errorem firmat, adulterando ſenſum ejuſdem Sacræ Scripturæ. Eſt
41 autem notum, quòd extrà Eccleſiam Dei Romanam, non reperitur vera interpretatio verbi Dei, quia Chriſtus Apoſtolis, & ab eis deſcendentibus, dedit cognitionem veri ſenſus Scripturarum, Lucæ 24 45. *Aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Intrà ergò Eccleſiā univerſalem Romanam, eſt vera interpretatio Scripturarum, ut decernit Tridentinum *Seſſ.* 4. *cap.* 2. ibi: *Contrà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scipturarum Sanctarum.* Iſte hæreticus, cum non ſit filius Sanctę Matris Eccleſiæ legitimus, cum retroceſſerit, uti cœcus, & inſipiens, non poteſt intelligere verū ſenſum Scripturarum, ideò mirum non eſt, ſi hos errores contrà fœminas diſſeminat, ſicut faciunt, qui à Chriſto removent Deitatē.

42 Tertiò ait, quòd Lectores horrebunt hæc legentes, & uti minùs malum ipſum cum ſuis ſcriptis judicabunt dignum igne. Subdit, removendo tale judicium de ipſo conceptum, benigni Lectores nulla reprehenſione dignū eſſe aſſerent, quandò movebuntur à veritate, ut faciunt Philoſophi, non verò ab opinione, ut ſentit Vulgus. Quia ſi ſunt Catholici, non iraſcentur, ſed ſinceritatem meam, inquit, excuſabunt, dum ſum hæreticus, ſuppoſito hoc principio: Nihil eſſe credendum, niſi expreſſum in ſacris literis, ſi aſſero: Non credo mulieres eſſe de ſpecie hominum, eò quòd id non reperitur in ſacris paginis. Si verò ſunt hæretici, eos dicam inſolentiſſimos, dum in me blaſphemant eorum doctrinam, & deteſtantur id, quòd me docuerunt. Certè aut conentur negare ſuam doctrinam, aut aſſentiri meæ opinioni. Quia in hac mea hæreſi utor eadem Methodo in interpretandis Scripturis, quàm ipſi adhibent in ſuis.

43 Contrà, bene dicit, quòd Catholici horrent hoc ſuum dogma falſum, & noviter inventum ſine ullo fundamento, quòd meretur majorem pœnam, ex errore ejus, dum fatetur minorem judicari ab ipſis pœnam ignis. Subdit, quod Catholici non iraſcentur, ſed poſſunt, & debent iraſci contrà tàm grave ſcelus cum Pſal. 4. 5. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Sed ubi eſt ejus ſinceritas excuſanda? Imò accuſāda ejus præſumptio, & mendacium, quia in ejus dictis nulla veritas, nulla integritas, nulla puritas invenitur, ſed plena ſunt fallaciis, falſitatibus, & deceptionibus; qui enim in fide claudicant, verum Scripturarum ſenſum penetrare non poſſunt, ex S. Cyrillo relato *in Actis Concil.* *Ephe-*

Digitized by Google

Epheſini cap. 16. *tom.* 6. Illa propoſitio: *Nihil credendum, niſi expreſſum in ſacris literis*, eſt omninò falſa, & hæretica, quod pro-
44 batur. *Tùm quia* per eam excluduntur Traditiones Chriſti, quæ non ſunt ſcriptæ, nec expreſsè, nec implicitè, & tamen illæ de fide ſunt credendæ, ex definitione Tridentini ſeſſ. 4. capit. 1. *Tùm quia* in Sacra Scriptura multa obſcurè continentur, quæ credenda ſunt, quandò Eccleſia ea proponit ut credenda de fide; ergò non tantùm expreſſa, ſed etiam obſcura, & implicitè in ea contenta credenda ſunt, quandò declarata ſunt à judice controverſiarum fidei, qui eſt Pontifex Ro-
45 manus. Quòd autem in Scriptura reperiantur obſcura intellectu, teſtatur S. Petrus 2. capit. 3. 16. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut, & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Sub indoctis, & inſtabilibus connumerandus eſt noſter hæreticus, qui reverà eſt indoctus, quia errat contrà communem ſententiam omnium peritorum, non ſolùm Catholicorum, ſed etiam Gentilium, & quarumcunque nationum aſſerentium, mulieres eſſe de ſpecie hominum. Inſtabilis nuncupandus eſt, quia à recta fide tranſivit ad fidem, & Sectam inſipientium.

Errorem principalem ſubjungit dicendo: *Io non credo le donne della ſpecie degli huomini, già che queſto non ſi trova nelle ſacre carte.* Ex ſuppoſito falſo uti tali probato per nos, non poterat concludere niſi falſum, fœminas ſcilicèt non eſſe de ſpecie hominis, quia id non reperitur in ſacris paginis. Reperitur ergò in ſacris paginis, quòd mulier eſt de ſpecie hominis, quia & ipſa vocatur homo, ut probatum fuit ſuperiùs *ſub num.* 4. *ad* 21. Hoc autem ipſo, quòd mulier eſt homo, neceſſariò eſt de ſpecie hominum, aliquam enim perſonam eſſe hominem nihil aliud ſignificat, quàm illam eſſe ſub ſpecie hominis; valet enim prædicatio ſpeciei de individuis ſuis, ut Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, Catharina eſt homo, Agnes eſt homo; ergò hæc individua ſunt homo, quia ut dicit Porphyrius; participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo in ſpecie, ac proindè qui eſt homo, & quæ eſt homo, eſt de ſpecie hominum; ſed mulieres vocantur nomine hominis in Sacris Scripturis, ut viſum fuit loco citato; ergò id expreſſum eſt in ſacris literis.

46 Obſervandum quoque eſt, quòd ut aliquid dicatur eſſe de fide, non eſſe neceſſarium, ut inveniatur in libris Canonicis expreſſum in terminis terminantibus, prout à nobis profertur; ſufficit enim, ut in ea reperiatur ſub aliis terminis idem ſignificantibus, quia in intelligenda Sacra Scriptura, non eſt recurrendum ad vocabula in ſe ipſis ſpectata in ratione ſoni, ſed in ratione ſenſus, & ſignificationis eorum, quia litera occidit, & ſpiritus vivificat, ſcilicèt, veræ, & propriæ ſignificationis, ſecundùm Apoſtolum 2. cap. 3. 6. Eſto igitùr vox *Speciei* in re noſtra non inveniatur in ſacris literis, reperitur tamen ſub vocabulo *Generis*, quod idem ſigni-

ſignificat ac *Species*, & uſitatur in Sacra Scriptura ſæpiùs, Geneſ. 7. 14. *Omne animal*, *ſecundum genus ſuum*, *ingreſſum eſt in Arcam*, ideſt, de ſpecie omnium animalium, maſculus, & fœmina ingreſſi ſunt in Ar-
47 cam. Et quòd ea vox *Genus* ſumatur pro ſpecie etiam reſpectu hominis utriuſque ſexus, habetur planè ibidem cap. 9. 19. *Et ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum*, *ſuper univerſam terram*. Certum autem eſt, quòd non ſolùm mares, ſed etiam fœminæ diſſeminatæ, & generatæ fuerunt à Noe, & tribus ejus filiis, Sem, Cham, & Japhet, niſi inſipiens id negare poteſt. Hinc habes duo, & verbum *Genus* ſignificare ſpeciem, quia reverà homo genus non eſt, ſed ſpecies, ut dicunt Philoſophi; ſi his credit hæreticus, quare non Deo, qui idem dixit hìc? & verbum *Hominum* referri etiam ad fœminas, quæ genitæ fuerunt à filiis Noe; ergò ſecundùm Scripturam fœminæ ſunt de ſpecie, & genere hominum. Simile exemplum habes apud Eſther cap. 13. ubi tulit Rex Artaxerſes iniquam legem mortis contrà omnes Hebræos, maſculos, & fœminas,
48 ibi: 5. *Videntes unam gentem rebellem*, ſic vocabant Hebræos, *adverſus omne hominum genus*, *perverſis uti legibus &c.* Sermo eſt ex illis verbis, *omne hominum genus*, de genere, hoc eſt ſpecie *hominum*, ſcilicèt maſculorum, & fœminarum Gentilium, quæ diverſam legem habent à Judæis maſculis, & fœminis, de quibus ibi: *Cum conjugibus*, *& liberis deleantur ab inimicis ſuis*, *ut nefarii homines uno die ad inferos deſcendentes*, *reddant imperio noſtro pacem*. Ex quibus verbis prioribus, manifeſtè colligitur ſubſequens verbum *Homines* includere, tàm fœminas, quàm mares, cum omnes illo edicto condemnati fuiſſent ad mortem. Plura poſſem referre hujus generis exempla, ſed hæc ſatis ſint.

49 Quòd genus ſumatur pro ſpecie, certum eſt apud omnes peritos, nam id dicit D. Thomas 1.2.*q.* 18. *art.* 2. ubi exemplificat in illis verbis ſecundæ antiphonæ Veſper. Circunciſionis Domini: *Ut ſalvum faceres genus humanum*, ideſt ſpeciem humanam. Id autem eſt familiare Legiſperitis, *Gloſ. v. Genus l. Non videtur* 33. *ff. de judic. Gloſ. Aliud lignum l Ligni* 53. *ff. de legat.* 3. Undè Antonius Nebriſſenſis in vocabulario juris *V. Genus*, inquit, quod Juriſconſulti ſumunt genus pro ſpecie Logicorum.

Demùm invehitur in hæreticos ſuam opinionem carpentes, quia ab eis didicit Methodum interprætandi Scripturas: ſed de illis conqueri non poteſt, quia ab eis hunc errorem edoctus non fuit, ſed ipſe primus fuit auctor ex ſua inſania.

50 Quartò, proſequitur ſuum errorem dicendo: Scriptura declarat maledictum illum, qui aliquid addit verbis Dei; ergò omnes addentes, & credentes mulieres eſſe de ſpecie hominis, erunt maledicti, quia in neutro teſtamento reperitur, mulierem eſſe de ſpecie hominum. Quod ſi eſſet verum, in aliquo loco eſſet expreſſum à Spiritu

Sancto, ſed cum à nullo vocata fuerit de ſpecie hominum, qui audit aſſerere id, plus ſapit, quàm ipſe Deus.

51 Contrà eſt, quia quamvis verum ſit, nihil addendum eſſe Sacræ Scripturæ; id enim prohibetur Exodi 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Iterùm 12. extremis verbis: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Proverb. 30. 6. *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax.* Et tamen non legi formalem maledictionem in dictis locis, nec alibi; ergò tu maledictus es, qui addiſti verbo Dei hanc maledictionem; non nego tamen, alterantem verbum Dei eſſe maledictum, cum peccet mortalitèr in re tàm gravi, adulterando veritatem. *La Scrittura dichiara.* Ecce quomodò iſte in alium errorem præcipitat; nam facit Scripturam interpretem Verbi Dei, quod omninò falſum eſt, cum ea tantùm ſit norma, & regula in-
52 telligendi illud; Summus verò Pontifex Romanus, & ab eo dependentèr Concilium generale ſit Judex in ſententia omnium peritorum, de qua re *Becanus de fide cap. 7.* vertit in Catholicos ſuam maledictionem, ſed ab ipſo proferente egreſſa non eſt, quia clarè demonſtratum eſt, eſſe verbum Dei, quòd mulier eſt de ſpecie hominum; licèt enim hæc formalia verba, ſecundùm eorum ſonum, à Deo dicta non fuerint, prolata tamen ab eo fuit ea ſententia aliis verbis, eam expreſsè indicantibus, ut viſum fuit, nec per hoc aliquid additum fuit verbo Dei, ut patet rectè intelligenti præfatas auctoritates, quæ eum
53 habent ſenſum, ne veritas verbi Dei mutetur in falſitatem, aut ei addatur, vel minuatur id, quod Spiritus Sanctus non intendit; non prohibet verò interprætationem in eum ſenſum, quem intendit Spiritus Sanctus. Undè *D. Thom. p. 3. q. 60. art. 8.* ad primum, ait: quòd ad verba Sacræ Scripturæ non licet aliquid apponere, quantùm ad ſenſum, ſed quantùm ad ejus expoſitionem, multa verba à Doctoribus apponuntur; non tamen licet etiam verba Sacræ Scripturæ apponere, ità quòd dicantur eſſe de integritate ejuſdem, quia hoc eſſet vitium falſitatis. Ita ille. *Bellarm. lib. 2. de effectu Sacram cap. 32.* §. *Nonum argumentum*, reſpondit, Dominum non prohiberet quamlibet additionem, ſed eam, quæ poteſt corrumpere verum ſenſum verbi Dei.

Certum autem eſt, nos aſſerentes, mulierem eſſe de ſpecie hominis, nihil addere, nihil detrahere verbo Dei, ſed illud intelligere, ſicuti eſt, nempè ipſum dixiſſe, mulierem eſſe de ſpecie hominis, dum eam expreſſit ſub vocabulo hominis in multis locis
54 præallegatis: Confirmatur id, quia interprætatio, & declaratio verbi Dei nihil de novo addit, ſed quod inerat, non ità clarè, ſeù obſcurè, clariùs, & manifeſtiùs apparet; & quod ità ſit, probatur per *l. Hæres palam 21.* §. *Si quid ff. de teſtam.* ibi: *Nihil enim tunc dat, ſed tantùm ſignificat.* Facit lex. *Adeò 7.* §. *Cum quis, ſine ff. de acquir. rer. domin.* ibi: *Qui excutit ſpicas, non novam ſpeciem facit, ſed eam, quæ eſt, detegit.* Interprætatio igitùr, & declara-

claratio, quæ nihil de novo ponit in lege declarata, ſed quod inerat, obſcurè declarat, conſequens eſt, ut nihil addat legi divinæ, dum declaratur ad formam veri ſenſus ſibi debiti.

Patet ergò ex dictis, noſtram ſententiam eſſe expreſſam in prædictis locis, & Deo cognitam, ideò nihil ſcimus, quod Deo adverſetur, & dum ſcimus mulierem eſſe de ſpecie hominis, ſcimus, quòd Deus nos docuit, nec ſcimus plus ipſo Deo, quia non eſt diſcipulus ſuprà magiſtrum.

55 Quintò perſuadet ſuum errorem. Chriſtus etſi ſæpiùs expreſsè vocetur Deus, & eſt verè Deus, nihilominùs Anabaptiſtæ negant ipſum eſſe unicum, & verum Deum. Mulierem, quæ nec ſemel dicitur eſſe de ſpecie hominum, volunt, & credunt eſſe talem. O' deceptio, ò inſania, ò ſcelus! excuſantes ſe dicunt, quòd quamvis mulier expreſsè non dicatur de ſpecie hominum, tamen id colligi ex multis locis. O' fanatici homines, qui priùs clamabant, nihil aliud eſſe credendum, niſi expreſſum in Scriptura, nunc verò volunt, eſſe amplectendum etiam id, quod in ea non eſt expreſſum, eò quòd ex conjecturis colligi poteſt. Stultitia eſt.

56 Contrà eſt, quia, quidquid ſit de Anabaptiſtis ſic dictis ab iterato baptiſmo, de quibus *Prateolus lib.* 1. *cap.* 35. *ab anno* 1500. & ultrà, quòd Chriſtus non ſit Deus, eſt hæreſis antiquiſſima. Nos, qui ſumus Catholici, non urget hoc argumentum; nobis enim ſufficeret unicum dictum Scripturæ, quòd fœmina ſit de ſpecie hominis, ſed quoniam plura adduximus, eò firmiùs, & certiùs ſinè ulla hæſitatione credimus mulierem eſſe hominem. Cum illis objurgationibus: ò deceptio, ò inſania! &c. putat, ſe ſufficientèr probaſſe ſuum commentum, per has injurias, ſed errat, quia opiniones non injuriis, nec increpationibus probantur, ſed juribus, & rationibus, quas non adducit, quia nulla ratio eſt contrà veritatem, neque enim bonum, & verum inter ſe pugnant.

Catholici non ſunt fanatici homines, credentes ſcilicèt ſe duci, & ferri à numine aliquo falſo, ſed à vero Deo illuminantur, dum Sacras Scripturas, ſecundùm verum ſenſum, interpretantur, ſani ſunt intellectu, & mente quieti, dum ſe exponunt judicio Sanctæ Matris Eccleſiæ. Quare nunquàm clamarunt, illud ſolum eſſe credendum, quod in ſacris literis eſt expreſſum, ſed oppoſitum ſenſerunt, non ſolùm expreſſum, ſed etiam quod implicitè in eis continetur eſſe credendum, poſtquàm ab Eccleſiâ fuerit declaratum, & prætereà Traditiones Chriſti, ut ſuprà dictum fuit ſub num. 44. ſemper ergò idem dicunt, quia ſapientes ſunt, non ſtulti, ut hic hæreticus, cujus unaquæque propoſitio plena eſt erroribus, & mendaciis.

Nec verum eſt, Catholicos ex conjecturis colligere veritatem ex ſacris literis, ſed ex legitima, rationabili, & vera interpretatione accepta ex reali, & vero ſenſu verborum, juxtà communem ſententiam Patrum.

57 Sextò concedatur, inquit, quòd ex conjecturis haberi poſſit, mulieres eſſe de ſpecie hominum, quid

quid indè? Erit forſan illis licitum, vocare mulieres de ſpecie hominũ? Non quidē, quia Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli, certè ſcierunt deduci poſſe, mulieres eſſe de ſpecie hominum; & tamen auſi non fuerunt id apertè dicere. Quantò minùs id nos facere deberemus, ſi ex noſtra ſtultitia, non credimus licere nobis, quòd illi dicere noluerunt. Pro intelligentia tamen omnium, affirmo ex Scripturis non poſſe colligi, mulieres eſſe de ſpecie hominum.

58 Contrà eſt, quia non ex conjecturis, quæ inducunt levem ſuſpicionem, & non perfectam cognitionem rei, ſed ex auctoritate Sacræ Scripturæ, & ex interpretatione ejuſdem probatum eſt, mulieres eſſe de ſpecie humana, ac proindè falſum eſt, dictum non fuiſſe à Prophetis, ſeù Scriptoribus ſacris, ut fuit Moyſes, & Prophetæ, juxtà allatas auctoritates ſub num. 4. ad 21. Chriſtus quoque cognovit Mariam Magdalenam fuiſſe peccatricem, de propriis peccatis doluiſſe, & ab eo obtinuiſſe eorum remiſſionem, ac proindè implicitè ſaltem dixiſſe eſſe de ſpecie humana, quam ſolam venerat ſalvare. Nos igitùr expreſsè credimus, & dicimus, quòd Chriſtus dixit implicitè. Videtur autem ſibi contradicere, dum dicit: *I Profeti, Criſto, e gli Apoſtoli, ſaperono al ſicuro poterſi dedurre, le donne eſſer della ſpecie degli huomini*. Et poſteà ſubjungit: *Io afferm o non poterſi cavare dalle Scritture, che le donne ſiano della ſpecie degli huomini*. Modò ait deduci, modò negat colligi; ergò ſibi contradicit, aut non ſequitur, quod deducere poterant Chriſtus, & cæteri cum ipſo; ac proindè negat quòd Chriſtus apertè dicere poterat tanquàm verum.

59 Septimò hæreticus iſte nondùm directè probavit ſuum intentum, nec indirectè, quia præterquàm ejuſdem curſus eſt ferè totus fallax, & erroneus, ex diſparatis infert, inter quæ nulla poteſt eſſe connexio. Deinceps verò, cum adhuc nullum invenerit, vel leve argumentulum, putat ſe poſſe ſibi ſatisfacere, examinando pro ſuo libito nonnulla loca Sacræ Scripturæ. In primis autem ſic diſcurrit, ſed ſinè conſequentia, undè potiùs loquitur ſinè diſcurſu. Ex illis verbis: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Defenſores mulierum inferunt; ergò Eva eſt homo unus ſimilis Adamo. Ait, argumentum hoc eſſe falſum, quia non dixit Deus faciamus Adamo unum hominem *ſimile à lui*, ex quo ſequatur concluſio, Evam eſſe factam hominem, ut Adamus; ſed dixit Deus: *Facciamo all' huomo un' ajuto non ſomigliante all' huomo*, ut intelligunt ſtulti, ſed *ſimile à ſe ſteſſo, cioè d' una ſpecie differente dagli huomini, & dagli altri animali*.

60 Contrà eſt, quia ex illa auctoritate, rectè deducitur ea concluſio: Ergò Eva eſt homo ſimilis Adamo. Quæro à te, in quo Eva eſt ſimilis Adamo, niſi in ſpecie humanitatis, quia ipſa non minùs eſt homo, quàm ipſe Adam, cui ipſa eſt ſimilis: Ejus verba omninò, & expreſsè ſunt contraria verbis Dei, qui dixit: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Hæc verba, ut clarum eſt, nullam continent negationē, nec expreſsè, nec virtualitèr, & nihilominùs Adverſarius ea explicat per negationē: *Facciamo all' huomo un' ajuto non ſomigliante all' huomo*. Undè habes ex verbis Dei illam negationem; tu addidiſti illam verbis Dei; ergò ſuper

te erit maledictio, quam aliis intuliſti ſuprà ſub *num.* 51. & quod pejus eſt, non contentus additione negationis, aliud, quod Deus non dixit, adjunxiſti: *ſimile à ſe ſteſſo, cioè d'una ſpecie differente dalli huomini, & dalli altri animali*. Ex verbis Domini ſupracitatis: *Fa-*
61 *ciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Certè colligi non poteſt, nec directè, nec indirectè, mulierem eſſe alterius ſpeciei ab homine, dum inter diverſas ſpecies non detur ſimilitudo, ſed diſſimilitudo, & differentia, quæ inter illas eſt cauſa diverſitatis, non diſſimilitudinis; cum ergò Deus loquatur expreſsè de ſimilitudine, & non de diſſimilitudine, aberrat adverſarius noſter, & Deo imponit falſum, quòd non dixit. Ejus quoque verba inter ſe repugnant, dum dicit: *ſimile à ſe ſteſſo, cioè d'una ſpecie differente.* Quomodò ſimilis, ſi differens eſt, & diſſimilis? Hi ſunt effectus hæreticorum, qui obcœcati ignorant, quod dicunt, & uno verbo falſum, dicunt eſſe verũ, & ut inſani pugnant verbis ſibi cõtrariis. Verus ergò ſenſus illorum verborum ſatis clarus eſt. *Faciamus ei*, ideſt Adamo, adjutorium ſimile ſibi, ideſt eidem Adamo, ſimile in natura, quòd ſcilicèt ſit animal rationale, conſtans ſimilitèr ex corpore, & anima rationali, hæc eſt ſimilitudo, per quam Eva eſt ſimilis Adamo; ergò non eſt reverà differens, nec alterius ſpeciei ab eo, conſequentèr eſt de ſpecie hominum.

62 Octavò, incipit facere pedagogum inſtruendo ſuos ſequaces, illis explicando verba hæc: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Hic aliud non dicit, niſi, quòd bonum non eſt, unicum hominem eſſe in mundo, & oportere dare illi adjutorium, cum quo poſſit generare alios homines. Ergò ſi hoc primum adjutorium Adami ad generandum, ne ſolus eſſet, erant alii homines, Eva non poteſt dici homo, quia facta non fuit, ut Adam non eſſet ſolus, ſed ut, ea mediante, Adam generaret alios homines, qui eum eruerent de ſolitudine. Idem Eva fatetur, ſtatim ac genuit Cain, exclamavit, peperi hominem ſecundùm voluntatem Dei. Dicite quæſo, quæ erat hæc voluntas Dei? Nulla quidem alia, niſi ut generaret hominem, ne Adam ſolus remaneret. Undè credunt communitèr Doctores per hoc, Evã genuiſſe Cain, & Abel gemellos. Ecce quàm perfectè Scriptura concordat, & ut convenientèr mater omniũ viventium Eva teſtatur, hanc Dei voluntatem remanere adimpletam, non quãdò erat cum Adam in una carne, ideſt, unus ſolus homo, quia uſq; ad eam horam erat ſolus, quia erat unus, ſed cum vidit in mundo filios natos ad multiplicandum genus humanum.

63 Contrà eſt, bene Adverſarius loqueretur, ſi mancus non fuiſſet in ponderando ſingula, quæ continent verba Domini, quæ tria ſunt, ſolitudo Adami, ſimilitudo Evæ cum Adamo, & generatio filiorum, ex utroque. Reſpexit ad extrema, noluit medium, in quo conſiſtit virtus, & ſcopus totius præſentis controverſię. Verum ergo eſt, quòd Deus dedit adjutorium Adamo, ut cum illo poſſet genus humanum propagare, ad hunc finem potiſſimum Adamo datum fuit adjutorium, ut teſtantur omnes S.S. Patres cũ D. Auguſtino *tom.* 3. *lib.* 9. de Geneſi ad literam pręſertim ibi: *Si autẽ quæritur,*

ad quam

Digitized by Google

ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabilitèr occurit, quam propter filios procreandos. Et id multis infrà propagationem hujuſmodi adjutorii probat. Ex eo D. Thomas *par.* 1. *q.* 92. *art.* 1. Primum verò venit in conſequentiam, nam poſita generatione, Adam non ampliùs ſolus fuit; nec ad hanc ſolitudinem propriè reſpexit Deus, ſed ad generationem, quæ ſolitudinem tollit. Quare noſter Adverſarius manifeſtè errat, dum ait, hoc adjutorium illi datum fuiſſe, ne ſolus eſſet, quaſi ad id primo Deus reſpexerit, & non ad propagationem generis humani, contrà illud: *Creſcite, & multiplicamini* Deindè dicit: *Dunque ſe queſto primo ajuto d' Adamo di generare (per non eſſer ſolo) erano altri huomini. Eva non può dirſi huomo, perche non fù fatta, acciochè Adamo non foſſe ſolo, mà perche col ſuo mezzo Adamo generaſſe degli altri huomini, che lo cavaſſero di ſolitudine*. Apertè dicit, hoc primum adjutorium non fuiſſe Evam, ſed alios homines à ſolitudine eruentes Adam, ideò ipſam Evam nou poſſe dici hominem. Hæc interpratatio eſt falſiſſima, quia luce clariùs conſtat, nomine adjutorii venire ſolam Evam ſimilem Adamo, ac proindè eſſe hominem, undè iſte ignorans vitioſè prætermiſit illud verbum, *ſimile ſibi*, in ſua explicatione.

Quod autem nomine Adjutorii, ſeù Adjutoris, ut dicitur *cap.* 2. *num.* 18. & 20. veniat præciſè, & ſolummodò uxor Adami, quam primò vocavit Viraginem, quia de viro ſumpto, *n.* 23. & poſt peccatū Evam, quia cunctorum viventium mater futura erat, *c.* 3. *n.* 20. Probatur clarè ex Sacra Scriptura eo *cap.* 2. *num.* 20. *Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus; immiſit ergò Dominus Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*. Ecce adjutor, & adjutorium Adæ, quod eſt mulier, ſcilicèt Virago uxor Adami, & Eva omnium viventium mater; non ergò ſunt alii homines maſculi illud Adjutorium factum ſimile Adamo. Ità omnes Sancti Patres, nec aliquis hactenùs auſus eſt dicere hanc inſaniam, nec verbum Dei tàm clarum obumbrare. Excluſit Adverſarius Evam ab Adjutorio Adami, quia neſciebat ſe defendere, ac proindè errorem errore detegit, dum unicum occultare voluit. Fuit ergò hoc Adjutorium ſcilicèt Eva *ſimile ſibi*, ideſt Adamo, conſequentèr fuit ejuſdem ſpeciei cum illo.

64 Probat ſuum commentum ex verbis Evæ, quæ poſt partum Cain dixit: *Hò partorito un'huomo, secondo la volontà di Dio*. Voluntas autem Dei, inquit, fuit, ut generaretur per illos homo, ne Adam eſſet ſolus. Verum quidem eſt, quod ex voluntate Dei Eva genuit Cain, quia ſinè voluntate Dei nihil fit juxtà illud Apocal. 4. 11. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt*. Verbum *erant* refertur ad decretū ęternū creandi mundum, & quę in ea ſunt. Nihilominùs id non facit ad propoſitum, & intentum ſuum, quia ea verba non referuntur ad impletionem illius dicti: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolùm, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Ideſt demus ei filiū Cain, & Abel, ut non ſit ſolus, ſed habeat

adjutorium alios homines. Hic enim ſenſus, ut ſuprà oſtenſum fuit, manifeſtè adverſatur Spiritui Sancto, qui nomine Adjutorii intellexit ſolùm Evam, & non alios homines.

Eva, igitùr per illa verba *Poſſedi hominem per Deum, Gen. cap. 4. num.* 1. egit Deo gratias de filio parto, recognoſcendo prolem ab ipſomet Deo Creatore omnium. Et nihil aliud intendit, præter quod dixi, quia id ſolùm ad propoſitum in ea re
65 faciebat. Et illa præpoſitio *Per* indicat cauſam efficientem, juxtà illud Joan. 1. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſinè ipſo factum eſt nihil.* Et infrà num. 10. *Et mundus per ipſum factus eſt.* Eva igitùr confeſſa fuit ſui filii Creatorem, & nihil aliud intellexit. Illud autem verbum indicare cauſam efficientem, docent Juriſconſulti, Romanus, Tuſchus, & alii allegati à Barboſa hac *dict.* 250. *num.* 5.

66 Demùm ait à Doctoribus communitèr credi Cain, & Abel gemellos. Non inveni in meis Codicibus illos uno partu fuſos, ſed tantùm maſculum, & fœminam, Cain ſcilicèt, & ſororem ejus nomine Calmanam, vel Riſam, ex adductis à *F. Hieronymo de Bocchiis Florent. Capucino in ſuo Monopanthon. fol.* 136. *§. Hoc ipſo*, qui cum multis ait, Cain genitum fuiſſe primo mundi anno, Abelem verò anno decimoquinto mundi, §. *Anno mundi*. Non potuerunt ergò eſſe gemelli. *Salvator verò de Vitalib Minor. de Obſerv. in ſuo Theatro Triumphali Civitatis Mediol. fol.* 43. *dicit* Cain natum anno ſecundo, Abel verò anno tertio; ergò non fuerunt gemelli. Et id ſuadetur, quia in
67 textu Geneſ. 4. 2. habetur. *Rurſumque peperit fratrem ejus Abel*, illud enim *Rurſum* ſignificat iterùm, denuò, ut conſtat ex Calepino, & importat duas vices, *ex l. Fideicommiſſa* 11 *§. Si quis, ff. de legat.* 3. non fuerunt ergò ambo ſimul parti una effuſione, ſi unuſquiſque per ſuam vicem exivit ab utero matris, diverſis ſcilicèt temporibus. Sed demus partum gemellum, quid indè? Forſan ſequitur Evam non eſſe de ſpecie hominum, quia tres homines maſculi erant in mundo? Quid Eva erat, antequàm pareret filios ſuos? certè de ſpecie hominum, conſequentèr & poſt.

Concludit, Evam ſuo dicto concordare cum Sacra Scriptura, nimirùm, & Dei voluntatem remanere adimpletam, non quandò Adam erat in carne una, ſed poſt generationem filiorum, non ampliùs eſſe unum, & ſolum. Nos verò ſuprà probavimus, Evam nihil dixiſſe de adimpletione hujuſmodi voluntatis Dei, ſed ſolum Deum recognoviſſe creatorem filii ſui Cain, quem poſſedit per ipſum, tamquam auctorem, & cauſam efficientem, non verò ſecundùm voluntatem Dei in eo ſenſu, ut Adam erueretur de ſolitudine. Aliud præterea eſt dicere; *Poſſedi hominem per Deum*, aliud dicere *ſecundùm Deum*, nam illud ſignificat cauſam productivam, in quo ſenſu ſumitur ibidem, ut probatũ fuit; hoc verò dicit cõformitatem voluntatis Dei cum creatura, quam volvit eſſe in rerum natura, ſeù potius conformitatē crea-

crea-

creaturæ cum voluntate Dei, qui creavit Cain, ut exequeretur præceptum de propagatione.

68 Nonò, proſequitur perſuadere ſuum intentum, exemplis inſtrumentorum artis ſic. Experientia teſtatur, & communis Philoſophorum opinio, nihil in naturalibus operari, niſi concurrat cum efficienti cauſa inſtrumentalis. Faber enim ſine malleo non format. Scriptor ſine calamo non ſcribit. Sutor ſine acu non ſuit. Ita homo ſine fœmina operari non poteſt. Utergò prædicta inſtrumenta non ſunt de ſpecie cauſæ illis utentis, ità neque fœmina eſt de ſpecie hominis. Si quis negaret fœminam eſſe inſtrumentum hominis, aliud oſtendat. Si monſtrabit pudenda, ab omnibus illudetur, quia non invenitur naturaliter inſtrumentum unitum cauſæ efficienti, ſed ſemper diſiunctum, eo modo, quò malleus eſt diſiunctus à manu, quæ non eſt inſtrumentum. Ex quibus conſtat, non pudenda, ſed mulierem ipſam eſſe inſtrumentum.

69 Contrà, quia hæc exempla non faciunt ad rem, cum agatur de generatione naturæ, & non de operatione artis, cujus inſtrumenta ſunt artefacta, ſicut ejus effectus dicitur artefactum, & ſemper ſunt diſtincta ab agente, & ſeparata, atque alterius ſpeciei, quia nihil de ſua ſubſtantia tribuunt artefacto, ad differentiam agentis naturalis viventis, cujus

70 generatio eſt viventis à vivente, à principio vitæ conjuncto, in ſimilitudinem naturæ, ſecundùm *D. Thomam part.* 1. *qu.* 27. *art.* 2. *Meldul. diſput.* 8. *de Generat. qu.* 1. ubi dicit principium hoc generanti, debere eſſe conjunctum intrinſecè, & ſubſtantialitèr, ut genitum dici poſſit de ſubſtantia generantis, & filius de ſubſtantia patris, & hoc in creaturis eſt ſemen ſubſtantiale exciſum à ſubſtantia generantis, tranſiens in genitum dictum ejuſdem propter hoc ſubſtantiæ. Generans autem eſt uterque parens, quæ ſunt duæ cauſæ partiales principales, & non inſtrumentales, per quas producitur effectus, nam ut ſuperiùs dixi ſub *num.* 10. tàm maſculus, quàm fœmina, concurrunt activè ad generationem, conflantes unam cauſam efficientem principalem, undè nulla ratione fœmina habet rationem cauſæ inſtrumentalis in generatione, ſi eſt

71 principalis partialis, ut dictum eſt; & quod ità ſit, probatur ex definitione utriuſque; nam cauſa principalis eſt illa, quæ primò, & virtute propria attingit effectum à ſe intentum ſecundùm *Suarez diſp.* 15. *Metaph ſect.* 1. Inſtrumentalis verò eſt illa, quæ famulatur principali agenti, cui ex propria natura ſubordinatur, ut calor dicitur inſtrumentum ignis, ad producendum ignem, undè cauſa eſt in genere ſubſtantiæ, inſtrumentum verò de genere accidentis. Videamus modò, an fœmina, ut vult Adverſarius, in generatione ſit cauſa, an inſtrumētum; certè hoc poſterius eſſe non poteſt, quia non eſt accidens ſed ſubſtantia; reſtat ergò quòd ſit cauſa principalis, & partialis, quæ cum maſculo concauſa concurrit ad productionem effectus ſibi ſimilis, & intenti ab utraque. Itaque errat ille dicens, mulierem eſſe inſtrumentum ad generationem,

nem, cum ſit concauſa principalis.

Quis negabit pudenda eſſe inſtrumenta, quod luce clariùs conſtat? ſicut clarum eſt manum eſſe inſtrumentum ad ſcribendum, & quidem inſtrumenta naturalia; ergò naturalitèr datur inſtrumentum conjunctum cauſæ efficienti. Semen etiam animale dicitur inſtrumentum conjunctum ipſi animali, licèt non operetur niſi ab eo deciſum, & tunc dicitur inſtrumentum diſiunctum. *Vide Meldul. diſp. 7. q. 5. num. 69. & ſeq. in libros Phyſicorum.*

72 Decimò occurrit objectioni fundatæ in illis verbis, *ſimile ſibi* dicendo, ſicut ad expurgandum ferrum non gramine, ſed aliquo quis utetur ſimili rei luſtrandæ, cum qua res luſtranda habeat convenientiam, & ſic uterque utrique convenit. Sutor non ſecuri, ſed acu utitur ad ſuendum veſtem, quod eſt adjutorium aptum, & conveniens ad conſuendum.Ità Deus pro generatione, Adamo non ædificavit animal quadrupes, aut aliud diſſimile, ex quo non potuiſſet generari homo, ſed ei dedit adjutorium ſimile ſibi ideſt idoneum, ut mulier. Unde Apoſtolus dixit, non eſſe hominem factum propter mulierem, ſed hanc propter illum. Verus autem ſenſus horum verborum, ut aſſerunt quinque Rabini non eſt interpratatio æqualitatis perſonæ Adami, ſed convenientiæ ad futurum opus. Qui non eſt ſatisfactus legat doctiſſimos Theologos noſtræ ætatis, & videbit, illos unanimiter docere, fuiſſe ea verba male interprętata hebraice, quia nolunt dicere adjutorium ſimile ſibi, ſed inſtrumentum, quod ſit ſicut ille. Et Sebaſtianus Cartalius in ſua verſione intendit: Faciamus jumentum illi accommodatum.

73 Contra eſt, quia ea comparatio non facit ad rem, cum ſupponat, hoc adjutorium ſimile Adamo, in generatione habere rationem inſtrumenti, quod in præcedenti rejectum eſt. Prætereà ea verba *ſimile ſibi*, non tantùm important convenientiam, verum etiam dicunt ſimilitudinem ſecundum ſpeciem, ut patet in omnibus viventibus, qui generant ſimile ſibi ſecundum ſubſtantiam, ex quo

74 generatio nuncupatur univoca, quia generans, & genitum ſunt ſub eadem ſpecie, ut colligitur ex *cap. 7. Geneſ. nu. 14. Omne animal ſecundum genus ſuum &c.* antecedenter autem ea nominaverat ſub vocibus Maſculi, & Fœminæ, ſimilitudo igitur attenditur ſecundum ſubſtantiam, ut ſcilicet maſculus, & fæmina ſint ejuſdem generis, hoc eſt ſpeciei. Non ſufficit ergo, quod fæmina ſit idonea, conveniens, & apta, ſed prætereà debet eſſe ſimilis, hoc eſt, ejuſdem ſpeciei cum maſculo, quod ſicut non negatur in cæteris animalibus ratione carentibus, multò minùs à fæminis animalibus ratione prædictis tollenda eſt.

75 Verbum igitùr *ſimile ſibi* refertur ad ſubſtantiam eandem in utroque; & probatur, quia idem importat, quod ſignificat in verbis præcedentibus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Simile enim dicitur, quod alterius habet ſimilitudinem. Manifeſtum autem eſt, ſub his verbis: *Faciamus hominem*, compræhendi etiam fœminam, & non tantum maſculum, paulò enim poſt ſubjungit: *Creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos.*

Ibi

76 Ibi autem Deus loquitur de ſimilitudine ſecundùm ſubſtantiam, quia nullum accidens eſt in divinis perſonis, cui aſſimiletur homo, factus ad imaginem Dei, qui tantùm ſubſtantia eſt; igitùr homo tàm maſculus, quàm fœmina eſt imago, & ſimilitudo Dei ratione ſubſtantiæ animæ intellectualis, reſpectu cujus homo dicitur ſimilis Deo, qui & ipſe intellectualis eſt. S. Bernardus de Anima cap. 1. inquit: *Nihil enim tàm ſimile ſummæ ſapientiæ, quàm mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem in illa Trinitate ineffabili conſiſtit*. Id autem pertinet ad ſubſtantiam, non ad convenientiam, & qualitatem, ſeù accidens relativum; ergò *ſimile ſibi*, refertur ad ſubſtantiam eandem. Quod multis comprobat D. Auguſt. *tom. 3. de Geneſi ad liter. lib. imperfecto propè finem. S. Thom. part. 1 q. 93. art. 9. ex S. Aug. tom. 1. de quantitate Animæ cap. 2.* ait: quòd ſimilitudo Dei attenditur in anima, in quantùm eſt incorruptibilis, ac proindè ut dicit ſubſtantiam. Fœmina igitùr dicitur *ſimilis ſibi*, ideſt, Adamo, in quantùm cum eo communem habet in ſpecie animam rationalem, & immortalem ſimilem Deo, qui immortalis eſt per eſſentiam, anima verò per ſimilitudinem, & participationem à Deo immortalis eſt. Dicitur
77 autem *ad imaginem, & ſimilitudinem*, quia imago alicujus non eſt, niſi ſit illi ſimilis, ut dicit S. Thomas cum D. Auguſtino locis præcitatis; & literalitèr loquendo pro eadem re accipiuntur, ſcilicèt pro anima intellectuali, ratione cujus homo aſſimilatur Deo.

78 Nec dictum Apoſtoli 1. Corinth. 11. 7. *Vir imago, & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt, non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro.* favet hæretico, quaſi mulier non dicatur *ſimilis ſibi* in ſubſtantia, quia ipſa non dicitur ab Apoſtolo imago Dei, ſicut vir. Nam Apoſtolus non negat imaginem Dei mulieri, ut docet S Thomas in hoc loco his verbis. *De viro dixit, quòd vir imago, & gloria Dei eſt, de muliere autem non dixit, quòd eſſet imago, & gloria viri, ſed ſolùm, quòd eſt gloria viri, ut detur intelligi, quòd eſſe imaginem Dei, commune eſt viro, & mulieri; eſſe verò gloria Dei, immediatè eſt proprium viri.* Eſtius idem dicit hic: *Virum eſſe Dei imaginem non id omninò negat de muliere, ſed ſignificare voluit perfectiùs, & principaliùs, id viro competere, propter rationem naturalitèr in eo vigentem, non propter dominium, quod viro competit ampliùs, atque univerſaliùs, quàm mulieri.* Mulier ergò eſt imago Dei, ſicut & vir, ac proindè mulier illi ſimilis eſt ſecundùm imaginem in eo conſiſtentem, ut eandem animam habeat, qua conſtat Adam.

Dum hæreticus ſuum errorem conatur cohoneſtare exemplo Sutoris, qui acu, non gladio utitur ad conſuendam veſtem, adducendo auctoritatem D. Pauli mox explicatam, videtur per eam ſupponere mulierem viro datam eſſe, ac ſi eſſet inſtrumentum ejus, ſicut acus eſt Sutoris. Sed omninò errat, quia hæreticus eſt. Nam
79 illud verbum *Adjutorium* non importat famulatum, ut præſefert inſtrumentum, ſed dicit concauſam cum Adamo in propagatione generis humani, ſivè ſit cauſa activa

activa

aĉtiva efficiens cum Scotiſtis, ſivè cauſa materialis cum Thomiſtis, ſiquidem in Sacris literis
80 Eva nunquàm vocata fuit famula Adami, nec mulier ſerva viri, ſed tantùm adjutorium, & ſocia, cap. 3. num. 12. *Quam dediſti mihi ſociam*, ideſt, Evam uxorem meam, ut id probatur etiam profanorum dictis, Cicero: *Teque particeps connubii ſocia, regni regina*. Ovidius 10. Metam. *Appellatque tori ſociam*, ideſt uxorem. Idem Cicero: *Novem homines honeſtiſſimos ejuſdem muneris, legationis, officii, mandatorumque ſocios induxit*. Uxor igitùr etſi ſit propter virum, & viro ſubdito, ut dicit Paulus, non ideò tamen ejus eſt inſtrumentum, nec ſerva, quia Apoſtolus dixit: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino*. Explicat hic Cajetanus. *Non dicit: ſicut Dominis, quia non mandat, uxores eſſe velut ſervas maritorum, ſed dicit: Sicut Domino, hoc eſt, ſicut Chriſto, hoc eſt, voluntariè, & ex amore*. Facit etiam
81 illud proverbium *Nube pari*. Inter pares autem non habet locum famulatus, & ſervitus, qui inter diſpares reperitur. Quare adductus Apoſtoli locus non facit pro hæretico, ſed contrà ipſum eſt.

Subdit, quinque Rabinos illa verba, *Simile ſibi*, interprætari pro convenientia, non pro æqualitate perſonæ Adami. Nos cum ſimus Catholici, ſequimur veritatem Catholicorum, non mendacium Hebræorum, qui cum Chriſtum non ſequuntur, ſanctas literas benè interprætari non poſſunt.

Sebaſtianum Cartalium non novi hominem. Scio, dictum ejus, *Faciamus jumentum illi accommodatum*, eſſe hæreticum; nam jumentum ſignificat animal ratione expers, ex *cap. 8. Geneſis*, & alibi ſæpiùs, & licèt Eva, ac mulier ſit data in adjutorium viri, nunquàm tamen vocatur jumentum in ſenſu prædicto.

82 Undecimò, ait conceſſo, quòd mulier ſit facta ad imaginem hominis, quid indè? Si Chriſtus apud Anabaptiſtas non eſt Deus, quamvis ſit ſubſtantia, & imago Dei Patris. Etiam nos dicemus, mulierem non eſſe de ſpecie hominum, quamvis creatam ad imaginem hominis. Vis autem ejus argumenti videtur in hac forma conſiſtere. Sicut ex conceſſione imaginis Dei in Chriſto, non infertur ſecundùm Anabaptiſtas, Chriſtus eſſe Deus, ità ex conceſſione imaginis viri in fœmina, non infertur fœmina eſſe homo.

Contrà eſt, hæreticus uti errans ſequitur errantes Anabaptiſtas, cujus methodum arguendi non habent Catholici, ne cum illis errent. Falſum autem eſt, ex conceſſione imaginis Dei, non inferri divinitatem in Chriſto; nam hæretici cum Ario negantes, Chriſtum eſſe Deum, utebantur illo Geneſis pronuntiato: *Faciamus hominem ad imaginem, &*
83 *ſimilitudinem noſtram*. Chriſtus eſt homo, ac proindè factus ad imaginem Dei, ſicut cæteri homines, cum Adam non poſſit eſſe Deus, quia Deus cum ſit ſimpliciſſimum ens, non habet hominis effigiem, nec figuram, quæ compoſitionem dicunt; non poteſt ergò Chriſtus eſſe Deus, ſi eſt homo; ergò iſti negabant imaginem Chriſto, ut negarent de eodem divinitatem.

tem. *Vide lib. 2. ſuper Nicænum Concilium tom. 1. fol. 518. & ſeq. impreſſionis Nicolinæ Venetæ*. Quare hæretici, volentes negare de Chriſto divinitatem, conſequentèr negant etiam imaginem Dei de ipſo, ſi volunt loqui conſequentèr, hoc eſt, unum errorem deducere ex alio; talis enim eſt ſtylus hæreticorum. Imago igitùr infert imaginatum, ſed Chriſtus ſecundùm Apoſtolum eſt imago Dei; ergò Deus eſt.

Pari ratione, Mulier eſt imago viri ex eodem Apoſtolo; ergò eſt homo, ſicut vir eſt homo; non enim vir, cujus fœmina eſt imago, repræſentat ſexum virilem, ſed naturam humanam, ac proindè eſt homo, repræſentatus per imaginem ſuam.

84 Duodecimò arguit ſic. Benè ſciebat Deus, ſe creaturum Adam, & formaturum fæminam, quod ſi voluiſſet, ut mulier eſſet de ſpecie hominum, non dixiſſet in ſingulari: *Faciamus hominem*. Faciamus unum hominem, ſed faciamus homines. Quia igitur ita locutus fuit, colligitur ex verbis Dei, ipſum noluiſſe, quòd eſſet de ſpecie hominum, & quòd formavit unum ſolum hominem, & non duos.

85 Contrà, quia tota vis argumenti hujus, ſi qua eſt, pendet ex illis verbis, quæ tamen non ſunt pro Adverſario, ſed contra ipſum. Nam totam ſententiam non produxit, ſed illa duo verba, quæ nec pro ipſo faciunt. Dicit ergo Textus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Paulo poſt ſequitur, *Ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & fœminam creavit eos*. Ecce Textus replicat vocem *hominem* per illud relativum *illum*, ſemper in ſingulari, inſinuando, Deum per illum loquendi modum in ſingulari, locutum fuiſſe dè homine in ſpecie, cum verò expreſſit, *Maſculum, & Fœminam*, per illud relativum *eos*, ſignificavit utrunque eſſe hominem, Adam ſcilicet, & Evam; plures enim homines participatione ſpeciei, ſunt homo in ſpecie, & plures homines in ſingulari. Certum autem eſt, relativum *eos* referri ad verbum *Hominem*, qui ratione ſpeciei eſt homo, ratione verò individuorum dicuntur in plurali, & habent hunc ſenſum clariorem: Deus fecit Adam, & Evam hominem, & eos, ideſt, Adam, & Evam fecit, illum quidem maſculum, hanc verò fœminam; in omni enim genere animalium reperitur maſculus, & fœmina ejuſdem generis, & ſpeciei; cum autem homo ſit ſpecies ſub genere animalis, neceſſe eſt ex natura rei, ut etiam de hac ſpecie, ſit maſculus, & fœmina.

Dic, mihi, quæſo ſi credis myſteria fidei, vel ad minus credis Verbum eſſe filium Dei Patris? Nonne benè argumentaris hoc modo. Ideò Verbum eſt Deus, quia genitum eſt de ſubſtantia Patris Dei. Dicit enim Symbolum, & fides Catholica: *Deum de Deo*. Pari ratione, liceat mihi arguere. Ideò Eva eſt homo, quia formata eſt de ſubſtantia Adam hominis. Dicit enim ipſe Adam, ut teſtatur Scriptura de Eva: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt*. De alio autem viro ſumpta non fuit, quia nullus vir tunc erat, niſi Adam. Conſequens eſt ergò dicere, Evam eſſe de ſpecie hominis, quia

à Deo formata eſt de oſse,& carne ipſius hominis. O hæreticè! quarè filius tuus maſculus dicitur homo? nonniſi quia de tua ſubſtantia generatus eſt, ſed etiam filia tua de tua carne genita eſt, ergo & hæc, velis,nolis, erit non ſolùm filia tua, ſed homo, etiam non minùs, quàm filius tuus; non enim ſubſtantia ſuſcipit magis, & minùs. O inimice tuæ carnis, noli eſse incredulus, ſed fidelis, & miſerere filiæ tuæ, & uxori, quas facis incapaces ſalutis æternæ. Quis unquam odio habuit carnem ſuam? Nemo, niſi tu ipſe; & id mirum non eſt, quia nec tibi parcis, dum vis permanere in hac tua pertinacia.

86 Decimotertiò probat. Nonne ille ſolus eſt homo, qui formatus eſt ad ſimilitudinem Dei? Id certum eſt. Quæ imprudentia igitùr eſt velle affirmare, fœminam eſſe de ſpecie hominum, cum non ſit creata ad imaginem Dei. Percurratur tota Biblia, nullibi reperitur fœmina eſſe formata ad imaginem Dei. S.Paulus expreſsè dixit, quòd homo eſt imago, & gloria Dei, & mulier gloria hominis. Apoſtolus videndo, quòd mulier in aliqua parte deturpabat imaginem Dei, propter hoc affirmavit, non eſſe factam ad imaginem Dei. Caveamus igitùr nos ab offenſis Dei, & non credamus eſſe de ſpecie hominum, quòd Deus noluit honorare ſua ſimilitudine. Et eò magis, quia Papiſtæ ipſi, in ſuis Canonibus confirmant, mulierem non eſſe creatam ad imaginem Dei.

Contrà eſt, quia ejus argumentum nititur falſo fundamento; hactenùs enim probatum eſt, non ſolùm Adam, ſed Evam quoque eſſe creatam ad imaginem Dei, & id totum oſtendimus ex ipſamet Sacra Biblia, & Paulum non negaſſe imaginem Dei mulieribus. Nos autem aſſerentes, mulieres eſſe de ſpecie hominum ſecundùm veritatem, certò credimus non offendere Deum, ſed in hoc laudare Deum in devoto fœmineo ſexu. Nullus autem Catholicus, ut ſonat illud verbum Papiſta negavit mulieri imaginem Dei, & cum Adverſarius nullum Canonem, in quo mulieri negetur imago Dei, aſſignaverit, certum eſt, quòd diximus & ipſum eſſe mendacem. *Lege cap. 7. Proverb. & cap. 8. lib. 1. Conſtit. Apoſtol. S. Clementis Romani Pontificis*, ubi referuntur laudes mulieris pudicæ, & honeſtæ.

Subdit inimicus, mulierem, quia non fuit facta ad imaginem Dei, ideò deturpaſſe in aliqua parte imaginem Dei, his verbis: *Vedendo l'Apoſtolo, che la donna deturpava in qualche parte l'imagine di Dio, & per queſto affermò non eſſer fatta à ſua imagine.*

87 Errat iſte ſicut in aliis, nam verba S. Pauli 1. Corinth. 11. 4. *Omnis vir orans, aut prophetans capite velato, deturpat caput ſuum. Omnis autem mulier orans, vel prophetans non velato capite deturpat caput ſuum, unum enim eſt ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur, ſi verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum.* Conſtat ergò ex his, utrunque deturpare caput ſuum, virum quidem orando capite cooperto, fœminam verò è contrà capite aperto. Si uterque tranſgrediatur præceptum Apoſtoli, uterque deturpat imaginem Dei,

cum

cũ non ſit major ratio de uno, quã de alio, ac proindè etiam mulier creata eſt ad imaginem Dei, quàm deturpat, quandò aperto capite orat, ſicut eandem deturpat vir, quandò orat cooperto capite. Igitùr falſum eſt, quod dicit Adverſarius, mulierem ideò orare velato capite, quia nõ eſt formata ad imaginem Dei. Uterq; autem dicitur deturpare caput ſuum, quãdò ambo non obſervant, quod ab Apoſtolo illis præſcriptum fuit.

88 Cur autem fœmina debeat velare caput ſuum? Reſpondet Gratianus ad *q. 3. cauſ. 15.* id facere in ſignum ſubjectionis, & verecundiæ peccati, ad quod induxit Adam. *S. Ambroſius relatus cap. Mulier 19. 33. q. 5.* ait mulierem debere caput tegere in Eccleſia ob reverentiam Epiſcopi.

89 Dices, ex eo capite apertè haberi: *Mulier debet velare caput, quia non eſt imago Dei.* Hæc ſunt verba S. Ambroſii, quæ directè favent hæretico, ſed D. Auguſtinus *tom. 3. lib. 12.* de Trinitate reſpondetur, non ſolùm virum, verùm etiam mulierem eſſe formatam ad imaginem Dei, ut probat multis ſub *cap. 7.* præſertim ex illo ſæpiùs repetito, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* quibus verbis non eſt contrarius Apoſtolus, inquit enim: *Quomodò ergò per Apoſtolum audivimus, virum eſſe imaginem Dei, undè caput velare prohibetur, mulierem autem non, & ideò ipſa hoc facere jubetur. Niſi credo illud eſſe, quod jam dixi, cum de natura humanæ mentis agerem, mulierem cum viro ſuo eſſe imaginem Dei, ut una imago ſit tota illa ſubſtantia. Cum autem ad adjutorium diſtribuitur, quod ad eam ipſam ſolam attinet, non eſt imago Dei, quod autem ad virum ſolum attinet, imago Dei eſt, tàm plena, atque integra, quàm in unum conjuncta muliere.* Et paulò infrà. *Ex qua parte conſpectam conſulit veritatem, imago Dei eſt, ex qua verò intenditur in agendo inferiora non eſt imago Dei.* Iterùm infrà. *Sed quia ſexu corporis differt à viro, ritè potuit in ejus corporali velamento figurari pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, ut non maneat imago Dei, niſi ex qua parte mens hominis extremis rationibus conſpiciendis, vel conſulendis adhæſerit, quem non ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas habere manifeſtum eſt.* Quod clariùs dicit eodem tom. 3. in lib. de ſpiritu, & anima cap. 34. *Quandò verò cogitat, vel agit, quæ ſunt temporalia, mulier appellatur, & tunc non eſt dicenda imago Dei, & propterè debet velare caput.* Patet ergò ex his, fœminam quoque eſſe creatam ad imaginem Dei, quia ſimilem in ſpecie habet animam, ſicut maſculus; per animam enim, in qua vigent intellectus, voluntas, & memoria, uterque homo illis præditus Deo in Trinitate aſſimilatur. Et id eſſe de fide tenendum eſt, quia ſub his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* comprehenditur ex æquo maſculus, & fœmina, ut non ſemel ſuprà oſtendimus, & dixit loco citato S. Aug.

D. autem Ambroſius abſolutè non negavit mulieri imaginem Dei, ſed in eo ſenſu, quo fuit cauſa peccati originalis in Adamo, undè propter id ſubjecta fuit viro, quam ſubjectionem indicat illud velamentum capitis, ut dicit S. Paulus ibidem n. 10. *Ideò debet mulier poteſtatem habere ſuprà caput propter Angelos,* ideſt Sacerdotes, ut habet Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum *c. 58 to. 3. Con. il.*
90 *fol. 939.* Homo per peccatum dici-

tur perdere imaginem Dei, quia mente, per quam Deo ſimilis factus eſt, abutitur, dum peccat; ea enim dictat malum eſſe fugiendum, non amplectendum, & quo plus peccat, eò magis elongatur à Deo, & ei fit diſſimilis, licèt ſimplicitèr totam Dei imaginem non perdat, ſed ſolùm eam deturpat per peccatum, ut inſinuat S. Aug. *tom.* 1. *Retract. lib.* 2. *§. Per idem. tom.* 3. *lib.* 6 *de Geneſi ad literam cap.* 23. *Renovabimur ergò ſpiritu mentis noſtræ, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit.* Deturpando ſcilicèt illam, quam in nobis Chriſtus reſtauravit renovatione gratiæ, ſecundùm Apoſtolum 4. *Epheſ.* 23. Igitùr ſecundùm S. Ambroſium mulier non eſt imago Dei, in quantùm illam amiſit deturpatione, quia ut ipſe inquit, *prævaricatio per illam incboata eſt.* Velatur ergò mulier, & cooperit caput ſuum, non quia non fuerit & ipſa ad imaginem Dei, cum habeat à Deo animam rationalem, ſicut Adam, & maſculus, ratione cujus dicuntur formati ad imaginem Dei, ſed quia ipſa fuit cauſa prævaricationis Adæ, & in pœnam hujus peccati Deus eam ſubjecit viro, Gen. 3. 16. *Sub viri poteſtate eris.* Quare dum nubunt, tunc præſertim caput ſuum velant, ut hujuſmodi ſubjectionem oſtendant, Iſidorus relatus cap. *Fœminæ dum maritantur, ideò velantur, ut noverint ſe ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe, & humiles.* 7. 30. *qu.* 5. Velamentum igitùr non arguit defectum, & carentiam imaginis Dei in fœmina, cui nec ipſe Apoſtolus eam negavit, ut patet ex ſupradictis, & probatur etiam à Doctiſſimo Carmelita P. Lezana *tom.* 1. *Summ. Theol. P. P. tract.* 7. *diſp.* 3. *qu.* 3.

91 Decimoquartò, proſequitur Adverſarius ſuum argumentum: Si mulier fuiſſet de ſpecie hominis, ſequeretur, duos homines in Paradiſo peccaſſe, quia Eva æqualitèr peccavit ut Adam; ſed Apoſtolus dicit, per ùnum hominem, non per duos peccatum intraſſe; ergò colligitur, unum ſolum iſtorum fuiſſe hominem, ſcilicèt Adamum, non Evam. Tantò plus, quia ſi duo homines peccaſſent, duo etiam Chriſti, unus patiens pro maſculis, & alter pro fœminis. Sed unus ſolùm Chriſtus venit, & abundantèr ſatisfecit pro nobis; ergò homines ſolùm ſunt homines, & non mulieres.

92 Contrà eſt, quia certum eſt, ambos in Paradiſo peccaſſe; nam dicitùr Eccleſiaſtici 25. 33. *A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes moriuntur*; ergò ex quo ambo peccaverunt, infertur ambos eſſe homines. Ambo etiam æqualitèr peccarunt in eo, quod utrique impoſitum fuit præceptum de non comedendo de ligno, Gen. 2. *Præcepitque ei dicens: De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Illud pronomen, *Ei*, exponitur homini ſcilicèt maſculo, & fœminæ, ut colligitur ex cap. 3. 3. *Præcepit*, inquit Eva, *nobis Deus, ne comederemus* Par ergò fuit tranſgreſſio, ſicut communis, & æqualis utrique facta fuit prohibitio. Inæqualis veró cauſa tranſgreſſionis; nam Eva fuit initium peccati ex allata auctoritate, peccādò antè Adamū, quem adduxit ad eamdē tranſgreſſionē, ſed quia

93 Adamo tanquàm capiti præceptū fuerat factum adjectione pacti, ut juſtitiam originalem non ſolùm ſibi, ſed etiam poſteris ab eo deſcendentibus conſervaret, pro ſe, & illis infuſam, adeò quòd ſi peccaret

caret, illam ſibi, & poſteris amitteret, ideò in illo omnes peccaverũt, juxtà illud Apoſtoli ad Roman. 5. 12. *Per unum hominem*, ſcilicèt Adamum, *peccatum in hunc mundum intravit.* Benè dicit, *per unum hominẽ*, ad excludendũ Evam, quam ſciebat, & credebat eſſe hominem, non tamen habentem obligationem, juſtitiam originalem conſervandi pro poſteris, ſoli Adamo, ut dixi, pacto formatam; ipſe enim ſolus ſuſtinebat perſonam totius poſteritatis, ut inſinuat D. Aug. in Enchiridion ad Laurent. tom. 3. ca. 25. *Hinc poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam, quam peccando, in ſe, tanquàm in radice vitiaverat, pœnæ mortis, & damnationis obſtrinxit.* Loquitur tantùm de Adamo, conſequentèr Eva, peccando, ſtirpem ſuã non vitiavit. Nec obſtat, quod Salomon ſubjungit: *Et per illam*, id-

94 eſt, *Evã omnes morimur.* Quia aliud eſt mori in Eva, aliud mori per Evam, illud falſum eſt, quia in ſolo Adamo omnes moriuntur, quia ipſe ſolus in ſeipſo debebat poſteris conſervare juſtitiam originalem; hoc verò eſt verum, quia per Evã, & non in Eva peccavit Adam, cui illa fuit cauſa peccandi, ut indicat

95 illud verbum *Per illam*, præpoſitio ſiquidem *Per* notat cauſam efficientem, non materialem, & ſubjectivam conſervandi juſtitiam originalem. Peccaverunt igitùr ambo, Adam ſibi, & poſteris, Eva verò ſolùm ſibi; & propter hoc dicit

96 S. Th. 1. 2. *q.* 81. *art.* 5. quòd ſi Adam non peccaſſet, Eva peccante, poſteri non contraxiſſent peccatum originale.

97 Ex his colligitur contrà Adverſarium diverſimodè peccaſſe utrũque in ordine ad damna ex peccato conſequentia, ac proindè in hoc inæqualitèr poſſe duos homines illos, indè tamen non ſequi, duos Chriſtos fuiſſe neceſſarios, unum pro maſculis, & alterum pro fœminis ad patiendum, quia unicus patiens ſufficit pro omnibus, quia unus tantùm pro omnibus peccavit, & non ambo, ideò pro fœmina non erat neceſſaria alia perſona patiens. Dato etiam, & non conceſſo, quòd Eva peccaſſet etiam pro poſteris ſicut Adam, & eadem teneretur obligatione, nunquid unicus Chriſtus potuiſſet pati pro omnibus, & totum redimere genus humanum, ſicut redemit? Si enim factus eſt pro infinitis maſculis, & fœminis ſecundùm veritatem, poterat etiam pati, ſicut paſſus eſt, pro unica Eva, imò & cęteris fœminis; unicum enim fuit peccatum originale, licèt infiniti peccatores illud contrahentes.

98 Decimoquintò, Adverſarius fingit, Advocatos pro fœminis intelligere illud Apoſtoli, *Per unũ hominem*, Evã, quia primò peccaverat. Ergò ſi peccavit Eva, non peccavit Adam; & ſi ambo peccarunt, mentitur Apoſtolus, dicendo, *Per unum hominem peccatũ intravit in mundũ.* Alii ajunt, Apoſtolum adſcribere peccatum Adamo, quia ipſe erat ſuperior, & dignior Evæ; ergò ea nõ erat ſimilis Adamo. Dixit Deus ad Adam: *Tu dominaberis omnibus beſtiis.* Et in hoc forſan conſiſtit ejus majoritas, & ſuperioritas? Sed homo dominatur etiam mulieri, quis ità ſtultus erit, qui non credat mulierem potiùs beſtiam, quàm hominem.

Contrà eſt, quia iſte more ſuo, uti lingua doloſa, vana loquitur, dũ ſtultum dicit eum qui mulierem vocat hominem, & non potiùs beſtiam, ſed ipſe ſolus ſtultus remanebit, quia nullus ſanæ mentis mulierem vocat beſtiam.

99 Verba D. Pauli ad Rom. 5. 12.

Per

Per unũ hominẽ mors intravit in mundũ, intelligi poſſunt tantũ de Adamo, & de utroq; ſimul, ſed diverſimodè, prout infrà patebit. De Adamo tantùm ſenſum habent apertũ; nam illud adjectivũ, *unũ*, reſtringit hominem ad maſculum tantùm, & ſic per unũ hominẽ nomine Adamum tantùm mors intravit in mũdum, & in eo omnes peccáverunt, ſed quoniã in peccato Adami Eva quoq; partẽ habuit, quia fuit cauſa, per quam Adam peccavit, ut dicitur in Geneſi c. 3. 6. *Deditq;* ideſt, Eva *viro ſuo, & comedit*, non tamen fuit cauſa, ut Adæ peccatum eſſet ruina, & cauſa mortis in poſteris, ſed tantùm occaſio, ideò Apoſtolus dixit, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, quia ſolus Adam fuit cauſa peccati originalis, Eva verò ſolũ peccati actualis Adæ, at verò originalis, quod eſt communis ruina poſteris, non fuit cauſa, ſed tantùm occaſio, ſeù cauſa remota, quia non Eva, ſed ſolus Adam habuit debitum conſervandi ſibi, & poſteris juſtitiam originalem, & eam non perdendi per ſuum peccatum, factum noſtrum peccatum, ex quo vocatur originale, quia eſt origo cõmunis ruinæ totius generis humani. Et juxtà hunc ſenſũ, quòd per ſolum Adam peccatum intravit in mundũ, loquitur S. Thomas, prout diximus præcedenti reſponſione.

100 Eadem verba intelligi etiam poſſunt de utroq; parente, & tunc illa accipiuntur ſpecificè, & pro uno homine, in quantũ ſũt duo in carne una, prout alia occaſione *hominem* in ſingulari interpretatus fuit *S. Aug. to. 3. lib. 12. de Trin. c. 3. S. Thom.* ad illa verba inquit: *Cõſuetudo ſcripturæ eſt, ut genealogiæ non per mulieres, ſed per viros ducantur, & ideò Apoſtolus hìc volens quaſi genealogiam quandam peccati oſtendere, non fecit mentionẽ de muliere, ſed ſolùm de viro. Alio modo, quia etiã mulier de viro ſũpta eſt, & ideò, quod eſt mulieris, attribuitur viro.* Ex quo patet, mulierem contineri in illis verbis: *Per unum hominem* in ſingulari, quia ſunt duo ni carne una. Idem ferè dixit Ugo Victorinus, his verbis: *Quia vir, & mulier una caro ſunt, ideoq; quicquid factũ ab illo eſt, vel illa, ad primum hominem dicitur pertinere.* Sivè ergò accipiamus illa verba, *per unum hominem*, pro maſculo, & fœmina ſimul, ſivè pro maſculo tantùm, quod magis literæ aptatur, non mentitur Apoſtolus.

101 Ex dictis autem occurritur auctoritati Eccl. 25. 33. *A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omnes morimur.* Neq; enim pugnat cum verbis Apoſtoli, cum dixerimus in illis cõprehendi etiam mulierem. Poteſt etiã dici, diverſos eſſe ſenſus utriuſq; auctoritatis, ſi fęminã ex vi verborũ excludamus à ſententia D. Pauli, nã is loquitur præcisè de peccato originali, quod intravit in mundum, non verò de initio peccati, quod fuit propriũ, & actuale Adami, ut loquitur Salom. *& per illã omnes morimur*, quatenùs ſcilicèt fuit cauſa, ut Adã peccaret, & per ejus peccatum moreremur; mors enim eſt ſtipendiũ peccati, *ad Rom. 6. 23.* intellige originalis. Per Adam ergò peccatum originale intravit in mundũ, ſecundùm Apoſtolum, per Evam verò ſecundùm Salom. initium habet peccatũ actuale in Adamo, quod poſteà fuit cauſa ex parte Adami, occaſio ex parte Evæ, ut omnes cum illis moreremur.

102 Reſtat reſponſio ad illa verba: *Tu dominaberis omnibus beſtiis*, in quibus includit etiã fęminam, quã ideo vocat beſtiam. Illa verba non habẽtur in codice, ſed benè de utroq; c. 1. 28. *Dominaberis piſcibus &c.* & ca. 3. 16. de ſubjectione Evę Adamo: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Deus ergò facit ambos terræ, & beſtiarum dominos; ergò Adamo non ſubjicitur Eva ſimul cũ beſtiis, quaſi ea ſit una ex illis. Inſolentiſſima inſania hominis perditi.

De-

103 Decimoſextò, ſibi opponit duas Sacræ Scripturæ auctoritates, ſæpiùs à nobis ſuperiùs examinatas, quæ ſunt. *Fecit Deus hominem, maſculum, & fœminam fecit eos*. Altera: *Duo erunt in carne una*, ſimilibus conjecturis, inquit, adhærent illi, qui expreſsè uti non poſſunt verbo Dei. Concedit primum, feciſſe Deum maſculum, & fœminam, ſed non quòd ambo ſint ejuſdem ſpeciei, quia neceſsè eſt ſiſtere in numero ſingulari. Et id confirmatur, reſpondendo alteri, quia duo erunt una, & eadem caro, ideſt, maſculus, & fœmina, ideò erunt unus homo. Nec Anabaptiſtæ aliter id interpræcantur, qui ſibi ad invicem adverſantur, dum credunt in matrimonio, duas perſonas eſſe unum hominem, & in Trinitate negant eſſe poſſibile, tres perſonas eſſe unum Deum.

104 Contrà eſt, quia Adverſarius ſemper in pejus ruit, ſciens certò dictas auctoritates ejus commento adverſari, nititur illas evitare ſub prætextu conjecturarum. Quomodò enim Catholicus utitur illis auctoritatibus contrà ipſum, cum de ſe contineant veritatem certam, & non conjecturas? Concedit ergò, quòd Deus fecit hominem, & illum fecit maſculum, & fœminam, negat verò mendacitèr, ambos eſſe ejuſdem ſpeciei, quod omninò negare non poteſt, non ſolùm ratione ſui, cum ſit propoſitio certa etiam naturalitèr cognita, quòd maſculus, & fœmina ex anima rationali conſtantes, ſunt homo in ſpecie, & duo homines ejuſdem ſpeciei, ſed etiam ratione conſequentiæ, quia ex illa auctoritate tanquàm antecedente, neceſſitate ſequellæ infertur, quòd fœmina eſt ejuſdem ſpeciei cum maſculo. Et hìc immorandum non eſt, quia ſuperiùs id multis oſtenſum eſt. Quid eſt illud *ſermarſi nel numero ſingolare*? Jam aliàs reſpondi, verbum illud referri ad naturam humanam; ſiſtimus ergò in numero ſingulari quoad vocem, ſed quoad rem à natura univerſali tranſimus ad ſingularia, quibus univerſale, & natura communicatur; participatione enim unius naturæ plures homines ſunt unus homo.

105 Ad illud, *Erunt duo in carne una*, reſpondetur, eſſe pro nobis, & ſignificare, quòd Adam, & Eva ſunt una caro, ideſt, unus homo in ſpecie, nam in Sacra

106 Scriptura nomen *caro* ſumitur pro *homine*, ut conſtat ex ſequentibus exemplis, Joan. 1. 14. *Et verbum caro factum eſt*, ideſt, homo factum eſt Verbum, *S. Aug. tom* 3. *in Enchir. cap.* 34. ibi: *Carnem porrò hìc hominem debemus accipere*. In Pſal. 55. 5. *Non timebo, quid faciat mihi caro*, ideſt, homo, idem *Aug eodem tom.* 3. *lib.* 2. *locutionis de Exodo num.* 78. quod maniſeſtiùs apparet in eodem Pſal. num. 12. *Non timebo, quid faciat mihi homo*. Vide *ejus ſerm.* 4. *de Verbis Apoſtoli num.* 58. *lit. G.* & alibi ſæpiùs, quòd caro ſignificat hominem. Et ex his probatum eſt, Evam eſſe ejuſdem ſpeciei humanæ cum Adamo, ſi cum eo eſt una caro, ideſt, idem homo in ſpecie; non autem unus homo unitate ſingularitatis, ut perperàm aſſerit noſter Adverſarius, tanquàm Leo rugiens devorare, & perdere animas fœminarum, quæ & ipſæ creatæ ſunt ad imaginem Dei, ut ſalvæ fiant ex

meritis

meritis Paſſionis Chriſti.

107 Cum Anabaptiſtis quæſtionem non habemus, puto tamen eos nobiſcum tenere, quòd ſcilicèt duæ perſonæ ſunt unus homo unitate ſpeciei, non unitate ſingularitatis, & ideò malè loquuntur, negantes Trinitatem Perſonarum in una ſingulari divinitate, quia Divinæ Perſonæ,ſecundùm veram fidem,ſunt unus Deus ſingularis, unus ſcilicèt in eſſentia, & Trinus in Perſonis. Ecce differentia unitatis in perſonis creatis, & in Divinis, quod noluit Adverſarius intelligere, ut benè loqueretur.

108 Decimoſeptimò,deſcendit Adverſarius ſe humiliando, & petit argumentum à Grammaticis, nominando unicum Cornelium Valerium, cum multis aliis, quos tamen nominatim non exprimit. Dicit ergò, quòd *Homo* eſt tantùm generis maſculini, ac proindè ſolos maſculos eſſe homines, & non fœminas. Subdit, paucos Grammaticos,ſed inexpertos,docuerunt, Hominem eſſe generis communis;ſed decipiuntur, cum nullus bonus auctor inveniatur, qui declinet *Hominem* articulo fœminino. Referunt dictum Ciceronis: *Tullia erat nata homo.* Ideſt quaſi nata homini, & non quòd homo referatur ad Tulliam. Si dicerem, inquit, Tullia erat nata animal, eſſet per hoc *Animal* generis fœminini? Nequaquàm. Quare homines doctiſſimi, qui Calepino addiderunt auctoritatem Ciceronis, & eam rejecerunt.

Contrà hoc argumentum ſatis dictum fuit ſuprà *ſub num.* 14. dum ex probatiſſimis Grammaticis probavimus,nomen *Homo* habere communem articulum; & genus maſculinum, & fœmininum,& utroque declinari. Quare ejus Valerius, qui cum à nobis citatis comparandus non eſt, nullius puto eſſe auctoritatis contrà torrentem Claſſicorum.

109 Allatum exemplum de Tulliola,non continet verba Ciceronis, ſed Sulpitii de Epiſtola ad Ciceronem de morte ejus filiæ deſumpta ſunt, ut diximus *ſub num.* 13. Ubi explicavimus ſententiam etiam conformitèr ad mentem Addentium Calepino, qui non excludunt genus fœmininum à nomine *Homo*, ſed tantùm dicunt, non eſſe in uſu adjectivum fœmininum illi adjungere. Interpræatio, quam dat eiſdem verbis, vana eſt, & inutilis,non cohærens verbis *Sulpitii lib.* 4. *Epiſt.* 5. *in lib. Epiſtol. Famil. Cicer.* dicentis: *Si hoc tempore diem ſuum non obiiſſet, paucis poſt annis tamen erat ei moriendum, quoniam homo nata erat.* Reddit rationem ejus mortis, quam evitare non poterat, *quoniam homo nata erat.* Notat conditionem hominis, ut homo eſt, ſivè maſculus, ſivè fœmina, quoniam mortalis eſt, homo ſiquidem, *teſtè D. Auguſt. tom.* 3. *de ſpiritu, & anima cap.* 31. à veteribus ſapientibus definitur *animal rationale mortale*, reſpectu rationis creatus fuit ad imaginem Dei, ratione verò mortalitatis, habet communem miſeriæ conditionem cum cæteris animalibus, à quibus differt ratione diſcurſus. Quare quælibet fœmina, ſicut maſculus, nata eſt homo, ut moriatur; non ergò Tulliola dicitur homo præcisè, quia nata homini, ſed ex eo, quòd mortalis eſt, ſi velimus benè per-

nè percipere ſenſum Sulpitii conſolantis Ciceronem ſuper morte ejus filiæ.

Qui dicit, *Tullia erat nata animal*, per hoc non excludit genus fœmininum ab *Animal*, ſed facit illud eſſe fœmininum, contrà Adverſarium, ſicut ſi quis vocaret Tullium animal, nonne eſſet animal generis maſculini? Animal ergò ſecundùm res adjectum maſculo ſignificat marem, ſicut conjunctum fœminę indicat fœminã, ut docet Alvar. in tit. de Generib. nominũ. Quare nomen *animal* eſt generis neutri in ratione vocis, ut clariùs loquar, indicat verò utrunque ſexum in ratione ſignificationis, & rei, quia voces ſe rebus accommodant, quas ideò mutare non poſſunt, non verò res vocibus, quia hæ illis famulantur, non è contrà. Ad quæ ſi hæreticus reſpexiſſet, non dixiſſet: *ſe diceſſi Tullia era nata animale, ſarebbe per queſto l' animale di genere feminino? Non per certo.* Reſpondit; non tamen ſequitur, quòd neutrum animalis auferat ſexum illis perſonis, quibus adjungitur; ergò ejus animadverſio vana fuit.

110 Decimo octavò, probat ex etymologia verbi *homo*, qui ab humo dicitur, ideſt à terra, de qua compoſitus eſt; quomodò mulier poteſt eſſe homo, cum non ſit creata de terra? Ipſe tamen concludit affirmativè, & pro nobis. Mirum hoc eſt, quia intellectus ejus opus perfecit, contrà voluntatem ejus ſentientis oppoſitum.

111 Contrà eſt, quia præterquàm quod intellectu, & calamo ſcripſit contrà ejus voluntatem, verum eſt, quòd mulier dicitur homo ab humo, quia & ipſa de terra orta eſt; ut de Maria Virgine dicitur in Pſal. 84. *Benedixiſti, Done terram tuam*. Et paulò infra: *Veritas de terra orta eſt*; ideſt, Chriſtus de Maria, omnes expoſitores ſuper dictum Pſalmum. Terra ergò eſt Adam, & Eva, quia ambo de humo terræ formati ſunt; ergò & ambo, ſecundùm hanc etymologiam, homo ſunt. Quòd autem Eva de coſta formata dicatur, non tollit, quin & ipſa de terra compacta ſit, quia coſta ex terra facta fuit; ergò & Eva.

112 Decimo nonò, ſic diſcurrit. Dicit Chriſtus ad Thimoth. 2. quòd multi falſi Prophetæ erunt, adeò quòd ſi poſſibile foret, ipſos electos cadere facerent. Dicendo igitur, ſi eſſet poſſibile, apparet manifeſtè, electos non poſſe ſeduci. Jam apertè ſcitur, hominem à Deo creatum fuiſſe vas electum ad vitam æternam; Eva verò non fuit vas electum, & conſequentèr nec homo ad imaginem Dei, quia ſeducta fuit. Hoc argumentum eſt firmiſſimum, nec ullam patitur oppoſitionem. Et ut claudam os alicui, qui diceret; hac ratione neque Adam eſſe hominem, dum peccavit. Auſculta Apoſtolum dicentem, non Adamum, ſed Evam fuiſſe ſeductam.

113 Contra eſt, nam citatio in Timoth. reſpectu ſeductionis electorum, eſt in Matthæo cap. 24. 24. *Surgent Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, itaut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*. Sunt vera hæc, propter verbum Dei. Sed nihil faciunt ad præſens negotium.

Supponit Adverſarius, homi-

 nem

nem eſſe vas electum ad vitam æternam, quia non fuit ſeductus, non verò fœminam, quia Eva fuit ſeducta, ut dicitur *1. ad Thimoth.* 2. 13. *&* 14. Verum quidem eſt, quòd hæc, non ille, ibidem dicitur ſeducta, non ideò dicitur, nec indè colligitur, unum eſſe vas electionis, non verò alterum; imò inde colligitur etiam fœminam eſſe vas electionis, quia de ea dicitur: *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Antecedenter enim Apoſtolus dixerat, Chriſtum fuiſſe redemptionem pro omnibus, mediatorem Dei, & hominum. Si pro omnibus, etiam pro fœminis, utrique enim ſexui præſcripſit eſſe orandum, ſed mulieri cum ſilentio; mulier ergo, & non tantùm homo, fuit vas electionis. Suppoſuit ergo fœminam non eſſe inter vaſa electionis, quod probare debebat, ex quo non video, hoc ejus argumentum aliquam vim habere, neque in gradu poſitivo, cum ſit omninò falſum. Objectioni occurrit, ſed non reſolvit, affirmando ſeductionem Evæ, & negando eam in Adamo. Seductio hæc non facit ad rem præſentem, quia ſeductio non tollit naturam humanam à fœmina ſeducta, ſed tantùm eam ſubicit peccato, quo etiam peccavit Adam cum ſua conjuge:

114 Vigeſimò, ponit exemplum Cananeæ ſupplicantis pro filia à dæmone vexata, cui Chriſtus ne verbum quidem reſpondit. Quid ſibi vult id? Fortè Chriſtum ſuperbum? eſt ipſa bonitas, vocat ad ſe omnes afflictos, & illis promittit requiem. Ergo per illud ſilentium aliud non vult ſignificare, niſi quòd ad eum non pertineat fœminæ, neque ipſe ad fœminas. Melius conſideremus. Diſcipuli pro Cananea intercedebant, & reportaverũt hoc reſponſum: *Non ſum miſſus per illam, ſed pro ovibus, quæ perierunt domus Iſrael.* Intendite mulieres, Chriſtus pro vobis miſſus non eſt. Intendite, ò vos homines, veſtræ uxores non poſſunt aſpirare ad regnum Cęlorum. Reſpondent aliqui, Chriſtum rigorosè locutum fuiſſe cum Cananea, quia Gentilis erat. Reſponſio riſu digna. Deus fortaſſis totum mundum non amavit? Et nõ miſit unigenitum filium ſuum tàm pro Gentilibus, quàm pro Iſraelitis? Erubeſcant de his ineptiis, & tandem mihi reſpondeant. Chriſtus id non dixit alicui homini Gentili, ut huic debili fœminulæ, & tamen innumerabiles homines Gentiles ad illum recurrerunt, petendo auxilium in ſuis neceſſitatibus, & non fuerunt reprehenſi, ſed benignè tractati.

115 Contra eſt, quia, eſto, Chriſtus primò non reſponderit Cananeæ, neque ad primam ejus inſtantiam, filiam à dæmone vexatam liberaverit, non indè tamen colligitur, niſi perperam, ut facit noſter adverſarius, Chriſtum etiam pro fœminis non fuiſſe miſſum, & illas non eſſe de ſpecie humana, quia Chriſtus miſſus eſt pro omnibus tùm Judæis, tùm Gentilibus.

116 Nec obſtant ea verba Matt. 15. 24. à Chriſto dicta occaſione Cananeæ: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*, de cujus domo non erat Cananea, cum Gentilis eſſet. Quia eſto Chriſtus non eſſet miſſus pro Gentibus, pro quibus tamen venit, & pro

omnibus

omnibus, numquid ſequitur, nullum maſculum eſſe hominem inter Gentes, ſicut non ſunt fœminæ homines, quia dicit, ſe non miſſum eſſe pro Gentibus! Ridiculum id eſt aſſerere, quia non ex miſſione Chriſti, creatura aliqua accipit naturam de ſpecie hominis, ſed ſupponitur homo, ut redimi poſſit.

117 Illa autem verba, *Non ſum miſſus*, non excludunt Gentes, ſed tantùm inſinuant, Chriſtum viſibiliter miſſum fuiſſe Judæis, quia inter eos natus eſt, ex eorum genere, educatus, paſſus, & crucifixus à Judæis, hoc modo miſſus fuit domui Iſrael, non Gentibus, quæ eum non crucifixerunt, ut planè docet *D. Auguſt. tom.* 10. *ſerm.* 74. *de Cananea*, his verbis: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, ut illis præſentiam ſui corporis exhiberet, non ut oves, quas habebat in Gentibus contemneret; & præteriret; ad Gentes enim ipſe non venit, ſed diſcipulos miſit.* Et paulò infra. *Habeo alias oves, quæ non ſunt de hoc ovili, oportet me & has adducere, ut ſit unus grex, & unus paſtor. Inde mulier iſta erat, ideò non contemnebatur, ſed differebatur.* Et ibidem mulier hæc in terminis vocatur homo illis verbis ſub nu. 164. F. *Illa ſi recederet poſt hæc verba canis abſceſſerat, ſed pulſando homo factus eſt ex cane.* A Chriſto tractatur ut canis, ſed quia inſtetit, pulſavit, perſeverando in petione cum humilitate, meruit, & obtinuit gratiam, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; ex cane igitur latrante commutata eſt in hominem, quia à Chriſto exaudita fuit.

Intende, ò tu Hæretice, pro te Chriſtus miſſus non eſt, quia per te ipſum ovile Chriſti deſeruiſti; ergo tu canis es, & non homo; hoc tibi obiicio ad hominem argumentum; ideo feminæ non ſunt homo, non ſunt ad imaginem Dei creatæ, quia pro illis, ut inquis, Chriſtus miſſus non eſt; ſed neq; pro te miſſus fuit, cum non ſis de domo Iſrael, & ſi aliquandò fuiſti ex ovili Chriſti, modò per hæreſim expunxiſti te ipſum ex catalogo ovilis, non es ergo homo, ſed belua in æternum perdita.

Nec reſponſio, quòd Chriſtus rigoroſè cum Cananea fuerit locutus, reprehenſibilis eſt, cum nullum ex dictis hæretici indè ſequatur; increpatio enim Dei, & rigida reprehenſio, arguit amorem paternum erga reprahenſum, à fortiori erga caſtigatum, To-
118 biæ 11. 17. *Quia tu caſtigàſti me, ſalvaſti me.* Hebr. 12. 6. *Quem diligit Dominus, caſtigat.* Apocal. 3. 19. *Quos amo, arguo, & caſtigo.* Ineptum ergò non eſt dicere, Chriſtum Cananeam rigoroſè increpaſſe, ut taceret.

Sed aliquis pro Adverſario dicere poterit. D. Auguſt. à ſe citatus non dicit, quòd Cananea eſt homo, ſed quòd eſt homo maſculus, ut inſinuat illud adjectivum, *homo factus eſt*, id autem dicere, quòd Cananea ex cane factus ſit maſculus, eſt ridiculoſum, numquid ex tunc erupit in virum, ſicut illa monialis pondere oppreſſa evaſit in virum? ergò allata ex Auguſtino nihil probant pro fœminis, ſed potiùs contrà fœminas, cum certum ſit, Cananeam à Chriſto dimiſſam fuiſſe ut canem, & ſi fuit aliqua creatura, fuit, & remanſit poſteà ut ante fœmina; non ergò probatur ex Auguſtino, illam eſſe de ſpecie hominis.

 Reſ-

Reſpondetur, D. Auguſtinum id probare, quod diximus, nimirùm Cananeam, quæ reverà erat fœmina, talem remanſiſſe ſub ſpecie hominis, ex illis verbis, *Homo factus eſt ex cane*; hæc enim verba, licèt prolata in genere maſculino, non tamen mutant ſexum perſonæ, ſed talem eam relinquunt in genere entis, & naturæ, qualis à Deo creata fuerat in natura ſua, quia verba non mutant ſubſtantiam, & naturam rei, ſed eam tantùm nobis ſignificant, prout à parte rei res ipſa eſt; Cananea autem in re erat fœmina, & talis ſemper fuit. Divus autem Auguſtinus, qui myſterium grande ſpeculatus fuerat in fœmina, ob ejus conſtantiam, & perſeverantiam in petitione ſua, hominem dixit ſecundùm naturam fœminei ſexus, per nomen ſubſtantivum *homo*, per adjectivum verò *factus*, oſtendit virilem animum, quo adauctèr, animosè, & viriliter petiit à Chriſto, quamvis non ſemel repulſa, ſanitatem filiæ, quam tandem obtinuit precibus quaſi importunis. Canis autem erat, quia more canum multùm, & diù latravit perſiſtendo, & pulſando, ut illi à Chriſto aperiretur in liberatione filiæ à vexatione dæmonis. Canis præthereà dicitur, quia Gentilis erat, ut dicit idem S. Auguſt. *Canis es, una es ex Gentibus, idola adoras*. Igitùr ut canis latravit perſeverando in petitione, & oratione, ex quo meruit obtinere gratiam, & de cane fieri hominem, non tantùm ſexu proprio, quàm maſculi, quia viriliter ſe geſſit in eo, quod obtinuit, ut dicam infrà *nu.* 20.

Quærit prætereà, cur hanc ſolam mulierculam reprehendit Chriſtus, & non tot Gentiles, qui fuerunt innumerabiles, recurrentes, ad petendum auxilium in ſuis neceſſitatibus?

℞. S. Auguſt. tom. 10. præcitato ſerm 74. *Clamabat*, inquit, *avida impetrandi beneficii, fortiterque pulſabat, & diſſimulabatur ab eo, non ut miſericordia negaretur, ſed ut deſiderium accenderetur, nec ſolùm ut deſiderium accenderetur, ſed ut humilitas commendaretur*. Cauſa igitùr hujus fuit, ut ejus humilitatem, patientiam, & fidem probaret, & commendaret. Et ſi reprehendit, in cauſa fuit ejus grande deſiderium, ut filia liberaretur à vexatione dæmonis, quæ cauſa in aliis non apparet.

119 Vigeſimo primò, proſequitur hiſtoriam Cananeæ. Apoſtoli vix dixerant: *Dimitte eam, Domine*. Reſpondit Chriſtus, non eſt honeſtum accipere panem hominum, & dare illum canibus. O' admirabilis diligentia Jeſu Chriſti filii Dei in rebus explicandis! Intellexiſtis, ò mulieres infelices, quomodò Salvator noſter vos vocat? Non homines, ſed beſtias, non filias, ſed canes? Intellexiſtis, non eſſe honeſtum accipere panem hominum, ideſt, Chriſtum panem vitæ, qui de cœlo deſcendit ſolùm pro hominibus, & non pro vobis, quæ ſimiles eſtis immundis beſtiis? Quare tantùm laboratis pro veſtra ſalute? Quare præſumitis excedere Dei voluntatem? Siſtite, quæſo, in ſtatu, in quo vos natura poſuit, ſi capitis magis fautorem in hoc mundo, Deum, & fortunam. Argumentum ergò ejus in forma, ſed peccante, eſt hoc: Chriſtus Cananeam vocavit

vit canem; ergò nulla mulier eſt homo, ſed tantùm beſtia.

120 Contra eſt, quia nunquam vidi, nec ratio docet ſapientis, ex una ſingulari deduci concluſionem univerſalem; neque ex metaphora deduci concluſionem in genere entis, & naturæ. Cananeam appellavit Canem non ex proprietate verbi, quod ſignificat animal latrabile, ſed ſic vocavit ſimilitudinariè, & metaphoricè; ſicut enim canis tandiù latrat, quouſque ceſſat cauſa, qua motus fuit ad latrandum, & dicitur à canendo, ut ſua voce audiatur, & exaudiatur, ita Cananea officio canis functa fuit pro filia, & non ceſſavit canere, & latrare, donec obtinuit gratiam à Domino. Canis ergo eſt officio, non natura, ideò Adverſarius repellendus eſt, cum inutiliter producat verba Sacræ Scripturæ, & mirum non eſt, ſi eas non intelligit, quia cæcus eſt mente, dum prorumpit negando ea, quæ naturaliter nota ſunt etiam ignorantibus.

121 Verba Evangelii, quæ ſuo modo refert lingua materna, ſunt hæc: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Ipſe verò ait: *Non è boneſto, che prendiate il pane delli homini, cioè Chriſto pane di vita*. Dicit *Filiorum*, non *hominum*, licèt enim pro eodem accipi poſſint, cum filii ſint homines, quibus panis Evangelii dandus eſt, tamen congruentiùs vocatur panis filiorum, qui per Evangelii prædicationem filii regenerantur. Nomine panis hìc non venit Chriſtus, licèt ſit verus panis cæleſtis, quo animę fidelium nutriuntur, ſed verbum Evangelii, ejus prædicatio, ejus beneficia, & miracula, ut inſinuant Expoſitores ſuper illa verba.

122 Vigeſimo ſecundò, idem argumentum proſequitur ſic. Si mulier eſſet de ſpecie hominum, certè Chriſtus malè dixiſſet dicendo, non conveniens eſſe illam adjuvare, nec honeſtum ſumere panem hominum, & vocare eas canes. Sed Deus non poterat loqui melius. Humiles ergò eſtote cum Cananea, & cum illa exclamate. Verum eſt, Domine, canes ſumus, ſed canibus etiam permiſſum eſt colligere micas, quæ cadunt de menſa Domini. Petite micas, quæ cadunt de menſa, & nolite arrogare vobis panem hominibus reſervatum. Imitamini Mariam Magdalenam à Dœmone vexatam, quæ ſe canem cognoſcendo, more eorum lambebat pedes Chriſti, & auxilium petitum conſecuta fuit. Tota vis, ſi quam habet hoc argumentum, certè nullam pendet ab intelligentia canis, qua voce appellata fuit mulier Cananea.

123 Contrà eſt, quia, ut dictum fuit in præcedentibus nomen *Canis* à Chriſto ſumptum fuit impropriè, & ſimilitudinariè, oſtendendo humilitatem, & patientiam hujus mulieris, quæ ſe confeſſa fuit canis, ut hac ſua abjectione faciliùs obtineret à Chri-

124 ſto ſanitatem filiæ. Canem vocat, quia canes latrant contrà eos, cum quibus converſationem non habent, ut experientia conſtat; nolunt enim cognoſcere niſi proprium Dominum cum ejus familia, ut etiam obſervat *S. Auguſt. tom. 2. Epiſt. 120. ad Honoratum cap. 16.* ibi: *Qui plerumque contrà innocentes latrant, cum quibus non habent conſuetudinem*. Melius in Pſal. 57. *Canes laudabiles, fidem ſervantes Domino ſuo, & pro ejus*

Google

domo contrà inimicos latrantes, loquendo de Cananea, quæ conſuetudinem cum Chriſto non habebat, quia de ovibus Iſrael non erat, ſed Gentilis. Inter alias canis proprietates numeratur fidelitas. Cananea non carebat fi-
125 de, licèt Gentilis eſſet; conſtantèr enim, & intrepidè ſperabat à Chriſto obtinere gratiam, undè de hac fide, & credulitate commendata fuit à Chriſto, cum dixit: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*. Conſtantia virilis fœminæ, magna fides, & perſeverantia in oratione in cauſa fuerunt, ut Chriſtus faceret illi
126 gratiam, quam petebat. Canis etiam vocata dici poteſt analogicè, ſecundùm derivationem Cananea à Cane, vel à Cain, à quo deſcendunt Gentiles. Cananea igitùr non eſt canis latrabilis, ut inſipientèr ſupponit Adverſarius, ſed ſic dicitur ex officio, & honorificè, quia magnam fidem habuit in Chriſto.

127 Non ſolùm micis, ſed etiam pane Cananea digna erat propter magnam fidem erga Chriſtum, à quo meruit obtinere gratiam, & beneficium filiæ ſuæ; nomine enim *panis*, ut dixi ſuprà, venit prædicatio Evangelii, gratia, be-
128 neficia, & miracula. Adverſarius Cananeam facit dignam micis, dum ait, illam ſumere poſſe eas; ergò & poſſunt ſumere panem reſervatum hominibus, ac proindè etiam ſibi ipſis; nam micæ ſunt minuta panis, in quas ille conte-
129 ritur, & ejuſdem ſunt ſpeciei cum pane integro; non enim per diviſionem perdunt ſuam ſubſtantiam, quam habebant in pane integro; ſi ergò mulier poteſt edere de pane contrito, poterit etiam comedere de pane integro ex identitate ſpeciei; ſed per te Adverſari, homini reſervatur panis comedendus; ergò & mulier illum comedens homo eſt; id enim ſuum probat argumentum. Et id inſinuat ipſa Cananea illis verbis, nam poſtquàm Chriſtus dixerat: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Reſpondit: *Etiam Domine, nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*. Obſerva illa verba: *Etiam Domine*, ideſt, bonum eſt mittere panem canibus, quia catelli, qui ſunt ejuſdem ſpeciei cum canibus ſuis parentibus, edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Tu Jeſu fili David es Dominus meus, ego ſum canis, & filia mea catella, quia ſumus Gentiles, deſideramus eſſe oves gregis tui, ideò fac nos participes de micis de tua menſa cadentes, confer beneficium ſanitatis filiæ meæ de micis, ideſt, de ſanitate corporali, ut ſubſequentèr inſtructa in fide tua poſſim poſt micas comedere integrum panem gratiæ tuæ. Cananea igitùr ex ſua humilitate, quia ſe catellam dixit, & poſſe comedere de micis, per hoc probavit, ſe eſſe de ſpecie hominum, qui de micis, & panibus comedere valent.

130 Exemplum Magdalenæ facit pro nobis, nam in Evangelio Lucæ 7. 27. dicitur, *capit rigare pedes ejus lacrimis*, quæ indicant cor ejus contritum, & humiliatum, undè eam Chriſtus non deſpexit, juxtà illud Pſalm. 50. 19. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Contritum per lacrimas, & humiliatum, quia ſtabat

retrò

retrò ſecus pedes ejus, quos lacrimis rigabat. Ex ſua contritione, & humilitate meruit à Chriſto remiſſionem ſuorum peccatorum, quoniam dilexit multum, ibi 49. *Remittuntur tibi peccata*. Ergò Magdalena erat homo, & de ſpecie hominis, quia non niſi hominibus remittuntur peccata. Cum ergò Adverſarius noſter hortatur fœminas, ut imitentur Mariã Magdalenam, fatetur licèt finxerit, ſe id non advertere, Cananeam, & cæteras mulieres eſſe homines, ſicut Magdalena, quam alio modo non habent imitari, niſi humilitèr plangendo propria peccata, ut eis dimittantur à Chriſto. Subjungit, & concludit de Magdalena: *e chiedendo ajuto lo conſeguì*. Apud Evangeliſtam, non invenitur aliud auxilium, niſi remiſſio peccatorum, quàm per illud verbum *ajuto* æquivocè voluit ſignificare, ut veritatem Evangelii celaret, quòd proprium eſt hæreticorum.

131 Vigeſimo tertiò, objicit ſibi argumentum, quòd confingit factum per Catholicos, illis verbis: *Fides tua te ſalvam fecit:* Obſerva, ò Lector, quomodò homines neceſſitantur ad mendacium, quandò illis deeſt ratio. Chriſtus Cananeæ nunquàm dixit: *Fides tua te ſalvam fecit*, ſed: *Fiat tibi ſicut vis*. Aut ut alter Evangeliſta dixit: *Propter iſtum ſermonem vade*. Dicite quæſo quid ſignificat hoc reſponſum? Nil aliud certè, niſi quòd conformitèr ad dictum Cananeæ, quòd ipſa eſt ſimilis cani, & quòd canes edunt de micis. Si igitùr noſtræ mulieres volunt liberari à dœmoniis, ideſt, à miſeriis, & calamitatibus ſeculi, non ſint ſuperbæ, ut ſunt hodiernis diebus, ſed ſe canes fatentes audient & ipſæ: *Fiat tibi ſicut vis*, ideſt, habebitis in mundo omnem conſolationem; quid ultrà optatis.

132 Contrà eſt, magna eſt aſtutia hæreticorum, qui auctoritates, nec ſomniatas Catholicis impingunt. Quis eam auctoritatem pro Cananea protulit in illis terminis? *Fides tua te ſalvam fecit*, quæ dixit Chriſtus *Lucæ 7. 50.* de Magdalena, quam imitari fœminam cohortabatur in præcedenti ſuo argumento, ex quo finxit objectionem ſuum argumentum ab Advocatis mulierum fieri. Alia auctoritas eſt *Marci 7. 29.* de Cananea propriè, cui Chriſtus dixit: *Propter iſtum ſermonem vade, exiit dæmonium à filia tua*. Cananeæ ſermo fuit humilitatis, dum ſe confeſſa fuit canis, *propter iſtum ſermonem* liberavit Chriſtus ejus filiam à Dœmone. Non dixit: quia canis es vade, ſed propter iſtum ſermonem, quia tantùm te humilias, faciendo ſimilem cani, mereri gratiam, quia & Chriſtus ipſe de ſe dixit: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium, & abjectio plebis*. Nunquid Chriſtus, qui ſe tàm humilem fecit, non erat homo, non erat Deus? Utique, ſed quia inter alias virtutes, multum ſibi placebat humilitas, his nominibus ſe humilem dicebat.

133 Obſerva aliam hæreſim hujus hominis, ipſum negare vexationem dœmonum in corporibus humanis, dum dicit, eas mulieres liberari à dœmoniis, ideſt, à miſeriis, & calamitatibus ſeculi, ſi non fuerint ſuperbæ. Dœmones autem vexari corpora mortalium, fides Catholica docet; plures enim Chriſtus ejecit, ut clarè legitur

legitur in Evangelio, & experientia probatur à pluribus in dies vexatis. Interpretatur quoque ea verba: *Fiat tibi, ſicut vis*, perperam, quaſi Chriſtus dixerit Cananeæ, & cæteris mulieribus, ſi non fuerint ſuperbæ, omne genus conſolationis, ac proindè etiam illicitæ, habituras, quaſi Chriſtus ſit auctor rerum etiam inhoneſtarum, quod impium, & hæreticum eſſe omnibus conſtat. Illa verba pro Cananea dicta fuerunt: *Fiat tibi, ſicut vis*. Ipſa autem volebat liberationem filiæ ſuæ à vexatione dœmonis; ergò id tantùm ſignificant prædicta verba.

134 Vigeſimo quartò, quia hactenùs per ipſum dicta de Cananea ſibi videntur levia, adducit alia non recedendo ab ea. Concedatur Cananeæ, quod dictum fuit mulieri patienti fluxum ſanguinis: *Fides tua te reddit ſalvam*. Quid indè? Fortè, quòd mulieres ſunt de ſpecie hominum? Forſan, quòd conſequantur ſalutem animæ? Domine non. Quia hæc verba nihil aliud ſignificant, niſi ſalutem corporis, quod clarè apparet, quia mulieres, quibus illa Chriſtus verba dixit, quærunt ſolùm ſalutem corporis, non animæ. Maria Magdalene ut liberaretur à dœmone, altera ut conſequeretur ſalutem fluxus ſanguinis. Nec conveniens fuiſſet Chriſto dare mulieribus, quod non petebant, & eò magis, quia nunquàm recurriſſent ad Chriſtum pro ſalute animæ, niſi neceſſitas ſanandi corpus eas conſtrinxiſſet. S Lucas non ſcripſit *Salvavit*, *ſed tua fides tibi donavit ſalutem*. Adjungit S. Matthæus: *Et fuit ſalva facta ex illo tempore*. Certè ab illo tempore non habuit ſalutem animæ, cum Deus illam pro nobis prædeſtinaverit à principio, ut eam daret in alia vita. Igitùr dicere vult, quòd poſteà gaudet optima ſalute.

135 Contrà eſt, quia licèt ex Hiſtoria ſacra apertè habeatur, Chriſtum contuliſſe ſanitatem corporis duabus illis mulieribus, filiæ Cananeæ, liberando eam à dœmone, & alteri à fluxu ſanguinis, quæ ſunt bona potiùs corporis, quàm animæ, nihilominùs Chriſtus nonquàm ſanavit aliquam perſonam in corpore, niſi eam ſanaſſet in anima, ut notat ex S.S. Patribus D. Thomas in Catena aurea hìc, illis verbis Jo:7.23. *Ego feci totum hominem ſanum in Sabbato*, quia & curatus eſt, ut ſanus eſſet in corpore, & credidit, ut ſanus eſſet in anima. *Idem dicit part.3.q.88.art.3.ad 3.* ubi replicat ea verba, quæ dicit eſſe D. Auguſtini, cum aliis Patribus. D.Carthuſianus hìc *Totum hominem*, hoc eſt paraliticum illum in corpore, & anima ſanavit. Eodem modo Cananeam, & aliam mulierem fluxum ſanguinis patientem liberavit, nam ambæ Chriſto Domino crediderant, propter quod ſanitatem non tantùm corporis, ſed etiam animæ receperunt, quia totum hominem ſanum fecit; Dei enim opera ſunt integra, & perfecta.

136 Cum miraculis, quæ Chriſtus faciebat, ſemper conjuncta erat fides credentium, quibus conferebat beneficium ſanitatis corporalis; ſunt enim miracula via, & introitus ad fidem, ſecundùm Sanctos Patres cum *D. Aug.tom. lib.13. Confeſſ.cap.21.* ibi: *Talis*

eſt enim

eſt enim introitus ad fidem filiis Adam &c. Cartuſian. in Evang. Joan. artic. 19. poſt initium inquit: *Miracula enim ordinantur ad declarationem divinæ potentiæ, atque ad converſionem videntium, ideò in manifeſto agenda ſunt.* S. Petrus Chryſologus ſerm. 83. num. 14. dicit, miracula facere *eſſe ſummum credulitatis indicium.* Et hæc probantur ex capit. 2. 23. Joann. *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus, quæ faciebat.* Ex his ad rem noſtram deducitur, per miracula, & beneficia, quæ Deus contulit fœminis, ſanaſſe illas duas fœminas, non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima, quia crediderunt Chriſto Domino.

137 Maria Magdalena liberata fuit, non ſolùm à vexatione dœmonum, Marci 16. 9. *De qua ejecerat ſeptem dæmonia*, ſed etiam à peccatis ſuis, ut probatum fuit ſuprà ſub *num.* 130. quod tacuit hæreticus, quia ſua tergiverſatione non potuiſſet corrumpere ſenſum illorum verborum nimis clarum. Cucurrerunt ergò illæ mulieres ad Chriſtum pro obtinenda ſalute mentis, & corporis; neque enim Deus exaudit peccatores, nec legitur, quòd Chriſtus aliquem ſanaverit in corpore tantùm, ſinè utilitate animæ.

Adverſarius adulterat verba Sacræ Scripturæ *Lucæ* 7. 50. pro Magdalena, & pro patiente fluxum ſanguinis, *eod. capit.* 9. 48.

138 ſunt eadem; *Fides tua te ſalvam fecit.* Explicat: *La tua fede ti dona la ſalute*, aliud ſignificare volens à verbo *ſalvavit*, quo Euangeliſta non fuit uſus; ſed non video differentiam, cum idem ſit dicere: *Fides tua te ſalvam fecit*; ac dicere. *Fides tua te ſalvavit.* Myſterium habet occultum in verbo *donare*, quaſi fides detur infidelibus abſque aliqua eorum diſpoſitione, contrà illud: *Convertar ad me, & ego convertar ad te.* Aut habet hunc ſenſum hæreticum, *Ti dona la ſalute*, cujus es incapax, quia beſtia es, & non homo.

Error major apparet in interpretatione verborum Matthæi: *E fù fatta ſalva da quel tempo. Certo da quel tempo non haveva la ſalute dell' anima, havendola per queſto Dio predeſtinata à noi dal principio per darle nell' altra vita.* Oportet referre verba Matthæi, & quærere locum, quem nobis non monſtravit hæreticus more ſuo. Matthæus ergò *cap.* 15. 28. loquendo de ſanitate filiæ Cananeæ inquit: *Et ſanata eſt filia*

139 *ejus ex illa hora.* Senſus Catholicus eſt clarus, quòd ſcilicèt ea filia liberata eſt à Dœmone in illa hora, & ex illa hora, & non antè, qua dixit ejus matri. *Fiat tibi, ſicut vis.* Ab eo punctò igitùr cæpit ſanitas corporis, & animæ, quam hæreticus ſimulavit ſub prætextu prædeſtinationis, quam Deus in mente ſua habuit ab æterno, non ſolùm electis maſculis, ſed etiam fœminis. Et pro intelligentia termini *Prædeſtinationis*, in quo æquivocavit Adverſarius.

138 Notandum eſt, quantùm facit ad intelligentiam dictorum ab iſto infido, quòd Prædeſtinatio dicit tria. *Primò*, actum divinæ voluntatis præ

deſtinantis, qui in voluntate, & mente divina fuit ab æterno. *Secundò*, gloriam æternæ beatitudinis poſt hanc vitam; dum enim Deus prædeſtinat hominem ad aliquid, illum deſtinat, nimirùm ad gloriam, & beatitudinem æternam. *Tertiò*, ad conſequendam hanc gloriam neceſſarium eſt aliquod medium, quod eſt gratia Dei, per quam homo benè operans meretur ex juſtitia vitam æternam, juxtà illud Pauli 2. ad Thimoth. 4. 8. *In reliquo repoſita eſt mibi corona juſtitiæ*. Hæc tria docet Apoſtolus ad Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, & quos juſtificavit, hos & glorificavit*. Prædeſtinatio eſt vocatio creaturæ intellectualis ad gloriam, quam Deus præparavit diligentibus ſe, ad quam ut poſſent pervenire, dedit eis remedia non ſolùm ſufficientia, ſed etiam efficacia, ut benè operari poſſent, & juſtificari per gratiam, cum qua in Domino decedentes poſſent conſequi vitam æternam.

141 Applicemus hæc ad dicta hujus hæretici, ſi poſſunt accommodari, aliter errat, ut ſolet facere. *Da quel tempo non haveva la ſalute dell' anima. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora*. Ab illo puncto, quo Jeſus dixit Cananeæ: *Fiat tibi ſicut vis*, ejus filia recepit ſanitatem corporis, & animæ, quia Chriſtus cum ſanat hominem, totum hominem ſanat, ut ipſe dicit loco præcitato; ergò ab illa hora habuit etiam ſalutem animæ, contrà hunc mulierum inimicum. *Havendola per queſto à noi Dio predeſtinata dal principio*. Errat iſte, quia Evangeliſta loquitur de ſecundo actu prædeſtinationis, qui eſt gratia, quæ confertur in tempore, & ideò dixit: *Ex illa hora*, non verò de primo actu, quo Deus ab æterno prædeſtinavit, quos volvit ſalvos fieri in tempore, de quo loquitur iſte, qui illud verbum, *dal*

142 *principio*, debet ſumere, & accipere ab æternitate, aliter decipitur, quia in divinis nullum eſt principium de non eſſe ad eſſe, cum divinæ perſonæ cum Deo ſint ab æterno, & non tranſierint de non eſſe ad eſſe; Pater enim ſemper fuit cum Filio, & Spiritu Sancto; Filius autem eſt à Patre principio productivo ejus, undè Joannes Evangeliſta incipit: *In principio erat Verbum*. Hoc eſt, ut inquit Auguſt. *tom. 6. lib.* 3. contrà Maximinum *cap.* 17. propè finem. *Quid eſt autem: In prin-*

143 *cipio erat Verbum. Niſi: In Patre erat Filius*, quia ille hujus eſt principium productivum, Filius verò cum Patre eſt principium Spiritus Sancti. In principio ergò æternitatis, non temporis Deus prædeſtinavit in mente ſua electos ſuos ad gloriam.

Ait. *Havendola prædeſtinata à noi*, excludendo mulieres, quod dicere hæreticum eſt, cum etiam mulieres ſint capaces prædeſtinationis, & ſalutis æternæ, ut pluribus probavi

144 ſuprà ſub *num.* 22. Paulus enim Apoſtolus, dum de prædeſtinatione loquitur *capit.* 8. *ad Romanos*, & *capit.* 1. *ad Ephеſios*, ſermonem ſuum dirigit non tantùm ad maſculos, verùm etiam ad fœminas, quas ad gloriam vocavit, cum habeant animam rationalem ad imaginem Dei. Vi-

145 Vigeſimo quinto utitur argumento fidei, quam falsò ait catholicos prædicare pro hominibus tantùm maſculis, inquit enim. Clamant Adverſarii, quod fides eſt propria hominum, & volunt incautè inſanire utentes vanis argumentis, potius quam credere veritati. Dæmones credunt, & contremiſcunt. Quomodò igitùr dici poteſt fidem eſſe ſolùm in maſculis hominibus. Ignorant diſtinctionem inter veram fidem, quæ animam juſtificat, de qua Apoſtolus dixit: *Una eſt fides*, & fidem hiſtoricam, quæ non ſolùm in hominibus reperitur, verum etiam in mulieribus, & in ipſis dæmonibus. Quis mente, & intellectu ſanus unquàm docuit, in fœminis reperiri veram fidem? Imò contrà clamat Apoſtolus, & ab eis aufert omnem fidem *Mulier ſalvatur non per fidem, ſed per generationem*. Etiam multi homines improbi fidem habent, ſed eſt mortua; ergo vocari poſſunt potiùs cadavera, quam homines. Siſtite vos parumper Anabaptiſtæ. Si fides eſt propria hominum tantùm. Infantes non ſunt homines, quia fidem non habent, & ſi habent, vana eſt doctrina veſtra.

Contrà eſt, quia Adverſarius more meretrices, & mulieris inhoneſtæ vituperat Catholicos; ſicut enim meretrix mulierem honeſtam, cum qua altercatur, inhonorat, & vulnerat lingua eodem vitio, quo ipſa laborat; ità Adverſarius fornicator in adinventionibus ſuis prævenit Catholicum, & eidem impingit errorem, & hæreſim, cujus ipſe eſt inventor, ut appareat verbo talis, qualis in re non eſt.

146 Nullus Catholicus aſſerit fidem eſſe tantùm pro hominibus, ſed omnes aſſerunt fidem eſſe communem perſonis utriuſque ſexus, quia ea neceſſaria eſt ad ſalutem omnibus, ſinè qua impoſſibile eſt placere Deo. De neceſſitate unius fidei omnibus teſtatur Marcus capit. fin. 16.

147 *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*. Loquitur univerſalitèr, *Qui crediderit*; relativum enim maſculinum, ut ajunt Juriſperiti, concipit fœmininum, *per l. 1. & 195. ff. de verbor. ſignificat.* ſi hoc firmitèr credunt illi, & quare idem credendum non eſt ab omnibus in lege Dei, cum agatur hic de utilitate, & ſalute omnium, ſinè damno, & præjudicio alicujus; ergò ità credendum eſt in illo relativo *Qui* comprehendit omnes homines utriuſque ſexus.

148 Illud quod dicit de fide dæmonum acceptum ex D. Jacobo 2. 19. *Tu credis, quia unus eſt Deus, benè facis, & dæmones credunt, & contremiſcunt*, intelligendum eſt, quòd dæmones credunt, non per fidem ſupernaturalem, quæ eſt donum Dei, quo indigni ſunt, ſed eorum credere in eo conſiſtit, quod illorum intellectus ratione naturali convincitur ad credendum, unum eſſe Deum, quod etiam Philoſophi cognoverunt, in eis autem, & damnatis propriè fides catholica non eſt, quia ea eſt Dei donum ex pio affectu voluntatis ordinatum ad conſequendam æternam beatitudinem, damnati autem nullum pium affectum habent ad eam, ſed credunt, quia ratione

convincuntur in quibuſdam notis lumine naturali. Vide *D. Aug. lib. 9 de Civit. Dei cap. 21. cum D. Thoma 2. 2. q 5. art. 2. ad 2.* quos pro ſe citat *Becanus c. 11. de fide q. 2.* Diverſa ergò eſt fides damnatorum à fide ſalvandorum, ideò adducta ab hoc hæretico nullius ſunt momenti.

Dicit ipſe, quòd una eſt fides pro ſalute, & tamen eam dividit in fidem ſalutis, & hiſtoriæ, quomodò una, ſi multiplex? Malè dividit fidem juſtificationis à fide hiſtorica, ſi una eſt fides, prout reverà eſt. Dictum Apoſtoli,
149 quòd *una eſt fides*, ità intelligendum eſt, quòd ipſa non patitur diviſionem in ſeipſam, licèt in ſuis inferioribus eam admittat, quibus communicat ſuam quidditatem. Eſt autem fides virtus ſupernaturalis, inclinans hominem tàm maſculum, quàm fœminam ad credendum revelata à Deo, ſivè per Scripturam Sacram, ſivè per Traditionem, juxtà definitionem ab Eccleſia Ro-
150 mana univerſali datam. Certum autem eſt, ea, quæ à Deo ſunt, revelata eſſe in triplici differentia; alia enim ſpectant ad hiſtoriam, ut quòd fecerit Deus cœlum, & terram; quod Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine, paſſus, mortuus, quòd reſurrexit, &c. Ex quibus fidem vocant hiſtoricam. Alia continent miracula præſertim à Chriſto Domino facta, ut de Cananea, Magdalena, &c. horum fidem appellant miraculorum, qua omnipotentia Dei in Chriſto probatur, & creditur. Alia complectuntur præcepta moralia, inſtitutiones Sacramentorum cum remiſſione peccatorum, & vocatur fides promiſſionis; per ea enim à Deo promittitur fidelibus ſuis gratia, & gloria, conſequenda in alia vita, ſi benè egerint. Hæ tres fidei ſpecies, licèt ex objectorum diverſitate diviſionem patiantur, & differentiam inter ſe, ut patet ex earum explicatione, nihilominùs conveniunt in unitate fidei juſtificationis, in eo, quòd, qui non crediderit revelata à Deo juxtà definitionem Eccleſiæ, damnatus eſt de hæreſi, & nullatenùs ſalvari poteſt. Undè qui non credit hiſtoriam, aut miracula, non ſalvatur, quia hæc ſpectant ad fidem juſtificantem; paritèr qui non credit in Sacramentis, & promiſſionibus Dei, infidelis eſt, quia hæc credere ſpectat ad fidem juſtificationis. Qui paritèr credit unum horum, & non alterum, qui credit hiſtoriis, & non miraculis, vel uni eorum, & non aliis, non ſalvabitur, quia verus fidelis debet credere omnia à Deo revelata; dixit enim Chriſtus ſinè ulla exceptione *Qui crediderit, ſalvus erit*, non diſtinxit ea, quæ credere debemus, ſed abſolutè obligavit nos ad credendum ea, quæ revelavit Eccleſiæ ſuæ, ſcilicèt omnibus hominibus utriuſque ſexus, ſivè Judæis, ſivè Gentibus, juxtà illud Pauli ad Galat. 3. 28. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. Quare unum, niſi quia unus eſt Chriſtus, quem omnes per Baptiſmum, in quo fides profitetur una, induunt, quia credunt quicquid ipſe credendum propoſuit.

Cum autem hæreticus dicit,

quòd

quòd fides vera, & una eſt, quæ ſalvat animam, benè dicit, ſed dum hanc rejicit à mulieribus, infidelis eſt, & hæreticus, quia initio hujus opuſculi, & hic de fide probatur, fidem juſtificationis eſſe neceſſariam etiam fœminis. Prætereà hæreticè etiam loquitur, dum fidem hiſtoricam inſinuat non pertinere ad ſalutem animæ, dum dicit eam reperiri etiam in dœmonibus; nam quod hiſtorica pertineat ad fidem ſalutis, clarum eſt, quia qui non credit creationem mundi à Deo factam, aut non credit, Chriſtum natum eſſe de Maria Virgine &c. certè ſalvari non poteſt, ut patet ex Symbolo Apoſtolorum, Eccleſiæ, & D. Athanaſii. Qualis autem ſit fides Dœmonum, jam ſuperiùs dictum fuit; ea enim eſt fides naturalis, inutilis ad ſalutem, & mortua, quia dœmones benè operari non poſſunt; eſt autem indubitatum, quod fides ſinè operibus mortua eſt, *teſte Jacobo cap.* 2. 17.

151 Ad illud Apoſtoli 1. ad Thimoth. 2. 15. *Salvabitur mulier non per fidem per filiorum generationem.* Reſpondetur, Adverſarium, more aliorum hæreticorum, ſententiam Apoſtoli adulteraſſe, & mutilaſſe, dum totam non protulit, homo imperfectus, ut eſt quilibet hæreticus, perfectè loqui non poteſt, nec operari. Apoſtolus autem proſequitur, & terminat illud caput his verbis: *Salvabitur mulier per filiorum generationem*, uſque hùc hæreticus; *ſi permanſerit*, inquit Apoſtolus, *in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Ecce quòd ſola generatio non ſalvat mulierem, ut perperam dixit hæreticus, ſed fides catholica, ſi in ea cum bonis operibus permanſerit. *Eſtius* illa verba: *Per filiorum generationem* explicat, ideſt, *per liberorum ex ſe genitorum educationem. Hæc enim dicuntur eo ſchemate ſermonis, quo ex priore poſterius intelligatur.* Vide Novarium *hic ſub num.* 1328. referentem expoſitionem hanc. Nota adulterationem ſententiæ Apoſtoli, cui inſeruit illa verba: *Non per fidem*, quæ non habentur, niſi poſt alia verba, & in favorem mulieris, quæ ſalvabitur, *ſi permanſerit in fide*, ut ibi dicit Apoſtolus. Mulier ergò per fidem Chriſti, & generationem, ideſt, educationem filiorum ſalvabitur; fides enim ſinè operatione mortua eſt.

Subjungit, quòd multi homines improbi fidem habent, ſed mortuam, quod non negamus, juxtà dictum Apoſtoli, ſed ineptè concludit; ergò potiùs cadavera ſunt dicenda, quàm homines, quia peccatum non de-

152 ſtruit naturalia hominis, & adhuc vivit vita hominis. Si loquatur myſticè non rejicio, quia homo per peccatum moritur morte ſpirituali, non naturali.

Facit argumentum contrà Anabaptiſtas, non ut obloquatur illos, ſed ut excitet hæreſes de fide, & Baptiſmo infantium. Inquit igitùr. Si fides propria eſt tantùm hominum; ergò infantes non ſunt homines, quia fidem non habent, & ſi habent, vana eſt doctrina veſtra.

153 Nulli dubium eſt, vanam eſſe doctrinam non ſolùm Anabaptiſtarum, ſed hujus quoque amici eorum, contrà quos conqueſtus fuit, ut viſum fuit ſuprà. Certum autem eſt de fide in Baptiſmate infantium

infantium infundi gratiam cum fide habituali, ſecundùm quàm poſtmodùm adulti facti, benè operari poſſunt, & actu credere myſteria fidei, ut ſæpiùs de fide definitum fuit, & poſtremò *in ſeſſ. 7. can. 12 & ſeq de ſacr. Baptiſmi.* Illis igitùr ſufficit pro eo tempore, quo carent uſu rationis, fides habitualis à Deo illis infuſa in baptiſmate fluminis, vel ſanguinis per martyrium, quam conſecuti fuerunt infantes innocentes pro Chriſto occiſi. Eccleſia, quamvis fide actuali non indigeant pro eorum tunc inhabilitate, nihilominùs eam ſupplet, & credit actu pro ipſis, ut inquit *D. Auguſt. cum aliis Patrib. relatis à Gratian. de conſecr. diſt. 4. à cap. 74. & ſeq.*

154 Vigeſimo ſextò ità proſequitur ſuum errorem aliis erroribus refertum. Mulieres ſciebant, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & habere poteſtatem ſanandi omnes infirmitates, ſciebant quoque in mundum non veniſſe pro illis. Undè quandò Chriſtus interdùm cum mulieribus loquebatur, ſcribit Evangeliſta, quod Apoſtoli remanebant ſtupefacti, id autem myſterio non caret. Operata eſt in his mulieribus neceſſitas, quæ legem non habet, & dum deerant illis omnia humana remedia, recurrerunt ad miſericordiam Chriſti, à quo fortè apud illas tranſeunte indigentes petebant non panem, qui hominum eſt, ſed micas; & præſumpſerunt tangere non corpus, ſed ſolùm fimbriam veſtimentorum. Chriſtus quamvis eas parum excipiebat, ut viſum fuit in Cananea, & in patiente fluxum ſanguinis, à quibus tangi nolebat, tamen conſiderando earum magnam fidem, ideſt, quod credebant, ipſum eſſe filium Dei promiſſo Adamo, & ejus poſteris, magis quam plures homines, quorum contemplatione ſolùm venerat in mundum, ſibi complacuit extraordinariè ſuccurrere eis de ſua gratia, forſan in opprobrium incredulitatis hominum. Inſuper occaſionem habuit dicendi: Non inveni tantam fidem in Iſrael, ideſt, inter homines, quantam in una muliere, quæ ad me non pertinet. Nec quiſquam admirari poteſt, qui vidit ſimilitèr Chriſtum propter ingratitudinem Judæorum tranſtuliſſe ſuum regnum ad extraneos. Legimus apud Medicos, experientiam, & fidem, quam habet infirmus erga Medicum, & medicinam, multò plus operari, quam ipſe Medicus, & medicina ipſa. Ità rationabilitèr dici poteſt, quod tàm magna eſſet fides in mulieribus, nec Chriſtum, ideſt, Medicum, nec medicinam illas juvaſſe, ſed ut ſcriptum eſt: *Fides tua, te ſalvam fecit*, & non Chriſtus.

Contrà eſt, quia mulieres benè ſciebant, & credebant pro eis veniſſe in mundum, ut eorum credulitatem probat, auxilium petitum, & beneficia per illas obtenta à Chriſto Domino pro ſanitate non ſolùm corporum, ſed etiam animarum, ut ſuperiùs *ſub num.* 135. probatum eſt, quia Chriſtus dum ſanat hominem, illum, & illam totam ſanat, & quo ad corpus, & quo ad animam, ne ejus

opera

opera arguantur imperfecta; miſſus ergò fuit à Deo etiam pro fœminarum ſalute ſpirituali animæ.

155 Mirabantur Diſcipuli ejus, dum invenerunt eum loquentem cum Samaritana, Joan. 4. 27. *Et continuò venerunt Diſcipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur*. Hæc admiratio Apoſtolorum non arguit, Chriſtum ad illas non eſſe miſſum pro ſalute etiam animæ, ſed eorum admiratio provenit ex eo, quòd cum tanta humilitate, & patientia loquebatur cum muliere infimæ plebis, ut ait D. Chriſoſtomus, & D. Auguſt. *Bonum enim mirabantur, & non malum ſuſpicabantur*. Reliquit hydriam, inquit, idem S. Chryſoſt. *Anima enim cum ignita fuerit igne divino, ad nihil eorum, quæ ſunt in terra, de reliquo aſpicit, ſed ad unam ſolam, quæ detinet eam flammam*. Contemnit ergò mulier inflammata gratia Dei quæcunque ſunt hujus ſeculi. Hæc ex Catena Aurea D. Thomæ. Admiratio igitùr diſcipulorum fuit honeſta, qui mirabantur patientiam, & humilitatem Chriſti in converſione hujus fœminæ, quæ reliquit hydriam ad prædicationem Chriſti, qui promiſit illi aquam vivam, de qua ſi biberet, non ſitiret in æternum; miſſus ergò fuit Chriſtus etiam pro ſalute mulierum, dum Samaritanam inſtruit de aqua ſpirituali, & gratia cœleſti; undè *D. Auguſt. tom. 9. in expoſit. hujus Evangelii tract.* 15. inquit: *Jam mulier ordinatur in fide, & regitur benè victura*. Et paulò infrà, dum Apoſtoli rogabant, ut manducaret, ſubjungit idem Sanctus Auguſtinus. *Meus, inquit, cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. Ergò & potus ipſe erat in illa muliere, ut faceret voluntatem ejus, qui miſerat illum, ideò dicebat: Sitio, da mihi bibere, ſcilicèt, ut fidem in ea operaretur, & fidem ejus biberet, & eam in corpus ſuum trajiceret; corpus enim ejus eſt Eccleſia*. Patet ergò ex Evangelio, & ex S. Auguſt. expoſitione, Deum miſiſſe Filium non ſolùm pro ſalute maſculorum, ſed etiam fœminarum, in quibus ſalutem animæ operatur, ut fecit huic Samaritanæ, cui contulit aquam fidei, & gratiæ cœleſtis. Chriſtus igitùr fœminis porrexit non ſolùm micas, ſed etiam panem cœleſte pabulum, cum & micæ ſint ejuſdem ſpeciei, cujus eſt panis, ex dictis ſub *num.* 129.

156 Subdit hæreticus. *Preteſ[illegible]ro di toccare non il corpo, mà ſolamente il lembo delle veſtimenta*. Antecedentèr dixerat: *C[illegible]edono non il pane, che è degli huomini, mà le miche*. Volendo probare hoc poſteriùs per illud priùs, quaſi ſumat fimbriam pro micis, & corpus pro pane, quem non debent tangere, quia ad eas non pertinet. Qualitercunque autem hæc accipiat, certum eſt, Magdalenam non ſolùm tetigiſſe micas, & fimbriam veſtimentorum Chriſti, ſed Chriſtum ipſum immediatè tetigit, ut teſtatur Lucas cap. 7. 38. *Stans retrò ſecùs pedes ejus, lacrimis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*. Tetigit ergò corpus Chriſti, qui eam pavit pane cœleſti, dum ei remiſit peccata, non tantùm ergò micas, ſed panem petiit mulier. De Cananea, & Samaritana non legitur, quòd Chriſtum

Chriſtum tetigerint corporalitèr, ſed tantùm ſpiritualitèr, dum illas inſtruxit in fide, & crediderunt, relictis hujus ſeculi hydriis peccatorum.

157 Sed cur fœmina ſanguinis fluxum patiens, ſolam fimbriam veſtimenti tetigit, & non corpus, ut fecit Maria Magdalena? ℟. Non poterat præ turba accedere, & loqui cum Chriſto; ideò intrà ſe dicebat: *Si veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.* Marci 5. 28. Matth. 9. 21. Cum autem Chriſtus interrogaret diſcipulos, quis eum tetigiſſet, reſponderunt, Marci 5. 31. *Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit?* Lucæ 8. 45. idem dicitur. Cauſa igitùr rei eſt, quia ex nimia turba, qua comprimebatur, non poterat Chriſtum alloqui, ideò firmitèr credidit ſolo tactu fimbriæ, ſinè locutione poſſe ſanari, tanta erat fides ejus, undè illi dixit: *Filia, fides tua ſalvam te fecit.* Sanavit ergò illam à fluxu ſanguinis, & peccatis, dum dimiſit eam in pace. Chryſoſt *Vel dicit: Vade in pace, mittens eam in finem bonorum; in pace enim Deus habitat, ut cognoſcat, quòd non ſolùm corpore curata eſt, ſed etiam à cauſis corporalis paſſionis*, ideſt, *peccatis mutata. Ex Catena Aurea D. Thomæ hìc.* Cur autem non auſa fuerit clamare ad Chriſtum, & petere ſanitatem, ut fecerant aliæ mulieres? Reſponſum fuit ſuprà, quia non poterat præ turba. Reſpondet S. Chryſoſt. in dicta Catena: *Ad Salvatorem in manifeſto accedere non audebat, negantem eam venire, quia ſecundùm legem immunda erat, propter hoc retrò tetigit, & non ante.* Chriſtus ſciebat ſe tactum fuiſſe ab ea fœmina, quam ſanaverat à fluxu ſanguinis, & eam cognoverat, cur quærit quis eum tetigerit? ℟. Beda apud eundem D. Thomam extremis verbis: *Circumſpiciebat autem Dominus videre eam, quæ hoc fecerat, quia omnes, qui ſalvari merentur, ſuo dignos intuitu, ac miſeratione judicat.* Venit ergò Chriſtus ſalvare non ſolùm homines, ſed etiam fœminas, ut probat exemplum hujus fœminæ, quæ ſanata fuit non ſolùm à fluxu ſanguinis, ſed etiam liberata à peccatis ſuis, dum ab eo dimiſſa fuit in pace, cum qua requieſcere non potuiſſet, ſi adhuc in peccatis fuiſſet.

158 Falſum quoque eſt, quod ait: *Chriſto dunque faceva loro poca accoglienza, come ſi vidde nella Cananea, & in quella, che pativa il fluſſo del ſanzue, che da loro non voleva eſſer toccato.* Nam magna æſtimanda eſt exceptio, & ſuſceptio illarum apud Chriſtum, dum illis reſtituit ſanitatem, & commendavit earum fidem. Non egebant iſtæ mulieres verborum urbanitatis, ſed beneficiorum ſalutis animæ, & corporis. Non reperitur, quòd Chriſtus negaverit mulieribus tactum honeſtum ſui corporis, admittebat omnes ad tactum ſalutiferum, ut exemplum habemus in Maria Magdalena, quam non rejecit à pedibus ſuis.

159 Subdit: *Si compiace d' eſtraordinariamente ſoccorrerle della ſua gratia, forſi in obbrobrio dell' incredulità degli huomini.* Chriſtus non in opprobrium hominum contulit gratiam illis mulieribus, ſed eò quòd ex fide petierunt in nullo hæſitantes; magna eſt enim fidei vis, ut per eam montes etiam

transfe-

transferantur de loco ad locum, Matth. 17.19. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit,*
160 *& nihil impoſſibile erit vobis.* Hanc fidem habuit Gregorius Thaumaturgus, Epiſcopus Neoceſarienſis, qui montem tranſtulit aliò, ut ibidem Eccleſiam Deo ædificaret, ut refert Venerabilis Beda *lib. 3. comment. in Matth. cap. 11. relatus in Homil. ejus feſti 21. Novembris*. Reſpexit igitùr Deus ad magnam fidem mulierum, ut teſtatur Evangelium, & non ut exprobraret incredulitatem hominum, quos invitabat ad converſionem, & pœnitentiam per hujuſmodi beneficia mulieribus collata. Videtur ex ejus dicto deduci argumentum ad hominem; ſuppoſito enim, quod fecerit gratiam mulieribus in opprobrium incredulitatis hominum, aut modicæ eorum fidei, quod non admittimus, ſequitur, gratiam, & beneficium collatum mulieribus eſſe ejuſdem ſpeciei cum gratia, & beneficio conceſſis hominibus: aliter ſi eſſent diverſarum ſpecierum, non erat locus opprobrio ob diverſitatem, quia diverſitas beneficiorum non arguit relationem, neque æmulationem inter perſonas, quandocunque habitudinem ad eandem non habent perfectionem. Nec fides mulierum comparanda erat cum fide hominum, ſi horum fides eſt juſtificationis, illarum verò hiſtorica, juxtà quod dixerat hæreticus paulò antè.

161 Illa verba: *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* explicat de hominibus tantùm, & non etiam de fœminis, & ait, ea dicta fuiſſe à Chriſto occaſione unius fœminæ. Errat in utroque hæreticus, nam ea verba dixit occaſione Centurionis, qui erat Gentilis, & de omnibus Iſraelitis, tàm maſculis, quàm fœminis, ut patet *Matth. 9. à num. 6. ad* 10. ubi ea verba habentur, *& Lucæ 7. 5. ad* 9. Gentilis erat, ut teſtatur *D. Auguſt. tom. 10. Serm. 6.* de verbis Domini. *Petrus Chryſol. ſerm. 15. num. 14. clariùs ſerm.* 102. ubi vocatur Romanus, & Gentilis. *Non in-*
162 *veni tantam fidem in Iſrael.* Dictum fuit etiam de fœminis Judæis; nam & ipſæ ſunt de domo, & ſtirpe Iſrael, nam cum Moyſes de mandato Dei liberavit populum Iſrael de manu Pharaonis, eduxit non ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas, Exodi 12. 38. *Profecti ſunt filii Iſrael ſexcenta ferè millia peditum virorum abſque parvulis, ſed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* Filii autem Iſrael ſunt omnes Catholici, & fideles, ut docet *S. Aug. tom. 2. Epiſt. 120. de fide Centurionis, tom. 8. in Pſal. 113. & alibi ſæpiùs.*

163 Chriſtus Dominus medicus noſter eſt, qui dicit Matth. 9. 12. *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.* Sanatur ab eo, quicunque vult liberari ab infirmitate, non ſolùm corporis, ſed etiam animæ, non ſola fide, ſed Chriſti fide; non enim poteſt obtineri ſanitas per ſolam fidem ſine Chriſto, quia *ſine me nihil poteſtis facere*, Joann. 15. 5. neceſsè
164 eſt ergò, quòd medicus cœleſtis applicet medicinam fidei, & ægrotus reſpondeat cum bonis operibus, ſi vult ſanari; in tantùm enim fides virtutem habet juſtificandi, in quantùm à Chriſto procedit in nobis, juxtà illud Marci 9. 23.

Adjuva incredulitatem meam. Non poſſum incipere credere, niſi tu Chriſte promoveas me ad credendum, *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis*, Iſaja 26. 12. Initium ergò noſtrarum operationum à Deo eſt, & earum proſecutio, ideò fides per ſeipſam ſinè Chriſto, & nobis cooperantibus quemquam ſanare poteſt. Ex quibus patet, hæreticum malè ſentire de Chriſto, dum ſoli fidei tribuit ſanationem illarum mulierum; ſicut ergò fides ad medicinam ſinè medicina nihil prodeſt ad ſanitatem corporis, niſi à medico applicetur ægroto, ità fides niſi à Chriſto applicetur incredulo, non poteſt eum liberare ab incredulitate, ideò benè dixit ille: *Domine adjuva incredulitatem meam*.

165 Vigeſimo ſextò ſibi objicit nomine Adverſariorum. Attuliſti duas probationes contrà te ipſum. In prima dicis Chriſtum promiſſum fuiſſe poſteris Adami; ergò etiam fœminis, quæ intelliguntur de poſteritate ejuſdem. In ſecunda, quòd mulieres ſalvantur propter generationem; ſi ergò per generationem ſalvatur mulier, eſt de ſpecie hominum. Ne triumphes, Amice, ante victoriam, ait hæreticus; tunc triumphabis, quandò mihi oſtendes, mulieres eſſe de poſteritate Adami, id autem in æternum demonſtrari non poteſt. Quia poſteritas Adami narratur in teſtamento veteri, & novo. Notum autem eſt, quinam fuerint filii, & nepotes Adam, & poſteà Abraham, Iſaac, Jacob &c. Quis autem genuerit mulieres ignotum eſt, eum earum nativitas ſit incerta. Igitùr poſteritas Adami reſtringitur ſolùm ad homines. Quod apparet, quia nulla filia vocatur primogenita, licèt nata ante maſculos, ſicut de maſculis dicitur ſupiùs, quod ſunt multi primogeniti, quamvis ante ipſos natæ fuiſſent plures earum ſorores. De ſecunda probatione dicetur infrà ſuo loco ſingularitèr.

166 Contrà eſt, quia reſponſionis Adverſarii tota vis in eo conſiſtit, quòd mulieres non deſcendunt ab Adam, quod eſſe falſum, & impium, luce clariùs conſtat. Non legit iſte inſipiens *capit*. 5. *Geneſ.* in quo recenſentur decem

167 generationes ab Adam ad Noe, nempè Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch, Mathuſala, Lamech, qui deſcendunt ab invicem per lineam rectam ab Adam, & ſinguli genuerunt filios, & filias, licèt non nominentur proprio nomine, niſi unus maſculus, à quo alter deſcendit, undè de Adam numerantur tres filii Cain, Abel, & Seth, paritèr de Noe tres Sem, Cham, & Japheth, de filiabus Adam nulla fit mentio, nec de filiabus Noe. A Noe autem, uſque ad Abram *cap*. 11. *Geneſ.* numerantur aliæ decem generationes, quæ ſunt Sem, Arphaxat, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare, & Abram, qui omnes dicuntur genuiſſe filio, & filias, excepto Thare, qui genuit Abram, Nachor, & Aran; Abram autem habebat uxorem Sarai ſterilem *cap*. 16. undè ex illa Deus dedit illi filium nomine Iſaac, &

168 utrique nomen mutavit, Abram in Abraham, quia *patrem multarum gentium conſtitui te*; Sarai mutavit nomen, *uxorem tuam Sarai vocabis Saram*. *cap* 17. quia futura erat mater multarum gentium.

tium. Quis negabit ſub nomine gentium, non venire etiam mulieres, quia & ipſæ ſunt de genere, & deſcendentia Abraham?

169 Et quamvis in genealogia deſcendentium ab Adam, non recenſeantur mulieres nominatim, ſicut numerantur maſculi, propter deſcendentiam ex eodem ſtipite, qui ſemper maſculus eſt; nam maſculus facit gentem, & familiam, non fœ-

170 mina, quæ adhærendo alteri concipit partus ſuos de familia, & genere viri ſui, ideò Scriptura non curavit nominare mulieres, ſicut maſculos. Undè *Sanct. Hieronym. lib.* 1. *Comment. in Matthæum* dixit: *Non eſſe conſuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo te-*

171 *xatur*. Quandoque deſcendentia ex mulieribus recenſetur, ut patet in Evangelio Matth. 1. dum generatio Chriſti texitur etiam mulieribus, nam Phares, & Zaram geniti fuerunt ex Juda, & Thamar; Booz ex Salmon, & Rahab; David ex Berſabee genuit Salomonem. Ideò hæ mulieres exprimuntur in Evangelio, ut detur intelligi, Chriſtum veniſſe in hunc mundum ad redimendum non ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas, ut luculentèr colligitur hìc ex S. Hieronymo his verbis: *Notandum eſt, in genealogia Salvatoris nullam Sanctarum aſſumi mulierum, ſed eas, quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret*. Ergò etiam earum fœminarum, quæ peccaverant. Probata ergò ex his manet poſteritas fœminarum ab Adam contrà mendacem hæreticum. Ecce Catholicorum triumphus, qui reportarunt glorioſam victoriam contrà nefarium Dei hoſtem.

172 Parùm autem refert, ſi nomine primogeniti in ſacris Scripturis referantur ſolùm maſculi, & non fœminæ, quia hoc non tollit eorum poſteritatem, & deſcendentiam ab Adamo, ſivè primogeniti ſint maſculi, ſivè non. Fœminæ raro veniunt hoc nomine primogenitarum, invenio hoc apud *lib.* 1. *Regum cap.* 14. 49. ubi dicitur: *Ferunt autem filii Saul, Jonathas, & Jeſſui, & Melchiſua, & nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol*. Ecce quòd etiam mulieres inſcribuntur primogenitæ, ſivè tales dicantur in ordine ad alias fœminas, ut videtur hìc accipi, ſivè reſpectu maſculorum; hoc enim parùm refert ad præſens negotium, quia ex hoc non tollitur poſteritas fœminarum ab Adam, cum omnes fœminæ ab eodem deſcendant ſicut maſculi, ſivè priùs, ſivè poſteriùs ſint geniti, aut genitæ, quia hujuſmodi ſucceſſio generationis non tollit poſte-

173 ritatem. Primogenitus autem dicitur ille, qui primò natus eſt, non quem fratres ſequuntur, S. Hieronymus ſuper Matthæum relatus *cap. Joſeph* 5. *de verbor. ſignif.* primogenitus enim eſt ille, qui eſt principium liberorum, *Deuter.* 21. 17. & qui primò aperit vulvam, *Exodi* 13. 2.

ſivè ſequantur alii, ſivè non, qui aperit vulvam, ille primogenitus dicitur. Et id conſtat etiam ex primitiis dandis ſacerdotibus, quibus non eſſent tradendæ, niſi nato ſecundo filio, quod dicere ridiculum eſt.

174 Demùm ſacra Scriptura accuratè obſervat in maſculis primogenituram, non in fæminis, quia tota ordinatur ad genealogiam Salvatoris, qui eſt verè primogenitus, tàm vivorum, quàm mortuorum, & quidem unicus Dei Patris in cœlo, & Matris Dei genitricis Mariæ Virginis in terris Filius, quem nulli præceſſerunt, nec ſecuti fuerunt, quia unigenitus fuit, ideò S. Evangeliſtæ Chriſti generationem ab Abraham primogenito Thare deducunt continuò per primogenitos tantùm uſque ad Mariam Virginem, quæ & ipſa fuit unica primogenita Joachim, & Annæ, ex qua primogenitus Dei eſt Chriſtus Dominus. Nulla ergo fuit neceſſitas uti tanta diligentia recenſendi fæminas primogenitas, ſicut neceſſarium fuit tenere generationem primogenitorum in ordine ad genealogiam Salvatoris.

175 Vigeſimo ſeptimò, impugnat ſecundum argumentum ſic. Confitetur, ſe dixiſſe cum Apoſtolo, mulieres ſalvari per generationem, ſed ex hoc deduci non poteſt eſſe de ſpecie hominum, & conſequi ſalutem animæ, vanum eſt. Omnes Sectæ etiam temporibus noſtris, Luteri quoq; docent, hominem juſtificari cum ſola fide. Si id eſt verum, quomodo poteſt mulier eſſe de ſpecie hominum, cum non per fidem, ſed per generationem ſalvatur. Interpretator hoc verbum, *Salvatur, per ſtar bene in queſto mondo.* Firma argumenta non referunt, ſed dubias conjecturas. Quia ſicut mulier infœcunda, & ſterilis ob non generationem contemnitur, & quaſi infamis habetur, ut apparet in antiqua lege, in qua mulier ſterilis credebatur odioſa oculis Dei, unde reperitur ſcriptum: Maledicta mulier ſterilis, quæ non habet ſemen in Iſrael. Ita è contrà illa, quæ eſt fœcunda, & parit filios, ſalvatur in mundo, hoc eſt, ab improperiis hominum, & à maledictionibus Dei. Et eo magis, cum in eodem loco dicatur: Benedicta mulier, cujus ſemen eſt fœcundum, quia hæc adimplet officium adjutorii, ut illa prima, quæ eſt Eva.

Contrà eſt, quia ſuperiùs ſub *num.* 151. clarè probatum eſt, mulieres ſalvari non præcisè per generationem, ideſt, educationem filiorum, ſed per fidem, & bona opera, ut ibi Apoſtolus apertè docet; ergo ex Apoſtolo deducitur, mulierem ſalvari quoad animam, ac proindè eſſe de ſpecie hominum; ſoli enim homines capaces ſunt in hoc mundo ſalutis. Falſa ergo eſt interpretatio data ab hæretico ſuper eo verbo *Salvatur. Per ſtar bene in queſto mondo.* excludendo fœlicitatem æternam ab eis in alio.

176 De muliere odioſa viro, aliud non inveni in lege veteri, niſi in *Deuter. cap.* 21. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintq; ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus &c.* in diviſione ſubſtantiæ pater debet præferre primogenitum odioſæ, quia eſt principium liberorum. Non erant ſteriles, ſed fœcundæ, & tamen, una erat odioſa. *Rachel*, ut dicitur *cap.* 30. *Gen.*

erat

177 erat infœcunda, ibi tamen non dicitur, quòd eſſet odioſa viro ſuo Jacob, qui licèt dicatur iratus ei, non ideò dicitur fuiſſe odioſa eidem, ſed iratus erat, quia ab eo petierat: *Da mihi liberos, cui Jacob reſpondit iratus: Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui?* Ità ergo non ex ſterilitate Rachelis concepit, ſed ex indiſcreta petitione. *Sarai* quoq; ſterilis erat, & tamen non legitur, fuiſſe odioſam viro ſuo Abraham, qui Deo dicebat querulus: *Mihi non dediſti ſemen, & ecce vernaculus meus erit meus hæres Gen.* 15. 3. legitur verò *cap.* 17. 16. Deum Abraham dediſſe filium ex Sara licet ſterili, cui benedixit. Uxor quoque Manue ſterilis ex ſpeciali gratia Dei, genuit Manue marito ſuo Sampſonem, *Judic.* 13. nec legitur Manue odioſam fuiſſe uxorem ſterilem. Eliſabeth quoque uxor Zachariæ ſterilis erat, & ex Dei gratia genuit marito ſuo Joannem, *Lucæ* 1. Lege totam Scripturam, & non invenies, uxorem ſterilem fuiſſe odioſam marito, licèt fortaſſis oneroſam, quia viri uxores habentes infœcundas, erant timentes Deum, & ſciebant, ſterilitatem non procedere ex aliquo vitio, & culpa uxorum, ſed ex defectu naturæ, ideò non poterant ſervi Dei odio habere uxores ſuas. Falſa ergo loquitur Adverſarius, cum in lege mulier ſterilis non legatur odioſa, nec infamis, ſed Deo gratioſa, & benedicta, dum illis dedit ſemen pro generatione. Nec inveni, quòd Deus maledixerit mulieri ſterili in Iſrael, id enim impium eſt, cum in poteſtate mulieris non ſit filios procreare, cum ſit opus naturæ. Dum autem loca Sacræ Scripturæ non aſſignavit, id arguit, mendacem fuiſſe, & Catholicos decipere voluiſſe.

178 Reſtat eludere illam hæreſim notam omnibus, quòd ſcilicet ſalvetur homo per ſolam fidem ſine operibus, manifeſtum eſt enim, ſolam fidem ſine operibus non juſtificare, nec ſalvare hominem, cum mortua ſit, ut claris verbis docet *Jacob.* 2. 17: *Sic fides ſi nō habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Si mortua non poteſt hominem juſtificare, nec vivificare, quia mortuum nullam vim, nullam operationem habet. Id definitur *capit.* 7. & 8. *ex Canon.* 9. *ſeſſ.* 6.

179 Vigeſimo octavò ait, ſtultitiam eſſe dicere *ſalvari* importare in hoc loco ſalutem animæ. Quia ſi ſalvantur mulieres propter generationem, fruſtrà Chriſtus pro illis mortuus eſt, & fruſtrà credunt. Deindè Virgines, Viduæ, Caſtæ, quæ nunquàm parturierunt, eſſent damnatæ, & meretrices, quæ habuiſſent filios, ſalvarentur. Et tamen iſtis dixit Chriſtus: *Væ vobis prægnantibus, aut lactantibus in illis diebus.* Si minis terrentur, quare ſalvantur per generationem. Reciperent fœminæ egregiam mercedem de ſuis ſceleribus, quia peccatum operaretur earum ſalutem.

180 Contrà eſt, quia ſumma ſapientia eſt Catholicis aſſerentibus verbum *ſalvari* referri ad ſalutem animæ, & non tantùm corporis; imò principaliùs dicitur de anima, quàm corpore, ut colligitur ex Evangelio Matth. 18. 11. *Venit enim filius hominis ſalvare quod perierat*; Lucæ 9. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Joannis 3. 17. *Non enim miſit Deus filium ſuum, ut judicet mundum*

mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Chriſtus venit ſalvare animas, mundum, & quod perierat; fœminæ autem perierunt & ipſe, quia peccaverunt in Adam, animas habent ſicut viri, ipſæ non minus ſunt de mundo, quàm maſculi; omnes ergò ſalvantur per fidem Chriſti, qui ſalvantur, anima non eget ſalute corporali, ſed ſpirituali, qua moritur per peccatum. Populus Iſrael, totus mundus perierat non infirmitate corporali, cum in mundo ſemper ſint plures ſani, quàm infirmi, ſed perierant omnes propter peccatum originale, undè ab hac infirmitate communi ſalvandi erant, & à propriis peccatis per ſanguinem Jeſu Chriſti. Et quòd illis fœminis collata fuerit ſanitas non ſolùm corporis, ſed etiam animæ, ſufficientèr probatum eſt ſuprà ſub *num.* 135. Ex quibus patet, Chriſtum non fruſtrà, ſed neceſſariò paſſum eſſe pro illis, ſinè quo nullus ſalvari poteſt, undè non fruſtrà, ſed neceſſariò credere debent, & utilitèr credunt, dum ab utraque infirmitate liberantur non per generationem, ſed per fidem, cum aliis bonis operibus conjunctis cum fide.

Infert irrationabilitèr, & neſcio quo motivo honeſto, Virgines, & quæ nunquàm genuerunt, damnarentur, ex Adverſariis ejus, & parturientes etiam meretrices ſalvarentur. Non enim id colligi poteſt ex dictis Catholicorum, qui dicunt, omnes mulieres, ſivè parturientes, ſivè non parturientes poſſe ſalvari in fide Chriſti cum obſervatione mandatorum Dei, ſi volunt ſalvari, etiam meretrices, ut exemplum habemus in Maria Magdalena, de qua ſuperiùs dictum fuit *ſub num.* 137.

181 Illa verba: *Væ vobis prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*, Matth. 24. 19. Marci 13. 17. Lucæ 21. 23. in nullo proſunt Adverſario, nec Chriſtus illis minatur, aut intendit punire, ſed ſolùm per ea verba declarat, timorem, & terrorem, quem illo die judicii patientur prægnantes pro ſe, & filiis ſuis, ut teſtantur ibidem Evangeliſtæ, præſertim Lucas his verbis: *Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic*. Sed cum præſſura in illis diebus futura ſit communis hominibus, & mulieribus non prægnantibus, cur dicit: *Væ prægnantibus*? Reſpondet hìc D. Chryſoſtom. *His quidem, quia pigriores ſunt, & quia facilè fugere non poſſunt, onere conceptionis gravatæ; his autem quia detinentur vinculo compaſſionis filiorum, & non poſſunt ſimul ſalvare eos, quos lactant.* Non minatur ergò terrorem prægnantibus, & nutrientibus, ſed oſtendit eis mala, quæ paſſuræ ſunt illis diebus, non quia genuerunt, ſed quia conditio illorum dierum patitur tot terrores.

Demùm cum mulieres non ſalventur propter generationem, ſed per fidem, & bona opera, ut dicit S. Paulus, prout dictum fuit ſuprà *ſub num.* 151. perperam, & falsò dicit, meretrices recipere mercedem egregiam de ſuis peccatis; id enim nullus ſanæ mentis concedit.

182 Vigeſimo nonò ait, ſibi ſupereſſe reſponſionem ad argumentum, quod ejus Adverſarii dicunt inſolubile, & eſt tale. Mulieribus remittuntur peccata, ergò ſunt de ſpecie hominum. Illud probant exemplo Mariæ Magdalenæ

ſenæ vexatæ à ſeptem dœmonibus, cui Chriſtus dixit: *Tibi delecta ſint tua peccata*. Poſſem, inquit, facilè refellere hanc rationem, quia ab uno exemplo non infertur. Poſſem etiam dicere, remitti peccata non ſolùm hominibus, ſed etiam mulieribus, quamvis ſint alterius ſpeciei, dum remittuntur errata canibus, & equis, & ſimiis præſertim, quandò tranſgrediuntur juſſiones dominorum. Crederem hoc modo ſufficientèr reſpondiſſe.

183 Contrà eſt, quia illud argumentum deſumptum à Maria Magdalena, cui Deus remiſit peccata, facit pro omnibus mulieribus, maximè cum ſit exemplum peccatricis; Chriſtus enim non venit vocare juſtos, ſed peccatores, *Matth.*9.13. In lege veteri *Levit.* 12.6. pro peccato filiorum, aut filiarum mater offerebat agnū anniculum in holocauſtum, quod ſignum eſt, etiam in fœminis reperiri peccatum, quod expiandum eſt eodem mono, quo deletur peccatum in maſculis, neceſſariò igitùr contrà Adverſarium eſt inferendum, fœminas eſſe de ſpecie hominum, quia peccant ſicut maſculi, & eodem modo illis remittuntur peccata.

184 Ridiculum eſt, quod affert pro reſponſione ad argumentum catholicum, mulieribus ſcilicèt remitti peccata eo modo, quo canibus, equis, & ſimiis condonantur errata contrà ſuos patronos. Ignorat iſte, vel ut veriùs loquar, diſſimulat, quid ſit peccatum, ut ſuum peccatum occultet in fœminis. Domini puniunt peccata, & errata ſuorum animalium, peccata mulierum, à quo caſtigabuntur, & quo genere ſupplicii? ſi pœna temporali in hoc mundo à ſuis parentibus, vel maritis, & non in Inferno, aut in Purgatorio, in quibus locis reverà puniendæ ſunt, ſicut maſculi, erunt melioris conditionis, quàm ſint homines ipſi, qui in Inferno, vel Purgatorio dant pœnas ſuorum delictorum, ſi ſequuntur maſculos in luendis pœnis, ſequitur illas eſſe de ſpecie hominum, ut reverà dicendum eſt.

185 Trigeſimo, credit ſinè dubio, præceptum Dei non edendi de arbore, factum fuiſſe non mulieri, ſed ſolùm homini, quia prohibitio proceſſit creationem mulieris, cui poſt non fuit repetita, & ideò poſt peccatum ipſa à Deo vocata non fuit, ſed ſolùm Adam, cui dixit: *Adam ubi es?* Et illi ſoli dixit; quia comediſti de Arbore, quam tibi prohibueram, quod mulieri non dixit. Omnes nos peccavimus in peccato Adami, non in peccato Evæ, & peccatum originale contraximus à patre, non à matre. Propter quod antiqua lex præcepit Circuncitionem omnium maſculorum, & non fœminarum, judicando eſſe puniendum originale peccatum in eo ſexu tantùm, qui peccaverat. Si ergò mulier non peccavit in principio mundi, nec modò peccare poteſt, quia nec homines peccarent, niſi ab Adamo contraxiſſent peccatum originale.

186 Contrà eſt, quia prohibitio de non comedendo de ligno vetito, utrique facta fuit, ut ipſamet Eva teſtatur *cap.* 3. 3. his verbis: *De fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus*, licèt enim *cap.* 2.17. ex illis verbis: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*, videa-

videatur colligi, præceptum fa-
ctum fuiſſe ſoli Adamo, tamen
commune fuit utrique, ut docent
omnes S. S. Patres, cum Ruperto
lib. 2. *in Geneſ. cap.* 32. cum quibus
Suar. lib. 3. *cap.* 21. diſcrepant in
modo promulgationis, aliqui di-
cunt eſſe factum utrique ſimul,
& ſemel, alii verò volunt factum
fuiſſe primò Adamo ſoli, & de-
indè per ipſum Evæ uxori ſuæ.
Itaque omnes conveniunt in hoc,
quòd uterque erat obligatus illud
obſervare, quovis deindè modo
eis fuit promulgatum, & hoc eſt
de fide tenendum, quia pro ea
tranſgreſſione uterque fuit puni-
tus, ut patet legenti dictum ca-
put tertium.

Quod ait, factum fuiſſe præ-
ceptum Adamo ante creationem
Evæ, cui non fuit repetitum,
malè loquitur; nam S. Aug. tom.
3. lib. 8. de Geneſi cap. 17. *Ità
præcepit ordinatiſſimè, ut per virum
præceptum Domini ad fœminam per-
veniret*. De quo præcepto ſibi fa-
cto ipſamet Eva teſtatur, ut vi-
dimus. Eſto mulier facta eſſet
poſt editionem præcepti, adhuc
ea præcepto tenebatur, tùm quia
dum mandatum fuit factum Ada-
mo, impoſitum ſimul fuit etiam
Evæ, quæ cum eo fuit una caro,
ideſt, unus homo, nam nomen
Adam in lingua Hebræa idem
eſt, quod homo, complectens ſi-
mul maſculum, & fœminam, ut
docet idem *S. Auguſt. tom.* 5. *lib.*
15. *de Civit. cap.* 17. his verbis:
187 *Et ipſum enim nomen*, ſcilicèt
Adam, *interpretatur homo, ſed
commune perhibetur eſſe in illa lin-
gua*, ideſt, *hebræa, maſculo, & fœ-
minæ*. Ergò dum Deus dixit Ada-
mo: *De ligno autem ſcientiæ boni,
& mali ne comedas*, locutus fuit
utrique præcipiendo, ne come-
derent de pomo vetito. Tùm
quia facit illud l. Ariani 5. C. de
188 hæret. *Lex ſemper loquitur*, dum
lex conditur, promulgatur præſen-
tibus, & futuris, quia ſemper lo-
quitur, ſivè exiſtentibus, ſivè
nondùm natis; parùm ergò re-
fert dicere, præceptum factum
fuiſſe ante creationem Evæ.

189 Dicit Adverſarius, quòd Eva
poſt peccatum non fuit vocata à
Deo. Mentitur, nam cap. 2. 8.
*Et cum audiſſent vocem Domini
Dei deambulantis in Paradiſo ad
auram poſt meridiem, abſcondit ſe
Adam, & uxor ejus*. Si audierũt vo-
cẽ ejus; ergò ambo vocati fuerunt
à Deo; ambo autem alia ratione
non ſe abſconderunt, niſi quia ti-
mebant pœnam à Deo ſuæ tran-
ſgreſſionis. Interrogavit autem
Deus non ſolùm Adam, ſed etiam
Evam: *Et dixit Deus ad mulie-
rem: Quare hoc feciſti?* Interro-
gatio autem ſupponit vocatio-
nem, & citationem rei; fuerunt
igitùr ambo rei præcepti eiſdem
à Domino facti, unumquemque
illorum debitis ſubjecit pœnis, de
quibus in eodem cap. 3. Pecca-
verunt ergò ambo contrà præce-
ptum, ut dicit *S. Aug. tom.* 5. *lib.*
14 *de Civit. cap.* 11. extremis ver-
bis: *Et ſi credendo non ſunt ambo
decepti, peccando tamen ambo
capti ſunt, & diaboli laqueis impli-
190 citi*. Explicat autem illud Apo-
ſtoli Roman. 5. quòd Eva ſedu-
cta fuit, quia credidit ſerpenti,
non verò Adam, quia ut ſciens,
& prudens non poterat dici ſe-
ductus ab uxore. De hac re ite-
rùm *tom.* 3. *lib.* 11. *de Geneſi cap.* 35.
de vocatione utriuſque, & 42.
de ſeductione Evæ, & non Adami.

191 Et licèt dum eos Dominus in-
crepavit,

crepavit, videatur direxiſſe illa verba: *Comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes*, ad ſolum Adam, res tamen ità ſe non habet, quia in illis quoque verbis comprehenditur Eva, ut patet ex antecedentibus: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, comediſti de ligno &c.* nominavit verò ſolum Adam, quia proprias ei dedit pœnas, ſicut quandò punivit Evam, eam ſolùm nominavit ſinè Adamo, quia utriſque diverſas intulit pœnas, juxtà eorum ſexum; ambo igitùr tranſgreſſi ſunt præceptum ſibi, paritèr vocati fuerunt, ut ſententiam condemnationis ſubirent.

192 Verùm quidem eſt, quòd omnes nos peccavimus in peccato Adami, non verò in peccato Evæ, non indè tamen ſequitur, Evam non fuiſſe ſubjectam huic præcepto, & non peccaſſe. Peccavimus in Adam, non in Eva, quia ſolus Adam habebat à Deo jus, & debitum conſervandi ſibi, & poſteris juſtitiam originalem, gratiam, & ſanctitatem ab eo ſibi donatam, & poſteris ejus, ideò poſteri non dicuntur peccaſſe in Eva, quia hæc non habebat obligationem conſervandi nobis juſtitiam originalem; undè in Conciliis Arauſicano 2. & Tridentino ſeſſ. 5. definitur Adamum, non Evam, nocuiſſe non ſolùm ſibi, ſed omnibus poſteris ſuis. Hinc tamen non infertur, Evam non peccaſſe contrà præceptum de ligno non comedendo, ſed ſolùm, quòd per ſuum peccatum generi humano non nocuit, ut Adam; ſatis autem conſtat ſuprà Evam, peccaſſe, ideò immorandum non eſt in id probando.

193 Verum quoque eſt, Circunciſionem locum habere in maſculis, non in fœminis, non hinc tamen infertur, mulierem non peccaſſe, nec cæteras ab Adam, & ab ea deſcendentes indigere remedio pro ſuis peccatis, ut ſalventur. Supponit hìc Adverſarius, Circunciſionem inſtitutam fuiſſe ad tollendum peccatum originale, ex quo, cum non conveniat fœminis, quæ carent præputio, & membro virili, ideò videntur non peccaſſe in Adamo, ac proindè non eſſe de ejus ſpecie. D. Aug. *tom. 5. lib. 16. cap. 27. tom. 2. de peccato orig. cap. 30. tom. 7. lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 11.* docet, Circunciſionem fuiſſe inſtitutam ad tollendum peccatum originale, quem ſequitur *Scotus in* 194 *4. diſt. 1. q. 6.* quem pro ſe citat noviſſimè acutiſſimus Franciſcani Ordinis Conventualium Scotiſta, Laurentius Brancatus *diſp. 5. de Sacram. art. 1. num. 5. ex D. Gregorio lib. 4. Moral. cap. 2.* ubi alios refert. Contrariam opinionem docent alii Sancti Patres, Circunciſionem à Deo inſtitutam, non ad delendum peccatum originale, ſed ad diſtinguendum populum Dei ab aliis nationibus. Vide præcitatos, & Becanum de Sacrament. *capit. 3. quæſt. 11.* ubi ſequitur hanc poſteriorem. Sed quicquid ſit de his oppoſitis ſententiis, illis nequaquàm obſtantibus, præſertim priore; dato enim, quòd Circunciſio deleret in lege veteri pecca-

tum originale remedium pro ſolis maſculis, adhuc noſter Adverſarius nihil probat contra veritatem, quòd ſcilicèt mulieres non peccarint in peccato Adami, & Evam paritèr non peccaſſe, quia Deus loco circuncitionis mulieribus providit de alio rimedio.

195 Mulieribus ergò, quæ ſunt incapaces circuncitionis, providit de alio remedio poſt lapſum Adami, nam Deus ſemper providit hominibus utriuſque ſexus de remediis neceſſariis ad ſalutem; nunquàm enim dereliquit homines, quos ſalvare vult omnes, qui volunt ſalvari, ut dicunt omnes Sancti Patres, quotum auctoritate Scotus *in 4. diſt. 2. q. 7.* inquit: *Sequitur, quòd tempore illius legis naturæ erat à Deo inſtitutum aliquod remedium, vel ſignum certum, & efficax deletionis originalis peccati.* S Gregorius 4. Moral. cap 2. ait, Sacramentum pro parvulis in lege naturæ fuiſſe ſenſibile, nimirùm externam fidei proteſtationem illis à parentibus applicatam, tàm maſculis, quàm fœminis, ut docent omnes Theologi cum Magiſtro *in 4. diſt. 1. in tit. De viris &c. & de fœminis*, ibi: *Mulieres verò per fidem, & operationem bonam, vel ſuam, ſi adultæ erant, vel parentum, ſi parvulæ.* Juſtinus apud Brancatum diſp. 5. num. 25. ſic ait: *Ex eo liquet intelligere, cum fœmineum genus carnalem circuncifionem aſſumere non queat, ſatis ex eo apparet, eam datam eſſe in ſignum, non ad juſtitiam, quicquid enim ad juſtitiam, & virtutem pertinet, etiam fæminis Deus dedit*: Hoc poſtremum facit pro me, & quo ad hoc ſequitur ibidem Brançatus, cum cæteris catholicis, pro fœminis adhibitum fuiſſe antiquum remedium, quod etiam in uſu erat pro maſculis, quandò non poterant circuncidi. Faber in 4. *diſp. 3. num. 6.* dicit, remedium pro maſculis, ad delendum originale peccatum, fuiſſe circuncifionem, pro fœminis fuiſſe aliud, quod erat utriſque commune, ac proindè maſculis ante octavum diem in periculo mortis exiſtentibus. *Averſa de Sacrament. quæſt. 70. ſection. 2. §. Deindè reſpectu. Tatar. in 4 diſtinction. 1. quæſt. 7. §. Reſpondetur, quòd*, ibi: *Præſentatio enim fuit pro mulieribus ad delendum peccatum originale loco circuncifionis. Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 34. §. Quinta ſententia, in fine. Paſqual. diſput. 66. numer. 19. Suarez de Sacrament. diſp. 5. §. Rurſus.* Patet ergò ex his mulieribus proviſum eſſe de remedio pro deletione peccati originalis, quod & ipſæ, ut filiæ Adam, & de ſpecie hominis contraxerunt.

Dicit ex Circuncifione data ſolis maſculis, qui in Adam peccarunt, Deum judicaſſe puniendum eſſe maſculum in ſuo ſexu tantùm, in quo pecca-
196 vit; Supponit ergò Adverſarius, Circuncitionem præceptam fuiſſe in pœnam, & non in remedium, contrà veritatem Sacræ Scripturæ, de qua dicitur in ejus inſtitutione. Geneſi 17. 10. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te, circuncidetur ex vobis omne maſculinum, & circuncidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in*

ſignum

ſignum fœderis inter me, & vos. Pactum ergò eſt inter Deum, & homines deſcendentes ab Abraham; ergò pœna non eſt, ſed ſignum diſtinguens Hebræos à Gentibus, tamquàm populum Dei electum, & ſpecialitèr dilectum; non ergò pœnam reſpicit, quæ odioſa eſt. Præterea eſt ad delendam culpam, ac proindè in favorem animarum, ac proindè retorquendum non eſt in pœnam, & odium. Puer Jeſus circuncidìtur, & tamen nullam merebatur pœnam, quia nullam contraxerat culpam, ſe ſubjecit legi, quia filius Abrahæ erat. Paulus ad Roman. 4. 11. *Et ſignum accepit Circuncisionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.* Non fuit ergò ſignum pœnæ, ſed fidei, quam habuit Abraham erga Deum, & Chriſtum in carne venturum.

Demùm innixus ſuo falſo fundamento, quòd Eva non peccavit, infert, quòd nec mulieres peccare poſſunt, quia deſcendentes ab Adam non peccarent, ſi ipſe non peccaſſet. Verum igitùr eſt, quòd uterque peccavit, & poſteri eorum ſunt rei peccato originali, non ex Eva, ſed ex Adamo, qui tantùm habebat debitum conſervandi nobis juſtitiam originalem, ut probatum fuit ſuprà *ſub num.* 192. Undè Eva non peccante, nullum contraxiſſent originale, ut omnes docent loco citato. Adamo verò non peccante, licèt non contraxiſſent originale ejus poſteri, quia ab eo tantùm derivat, undè nati eſſent in juſtitia originali, ſecundùm omnes cùm *D. Thoma par.* 1. *q.* 100. *art.* 1. quia fuit donum
197 naturæ, non perſonæ, tamen potuiſſent ipſi peccare, cum non fuiſſent confirmati in gratia, ex eodem *D. Thoma par.* 1. *q.* 100. *art.* 2. cum ſuis Commentatoribus.

198 Trigeſimo primò, deducit ex ſuis erroribus alios, proſequendo igitùr ait, ex præmiſſis intelligi, omnia peccata fœminarum eſſe ſimilia peccatis beſtiarum. Nec quis mihi dicat, inquit, Magdalenam non habuiſſe ſimilia peccata, quia non fuiſſet vexata à dœmone, cum ſciatur, dœmones affligere porcos, qui non erant capaces gravium peccatorum. Et ad hunc finem dixit Apoſtolus; per unum hominem introductum fuit peccatum, intelligendo ſolùm Adamum. Eva è contrà non peccavit, & ideò non indiguit mediatore, ſed potiùs à femine ſuo non infecto à peccato, debuit homo naſci Mediator, qui eſſet ſinè peccato, ut illa. Et reverà apud nullum Scriptorem legitur, qui loquatur de damnatione alicujus fœminæ, quod eſt ſignum manifeſtum non eſſe cauſam aliquam in ea damnationis, hoc eſt, nullum eſſe peccatum.

199 Contrà eſt, jam ex ſupradictis probatum eſt, peccata mulierum eſſe ejuſdem ſpecie, quæ committuntur à maſculis, nam hominis utriuſque ſexus peccatum in eo conſiſtit, ut ſit voluntaria legis traſgreſſio; certũ autem eſt mulierem non ſecùs ac virum, dici peccare propriè, cum tranſgreditur Dei legem voluntariè, hoc eſt, violat Dei præ-

 ceptum

ceptum ratione advertente, à qua tranſgreſſione poterat ſe abſtinere ſi volviſſet; habet enim mulier voluntatē indifferentem ad agendum, & non agendum, ſicuti homo maſculus. Ejus ergò peccatum eſt hominis peccatum, non beſtiarum, neque porcorum, qui ſunt incapaces peccati propriè accepti, quod procedit à voluntate avertente ſe à ſummo bono, & convertente ſe ad malum, derelinquendo creatorem, & acce-
200 dendo ad creaturam. Beſtiæ non ità faciunt, quia carent voluntate, & ratione, nec præceptis ſubjiciuntur, quia horum omnium ſunt incapaces. Veritas autem, & experientia docent in mulieribus eſſe potentias rationis, & voluntatis, propter quas poſſunt peccare, & non peccare, ideò earum peccatum ſimile eſt peccato maſculorum, & ejuſdem ſpeciei cum peccato illorum.

201 Magdalena vexabatur à dœmone, quia habebat peccata ſimilia peccatis hominum, nam ex permiſſione Dei dœmones torquent homines propter eorum peccata; obſident enim eorum corpora in pœnam ſuorum peccatorum, undè Beda contrà Julianum aſſerentem, omnes naſci abſque contagione peccati, loquens de puero, quem Dominus à dœmone liberavit Marci 9. 16. ſubdit: *Quid enim habuit iſte puer, ut ab infantia dœmonio vexaretur acerbiſſimo, ſi nullo originalis peccati vinculo tenebatur? quia conſtat, illum adhuc proprium non habere potuiſſe peccatum?* Deus enim in pœnam peccatorum, permittit vexationem dęmonum contrà homines utriuſque ſexus, ut patet de hoc puero, & multis aliis apud Evangeliſtas. Magdalenā ergò vexata fuit à ſeptem dœmonibus propter ſua peccata, quæ erant ejuſdem ſpeciei cum peccatis hominum, qui vexabantur à ſpiritibus immundis.

202 Miſit autem Chriſtus ſpiritus immundos in porcos, quia ità petierunt à Chriſto, diſcedentes à corporibus duorum hominum, Matth. 8. *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos*. S. Chryſoſt. hìc ait ideò miſſos fuiſſe in porcos, *ut diſcant omnes, quoniam neque adverſus porcos audent, niſi ipſe conceſſerit*. Liberavit Chriſtus illos duos homines, non curavit de ſuffocatione porcorum, quorum interitus erat in ejus temporali poteſtate, & vitam tàm corporalem, quàm ſpiritualem animæ conſervavit illis hominibus, quos ad imaginem ſuam craverat; indè hæreticus quicquam pro ſe colligere non poteſt, quia dœmones non miſit in corpora porcorum propter aliquod eorum peccatum, quod nullum habebant, ſed ut demonſtraret providentiam magnam, quam habet de hominibus, ut dicit ibidem Chryſoſtomus

Verba Apoſtoli; *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*. Jam ſuprà ſub *num.* 92. explicata ſunt, cur per Adam, & non per Evam peccatum non intravit in mundum, cum ipſa peccaverit, ex probatis ſub *num.* 93. 94. contrà Adverſarium.

203 Falſum quoque eſt, quòd mulier non egeat Mediatore, quo indiget uterque homo maſculus, & fœmina, ut clarè colligitur ex *Epiſt. ad Galat. c.* 3. 20. *Mediator autem unius non eſt*, cum ſit tertius inter duo, ſcilicèt Chriſtus inter Deum, & hominem; omnes

omnes enim ſumus filii Dei per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quicunque enim in Chriſto baptizantur, Chriſtum induunt, ut ibidem dicit Apoſtolus, & ſubdit: *Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos eſtis unum in Chriſto Jeſu*, qui eſt mediator non ſolùm hominum, verùm etiam fœminarum, ut hic dicitur, & *in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 2.5. Unus enim Deus, unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; ergò etiam pro mulieribus, undè alloquendo ibi viros, ac mulieres exhortatur utrunque ſexum ad orationem, & alia bona opera, ut conſequantur redemptionem Mediatoris.

204 Demùm perſiſtendo in ſuo errore, quòd fœminæ non peccant, concludit, ſe apud aliquem Scriptorem non inveniſſe, aliquam mulierem condemnatam eſſe. Inimicus veritatis non legit librum Levitici, ubi mulieres peccatrices condemnantur, præſertim cap.20. 10. *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, morte moriantur & mæchus, & adultera*. num. 16. *Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficientur cum eo*. Lege totum caput, & ſequens, ubi invenies condemnationem mortis contrà fœminas peccatrices. Suſanna uxor Joachim, uti adultera, condemnata fuit ad mortem, licèt poſtmodùm inventa fuerit innocens, & à morte erepta, ut legitur *Daniel. cap. 13*. Hæc ſufficiant contrà hæreticum mendacem.

205 Trigeſimo ſecundò, probat ſuum errorem. Eva reverà dixit: Deus prohibuit, ne tangeremus. Sed id dicendo, falſum proferebat, quia Deus non prohibuit mulieri, ſed homini, nec prohibuit tangere, ſed manducare, undè ſtultè adjunxit: Ne fortè moriamur. Et qualem habebat occaſionem Eva dubitandi, ponendo eam particulam *Fortè*, ſi certò ipſa ſciebat eſſe ei prohibitum manducare pomum. Quare & ſerpens reſpondit, non morieris certò, quaſi diceret: Quomodò potes tu mori, dum non obligaris præcepto, quod tibi datum non fuit. Factum id demonſtrat; nam Eva poſtquàm manducavit pomum, non eſt mortua, nec oculi ejus ſunt aperti, niſi poſtquàm Adam comedit pomum. Quare dicunt iſti; Eva punita fuit à Deo, ne miremini, quia caſtigavit etiam ſerpentem, qui tamen nullum receperat præceptum, nec homo erat. Imò nego, Evam fuiſſe punitam, quia quomodò poteſt eſſe ſupplicium, & pœna parere filios cum dolore, ſi Evam conſtrinxit ad pariendum, antequàm videret arborem in Paradiſo. Nec pœna eſt parere cum dolore, cum omnia animalia irrationabilia parturiant cum dolore, & tamen non peccarunt.

206 Contrà eſt, quia ſub *num. 185.* probatum fuit, utrique prohibitionem de non comedendo de ligno, factam fuiſſe. Nec aliqua vis facienda eſt inter tangere, & comedere, quia per tactum pervenitur ad manducationem interdictam, undè legiſperiti dicunt, quòd quandò prohibetur aliquid, intelligitur prohibitum omne illud, per quod perveniri poteſt ad illud prohibitum, *l. Oratio ff. de ſponſal.*

de ſponſal. l. Pupillus §. ſed ſi per ff. de auctor. tat. certum autem eſt, quòd ſine tactu non contingit manducatio, undè in verbis non eſt facienda vis, dum convenimus in facto rei.

207 Eva ſub dubio ponens, quod certum erat, nempè, *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris*, ſe mendacem oſtendit, reſſpondendo ſerpenti: *Ne fortè moriamur*, dubium ei ſerpens ſuſtulit: *Nequaquàm morte moriemini*. Hæreticus ex his ſumit rationem ſuam, ut alter Eva ſequendo conſilium ſerpentis decipitur, interpræcando *Nequaquàm morieris*, quia non obligaris præcepto, cum tibi datum non fuerit? Patet autem id falſum eſſe, quia Evæ præceptum datum fuit, ſicut Adamo, ut ex numero citato. Quòd autem Eva fuerit decepta, & ſeducta à Diabolo, teſtatur Apoſtolus Epiſt. 1. ad Timoth. 2. 14. *Mulier ſeducta in prævaricatione fuit*. Eva ergò decepta fuit à ſerpenre, quia induxit eam ad comedendum de pomo à Deo ſibi vetito, certificando eam, quòd non moreretur. S. Auguſt. lib. 14. de civit. Dei cap. 11. inquit: *Mulier ſeducta eſt, niſi quia illa, quod ei ſerpens locutus eſt, tamquàm verum eſſet, accepit, ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideò minus reus, ſed ſciens, prudenſque peccavit*. Commune fuit utrique peccatum ex communi præcepto de non comedendo de pomo; ideò exempta à delicto non fuit Eva contrà Adverſarium. In textu error eſt ibi: *Mentre non ſei punto obligata al peccato, cioè al precetto, che non è ſtato dato à te*.

Dicit inimicus veritatis, quòd Eva poſt comeſtionem non eſt mortua, nec apervit oculos, niſi poſtquàm Adam manducavit. Ignorat, vel diſſimulat, quod ſcit, duplex ſcilicèt mortis genus dari,
208 animæ ſcilicèt, quæ tunc moritur morte ſpirituali, cum peccat, amittendo gratiam Dei, & corporis, cum nimirùm anima ipſa ſine ſui corruptione, cum ſit immortalis, ſeparatur à corpore, à quo tamquàm à carcere liberatur. Eva, & Adamus poſt comeſtionem, peccato perpetrato, unuſquiſque per propriam comeſtionem, ſtatim mortui ſunt morte ſpirituali animæ, quia ambo juſtitiam originalem, gratiam, & ſanctitatem perdiderunt per eorum propria peccata; tunc verò non mortui ſunt morte corporali, ut intelligendus eſt Adverſarius, quia vixerunt ambo, & pervenerunt uſque ad annum 930. vitæ ſuæ Adam, ut dicitur *Geneſ. cap.* 5. 5.

209 Deus autem utranque mortem animæ, & corporis Adamo, & Evæ in ſeipſis, & poſteris comminatus fuerat, comedentibus de ligno, ut plerique Sancti Patres cum D. Gregorio *lib.* 5. *Epiſt.* 14. loquentes de utraque morte eis à Deo comminata contrà Pelagianos, qui locum S. Scripturæ intelligebant de ſola morte animæ, contrà quos eſt *D. Auguſt. tom.* 3. *lib.* 6. *de Geneſi ad liter. cap.* 22. *& lib.* 1. *de peccatorum meritis*
210 *cap.* 2. Immortalitas autem in primis parentibus fuit ſupernaturalis, non naturalis, ità Scholaſtici cum *D. Auguſt. cit. lib.* 6. *cap.* 25. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris*. Quoniam autem comedit de ligno, mortalis factus eſt in pœnam peccati, morte non

ſolùm

ſolùm corporis, ſed etiam animæ. Chriſtus hominem reſtituit ad immortalitatem animæ, non verò corporis, juxtà illud Apoſtoli Rom. 8. *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem.* Ambo igitùr tunc ſunt mortui morte animæ contrà Adverſarium. Pari autem tempore eorum oculi ſunt aperti, quia pari præcepto tenebantur, erant una caro, par debebat eſſe oculorum aperitio, ne Eva, quæ minùs peccavit, videretur eſſe major in peccato, quæ non ſuſtinebat pondus totius generis humani, ſicut Adam, qui omnibus poſteris, & Evæ ipſi, per originale peccatum, omnibus aperuit oculos.

211 Serpentem Dominus caſtigavit, non quia peccaverat, cum in eo non cadat peccatum, ſed in deteſtationem peccati, quia fuerat inſtrumentum Evæ ad peccandum, ut ait Didamus apud Lipomanum *in cap. 3. Geneſ. Moyſes Barzepha lib. de Paradiſo par. 1. cap. 27.* & Ephrem refert, ea verba Geneſis dicta fuiſſe ad verum ſerpentem. *Perer. lib. 6. in Geneſ. de Serpente q. 4.* idem dicit quo ad ſenſum literalem, quoad myſticum verò, maledictum fuiſſe diabolum. Alii cum *S. Auguſt. tom. 1. lib. 2. in Geneſi contrà Manich. cap. 17. & 18. Beda in Examer. Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 18. Hugo de S. Victore in Annotat. in*

212 *Gen. cap. 3.* dicit: *Non ſerpens, ſed qui in ſerpente latebat, diabolus maledicitur, vocatur tamen nomine ejus, quia eum quaſi tunicam induerat. D. Thom. 2. 2. q. 165. art. 2. ad 4.* idem docet, quos pro ſe citat Carolus de Baucio in ſuo Tract. de Judicio univerſali, de operib. *ſex dier. Petit.* 51. Sivè ſerpentem, ſivè diabolum in ſerpente caſtigaverit Deus, nihil indè colligitur favore Adverſarii, quia pœna cujuslibet proportionata fuit eorum exceſſui, ſcilicèt aſtutiæ ſerpentis, peccato diaboli, &

213 peccato Evæ, quæ ſi non peccaſſet, filios ſine dolore peperiſſet, ut docet *D. Aug. tom. 5. lib. 14. de civit. Dei cap. 21. & ſeq. D. Thom. 2. 2. q. 164. art. 2. ad 1.*

Quòd ait, cætera animalia parere cum dolore, ſicut Eva, illa autem non peccarunt, ideò nec in pœnam hoc habent, conſequentèr nec Eva id habuit in pœnam, ideò non peccavit. Eſt hoc ejus argumentum nullius momenti,

214 quia animalia quoque, propter peccatum hominis, punita fuerunt, nam propter illum ſunt in mundo; undè S. Ambroſ. de Noe, & Arca cap. 4. relatus pro ſecundis Lect. Dominicæ Sexageſimæ Lect. V. ait: *Ab homine, inquit, uſque ad pecus, & à reptilibus uſque ad volatilia delebo: Quid læſerant irrationabilia? ſed quia propter hominem illa facta erant, eo utique deleto, propter quem facta ſunt, conſequens erat, ut etiam illa delerentur, quia non erat, qui his uteretur.* Dominus punivit primos parentes, quia peccaverant, caſtigavit quoque ſerpentem, cum cæteris animantibus, cum quibus quodam modo fuit inſtrumentum ad peccandum primis parentibus. Patet ergò ex his Evam parere cum dolore, eſſe eidem inflictum in pœnam ſui peccati, quæ pœna deindè communicata fuit cæteris animantibus in deteſtationem peccati originalis.

Tri-

215 Trigeſimo tertiò, proſequitur dicendo: Si volumus obſervare Scripturas, mulieres ferè ſemper fuerunt benedictæ, quæ malè operatæ eſſent, & propter hoc merverunt laudem, & æſtimationem. Laudatur Rachel, quia patrem, qui quærebat idola, decepit pulchertima inventione. Laudatur Rebecca, quia fraudulentèr fecit, ut Jacob eriperet benedictionem à patre. Raab meretrix decepit eos, qui quærebant exploratores Joſve, & titulum juſtæ quæſivit. Exivit Jael, & occurrit Siſaræ, ei dicendo: Venis ad me Domine, & petendo aquam, ei lac dedit, & in lecto abſcondit, cui dormienti Jael infixit clavum in caput, & illum occidit, qui ejus fidei ſe crediderat. Et pro tàm gravi proditione dicit Scriptura: Benedicta Jael inter mulieres, & erat benedicta in ſuo tabernaculo. Quid dicam de Judith, traxit Holofernem mille blanditiis, & caput ei abſtulit, & tamen benedicitur, laudatur, & extollitur à Scriptura, adeò quòd magis æſtimatur malitia mulierum, quàm bonitas hominum.

216 Contrà eſt, quia ſi mulieres, de quibus Adverſarius loquitur, fuerunt à Domino benedictæ, & laudatæ, ſignum eſt, quòd erant de ſpecie hominum; laus enim, & benedictio datur ſolis creaturis intellectualibus; facit ergò pro nobis argumentum contrà hæreticum. Hæreticum autem eſt dicere, Deum benedicere, & laudare fœminas propter eorum mala opera, quia id eſt, approbare earum peccata, Deus autem non eſt auctor, nec approbator peccati, Eccli 15. 12. *Non dicas: Deus me implanavit: Non enim neceſſarii ſunt ei homines impii.* Jacob 1. 13. *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat.* Deus igitùr non eſt malorum culpæ author.

217 Rachel uxor Jacob nullum fecit malum, neque legitur in Scriptura, quòd benedicta fuerit à Domino; legitur tantùm *Gen* 31. 19. quòd furata fuit idola patris ſui, neque ea reſtituit, ſed Jacob antè mortem ejus illa abjecit de domo ſua *cap.* 35. 2. de quibus *S. Auguſt. tom.* 10. *ſerm.* 89 inquit: *Lia ergò ſignificat illam plebem, quæ de Judæis juncta eſt Christo; Rachel verò Eccleſiæ, idest, omnium gentium typum geſſit; & ideò Lia non eſt furata idola patris ſui, ſed Rachel, quia poſt adventum Christi non uſquequaque Sinagoga idolis ſerviſſe cognoſcitur, ſicut de Eccleſia Gentium manifeſtiſſimè comprobatur.* Nullum ergò Rachel commiſit peccatum, dum ex diſpenſatione Domini, per oblationem idolorum ſignificavit populum Gentilium, qui idolis ſerviebant, converſionem ad fidem, undè & & Jacob domum ſuam ex illis idolis expurgavit. S. Joan. Chryſoſtom. hanc Hiſtoriam explicat *Homil.* 57. *in cap.* 32. *Geneſ.* & Jacobum cum Rachele uxore ſua vocat juſtos; non fuit ergò furtum formale, & peccaminoſum.

218 Rebecca nullum fecit peccatũ conſulendo Jacob, ut patri provideret de prandio, ut ab eo benediceretur ſub nomine Eſau, quia id fuit myſterium ex diſpenſatione divina, ſicut non peccavit Jacob fingendo ſe Eſau, cui pater putabat benedicere, qui reverà benedixit Jacob, ut legitur *Geneſ.* 27. Neuter ergò illorum,

nec

nec mater, nec filius mendaces fuerunt, ut dicit de Jacob, ac conſequentèr de Rebecca matre ejus, D. Auguſt. tom. 4. lib. de Mendacio cap. 10. *Jacob autem, quod matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, ſi diligentèr, & fidelitèr attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium.* Ea autem explicantur per metaphoram, quæ omne excludunt mendacium. Lege ibi D. Auguſtinum rem fusè explicantem. Meritò igitùr Rebecca laudatur, quia ex divina inſpiratione filium Jacob conſulvit ad ſerviendum patri de cibariis, ut benedictionem ſibi eriperet contrà Eſau, cujus ſe fingebat.

219 Rahab Joſue 6. 17. ſalvatur, & commendatur, non quia erat meretrix, ſed quia hoſpitio recepit, & occultavit exploratores, quos Joſue miſerat contra Jericho urbem captam, & anatematizatam, excepta hac meretrice, illis verbis: *Sitque civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt, ſola Rabab meretrix vivat cum univerſis, qui cum ea in domo ſunt.* Reddit textus cauſam ejus ſalutis, *Abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Rex enim Jericho quærebat exploratores, quos volebat perdere; Unde D. Aug. tom. 4. lib. contra Mendaciũ cap. 15. loquens de obſtetricibus, & Rahab meretrice, inquit: *Sed quod ſcriptum eſt, benè Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Rabab Jerichontina meretrice, non ideò factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaq; in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Quia igitur excepit exploratores nomine Joſue ſervi Dei, & in eis uſa fuit humanitatis beneficium, ſalvata fuit, omnibus perditis Jerichontinis; juſta ergo fuit in occultatione exploratorum, non verò in meretricio. Paulus ad Hebr. 11. 31. commendat eam à fide: *Fide Rabab meretrix non periit cum incredulis*, Jacobi 2. 25. *Similiter & Rabab meretrix, nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via ejiciens.* Non ergo ex malis operibus, ſed ex bonis Rahab commendatur, & ab incredulis, quia credebat, ſalvatur.

220 Jahel uxor Haber Cinæi occultavit quidem Siſaram inimicum Dei, à quo fuerat perterritus, fugientem bellatores populi Iſrael, & eum occidit, in defenſionem populi Dei, ut legitur Judicum 4. à num. 5. unde Debbora, & Barac cecinerunt hymnum in honorem Jahel, benedicentes Dominum, de qua ſub num. 24. dicitur: *Benedicta inter mulieres Jabel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.* Et concludit Canticum: *Sic pereant omnes inimici tui, Domine.* Jahel ergò nullum malum fecit, ſed, Deo volente, liberavit ſuos ab inimicis Domini.

221 Judith præcidit caput Holophernis, ut liberaret populum Iſrael, ne incideret in ſubjectionem Nabuchodonoſor Regis, qui ſe fecerat Deum, & cogebat omnes ad adorandum ſe, quam impietatem Judith, Deo authore, vindicavit truncatione capitis Holophernis, ne Jeruſalem ejus imperio ſubjiceretur, & cogeretur adorare idola, ut legitur in libro ejus. Meritò igitùr Judith laudatur, & extollitur in ejus libro, non quòd fecerit malum in con-

ſpectu Domini, ſed quia liberavit ſe à concupiſcentia Holophernis, & populum à ſubjectione, & idolatria Regis Nabuchodonoſor. Laudatur *à S. Auguſt. tom.* 10. *duobus ſerm.* 228. *&* 229. Supradictæ ergò mulieres à Domino remuneratæ fuerunt, & benedictæ, quia benè ſe geſſerunt pro populo Dei, & non propter mala opera, ut falſò docet hæreticus iſte.

222 Trigeſimo quartò, variis exemplis proſequitur fœminas, dicendo, filias Loth excuſatas fuiſſe ab inceſtu paterno, non verò patrem ab ebrietate cum ſua ſucceſſione expulſa ab Eccleſia Dei. Inceſtuoſa Thamar excuſatur, & prædicatur juſtior Patriarcha Juda, & cum inceſtu deceptorio fit digna propagare lineam Salvatoris. Paritèr Chriſtus abſolvit mulierem deprehenſam in adulterio, non permittendo ejus punitionem. Leges imperiales jubent, mulieres deprehenſæ in adulterio ne morte puniantur, nec propter alia delicta carcerentur Quid igitùr ſignificat id, niſi quòd peccata mulierum non ſunt peccata? Undè convivæ, ut dicit S Lucas, admirati ſunt, audientes Chriſtum remittere peccata mulieri, quæ nullum habebat. Nec Magdalena ſupplicabat pro remiſſione peccatorum, ſed pro liberatione à dœmonibus, undè ei fuerunt remiſſa peccata non ad eum finem, ut conſequeretur vitam æternam, ſed ut dœmones ab ea recederent. Quis non videt diverſum finem in remiſſione peccatorum hominum, ac fœminarum? Addo, quòd Chriſtus docuit, ſolùm Apoſtolos orationem Dominicam, qui erant homines; ergò homines tantùm tenentur dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, non illa mulierum.

Contrà eſt, quia pro tuo libito extorques ſenſum Scripturarum, contrà earum veritatem intentam à Spiritu Sancto, & contrà communem Sanctorum Patrum interpretationem, ut conſtat in ſequentibus.

223 De inceſtu, & inebriatione Loth, Gen. 19. 31. habetur: *Dixitque major ad minorem: Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos, juxtà morem univerſæ terræ, veni inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, ut ſervare poſſimus ex patre noſtro ſemen.* Finis eſt bonus, conſervatio ſeminis, & propagatio generis, ſed medium eſt malum, quia natura abhorret commixtionẽ carnalem inter patrem, & filias. Quare filiæ Loth non excuſantur à peccato inceſtus, quia non ſunt facienda mala, ut indè eveniant bona, de peccato inebriationis Loth, qui excuſatur ab inceſtu, non verò ejus filiæ, *D. Aug. tom. 6. lib.* 22. *contrà Fauſtum cap.* 42. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 150. *art.* 4. *Gloſ. in cap. Inebriaverunt* 9. 15. *q.* 1. ait, Loth non peccaſſe, quia credebat ſe cum uxore coire. Peccaverunt ergò filiæ Loth, ſicuti peccant homines, ac proindè ſunt de ſpecie hominis. Generatio hæc filia-

224 rum Loth ſignificat mala opera Moabitarum, quæ fuit gens originem trahens à filia majore, Loth, propter ejus peccatum. *Vide D. Auguſt. tom. 8. in Pſal.* 69.

225 De inceſtu Thamar, quæ concubuit cum Juda, cui erat nurus, *Gen.* 38. *à num.* 15. ea non fuit

fuit excuſata ab inceſtu, licèt minùs culpabilis quàm Judas, ut ipſe dixit: *Juſtior me eſt, quia non tradidi eam Sela filio meo*. D. Auguſt. tom. 6. lib 22. contrà Fauſtum cap. 61. inquit: *Denique cum juſſu ejus duceretur ad mortem, & virgam, monile, atque annulum protuliſſet, dicens ab eo ſe gravidatam, cujus pignora illa eſſent, ubi ea, quæ dederat, ille cognovit, iſtam magis, quàm ſe juſtificatam eſſe reſpondit, quod ei filium ſuum maritum conjungere noluiſſet. In qua ſententia, non eam juſtificatam, ſed eam magis, quàm ſe juſtificatam dicens, nec ipſam laudavit, ſed in ſui comparatione præpoſuit, deſiderium ſcilicèt, babendæ prolis, quo ducta illa, ſe ſocero ſuppoſuerat, minùs culpans, quam libidinoſi concubitus ardorem, quo ipſe velut ad meretricem victus intraverat*. Conſtat ergò ex his, cur Judas vocat eam juſtiorem ſe. In genealogia verò Salvatoris recenſetur, non ex ſuo merito, ſed ut detur intelligi, Chriſtum eſſe incarnatum, ut redimeret etiam peccatores, & meretrices, non tantùm homines.

226 Adulteram, de qua Joannes cap. 8. *Chriſtus nec abſolvit, nec condemnavit*: *Mulier ubi ſunt, qui te accuſabant? Nemo te condemnavit? quæ dixit: Nemo Domine. Dixit ei Jeſus: Nec egò te condemnabo. Vade, & jam ampliùs noli peccare*. Eam igitùr non abſolvit, nec condemnavit, ſed præcepit ei, ne ampliùs peccaret, quod arguit eam eſſe de ſpecie hominum, & poſſe peccare, & eſſe dignam pœna, ſicut cæteri homines. Cur eam non condemnavit? Reſpondet Auguſtin. tom. 10. ſermone 47. de verbis Domini: *Non dixit: Non lapidetur, ne contrà legem dicere videretur; abſit autem ut diceret, lapidetur; venit enim non perdere, quod invenerat, ſed quærere, quod perierat*. Et pauló infrà: *Nec ego te condemnabo. Quid eſt Domine? Faves ergò peccatis? Non planè ità. Attende, quod ſequitur: Vade, deinceps jam noli peccare; ergò & Dominus damnavit, ſed peccatum, non hominem*. Habes cauſam, cur non mandavit eam lapidari, ne ſcilicèt periret; ſed ejus peccatum condemnavit, non *hominem*, ecce quomodò D. Auguſt. vocat hanc adulteram hominem.

227 Legibus Imperialibus olim adultera, ſicut adulter, gladio feriebatur ad mortem *l. Quamvis* 30. *C. Ad legem Jul. de Adulter.* Subſequens Authent. jubet detrudi adulteram in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, *Gloſ. V. Legitimum capit. Tuæ fraternitatis* 5. *de Procurat. Vide Clarum §. Adulterium, Farinac. de delictis carnis quæſt.* 140. *à numer.* 13. Puniebat ergò, & punit modò jus Cœſareum adulteras contrà hæreticum mendacem. Practica verò docet, mulieres mancipari carceribus.

228 Convivæ in domo Phariſæi Lucæ 7. *à numer.* 36. *ad* 50. non admirabantur, *ſed cæperunt dicere intrà ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Non admirabantur ſuper ejus poteſtate, quod eſſet magna,

 & di-

& divinâ, ſed murmurabant, & Chriſto negabant poteſtatem dimittendi peccata, dum vocabant illum blaſphemum, Matth. 9. 3. illos docuit; quia *filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*. Remiſit ergò Chriſtus peccata Magdalenæ, quæ verè peccaverat peccatis, quæ ſunt ejuſdem generis peccatorum, quæ à maſculis committuntur. Phariſæi ergò admirabantur, ſeù potius negabant Chriſto poteſtatem remittendi peccata, quæ etiam committuntur à fœminis. Magdalena igitùr, quia reverà peccatrix erat, ſupplicabat prò eorum remiſſione, non verò prò ejectione dæmonum, quæ jam exierant ab ejus corpore; non enim illi auſi fuiſſent accedere cum Magdalena ad pedes Domini, quia nimium illum timebant. Cum autem Chriſtus non ſecùs fœminis, ac maſculis remiſerit eorum peccata, in ordine ad vitam æternam, conſequens eſt dicere, eundem eſſe finem Chriſti reſpectu remiſſionis peccatorum, nimirùm vitam æternam, quam dat omnibus decedentibus ſine peccatis.

229 Chriſtus docuit Matth. 6. 9. Apoſtolos ſuos modum orandi, dicendo: *Pater noſter, qui es in cœlis*, & per eoſdem omnibus hominibus utriuſque ſexus. Licèt Lucæ 11. 2. dicatur ab Apoſtolis: *Doce nos orare*, quaſi oratio à Chriſto inventa ſit tantùm recitanda per ipſos, & non per alios; id enim omninò falſum eſt, quia Chriſtus Orationem Dominicam omnibus utriuſque ſexus fidelibus præſcripſit recitandam, ut docent omnes Sancti Patres; nam omnes ea indigent, cum Deus ſit Pater omnium hominum, etiam mulierum, quæ indigent pane ſivè cœleſti, ſivè terreſtri, & debent illæ dimittere debita, ſicut rogant Deum, ut illis propria dimittat: *S. Auguſt. tom. 2. epiſt.* 89. eam orationem dicit omnibus neceſſariam eſſe. *Omnibus enim neceſſaria eſt oratio Dominica*, quam etiam ipſis Arietibus gregis, ideſt, Apoſtolis ſuis Dominus *dedit*. Dixit *omnibus*; ergò etiam fœminis, quæ non exeluduntur ab univerſali dictione, quæ illas includit. D. Auguſt. eam exponit in pluribus locis, præſertim *tom.* 10. *homil.* 42. *per totam*, *Serm.* 28. *de Verbis Domini*. *Serm.* 126. *de Tempore*, & *Serm.* 182. *eod. Item tom* 2. *Epiſt.* 121. *cap.* 11. *tom.* 3. *in Enchirid. cap* 115. Quare concluditur non ſolùm homines maſculos, ſed etiam mulieres teneri dicere: *Dimitte nobis debita noſtra &c.*

230 Trigeſimo quintò, aliis argumentis probat ſuam opinionem. Legitur apud Sanctum Lucam, quòd nonnulli infantes delati fuerunt ad Chriſtum. Cum illi adhuc eſſent in faſciis generis communis, quia amplectuntur tàm maſculos, quàm fœminas, credibile eſt, non ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas. Nihilominùs Chriſtus dixit: *Sinite parvulos venire ad me*, *quia iſti ſunt patroni regni cœlorum*, hoc eſt, maſculi, & non fœminæ. Undè Apoſtoli prohibuerunt matribus, ne infantes in faſciis deferrent coram Chriſto, quia inter eos aderant fœminæ, quæ nulla-

nullatenùs ad Chriſtum pertinent.

232 Contrà eſt, quia non infantes in faſciis ligati, ſed parvuli, & pueri, qui per ſe incedere poterant, à matribus, & parentibus offerebantur Chriſto, ut legitur Matth. 19. 13. *Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Jeſus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum.* Idem dicunt Marcus cap. 10 13. Lucas 18. 15. *Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret &c. Sinite pueros venire ad me*; Ex illis verbis: *Sinite parvulos venire ad me*, manifeſtè conſtat, illos non fuiſſe infantes lactentes, & in faſciis ligatos, ut dixit perperàm hæreticus iſte; neque enim in faſciis conſtituti, ſuis pedibus, cum ſint ligati, per ſeipſos incedere poſſunt, ſicuti Chriſtus dixit: *Sinite parvulos venire ad me*. Erant ergò parvuli extrà faſcias, quos Chriſtus benedixit.

233 Cur autem diſcipuli increpabant eos, ne accederent ad Chriſtum? Reſpondet S. Hieronym. Non quia nollent, eis Salvatoris & manu, & voce benedici, ſed quòd nondùm habentes pleniſſimam fidem, putarent eum in ſimilitudinem aliorum hominum offerentium importunitate laſſari. Chryſoſt. in Homil. *Vel diſcipuli expellebant pueros cauſa dignitatis Chriſti*, apud Sanctum Thomam in Catena aurea ſuper dictum Evangelium Matthæi, Sanctus Ambroſius ab eodem relatus ſuper Lucam hic, ait: *Neque enim hoc invidiæ, aut in pueros mentis aſperitate faciebant, ſed ſedulæ virtutis obſequia Domino deferebant, ne comprimeretur a turbis.* Patet ex his cauſa prohibitionis per Apoſtolos factæ, ne pueri accederent ad Chriſtum, quæ eſt, quia putabant, pueros non habere eam fidem, qua accedebatur ad Chriſtum, aut ne ab illis moleſtaretur; non autem prohibitio provenit ab eo, quòd matres Chriſto offerebant infantes in faſciis ligatos, quia inter eos aderant fœminæ; id enim dicere eſt expreſsè contrà Sacram Scripturam, ut viſum fuit, quæ nominat parvulos, & pueros, qui per ſeipſos poſſunt incedere, & habent aliqualem uſum rationis, ut benedictionem recipere valeant, ex eorum præcedente aliquali diſpoſitione. Imò concedamus, matres obtuliſſe Chriſto infantes in faſciis, tàm mares, quàm fœminas, nonne Chriſtus ſciebat eorum ſexum, & quidem utrunque eſſe capacem benedictionis? Increpatio, & prohibitio ab Apoſtolis facta fuit, ne Chriſtus moleſtaretur, aut quia Apoſtoli judicabant, illos non indigere manuum impoſitione, ſed tantùm adultos, qui præter peccatum originale actualibus erant irretiti, quaſi dicentes Apoſtoli, Domine curam habe potiùs adultorum, qui peccatis opprimuntur, & non puerorum, qui ſunt innocentes.

234 Trigeſimo ſextò ait, Sadducæi à Chriſto requirebant, cujuſnam mariti in Reſurrectione

ne fuiſſet illa mulier, quæ habuerat ſeptem maritos. Chriſtus eis reſpondit: Erratis, quia ignorantes eſtis Scripturarum. Quare errant? Quia ſtultè credebant reſurrectionem mulierum, neſcientes Scripturas, dum in eis ne verbum quidem de ſalute earum. Inſuper dicit Chriſtus. In reſurrectione non contrahent matrimonium. Quare hoc? Quia nulla mulier erit in cœlo, ſed erunt ſicut Angeli Dei. Sed quales nunc ſunt Angeli? Certè omnes maſculi, non fœminæ. Homines igitùr ſolùm pertinent ad Cœlum, non fœminæ.

235 Contrà eſt, & profero textum Sacræ Scripturæ, quem nunquàm hæreticus ad verbum refert, imò neque locum citat, ut fallat lectorem ſuis mendaciis. Sanctus igitùr Matthæus capit. 22. à numer. 22. *Acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant autem apud nos ſeptem fratres, & primus, uxore ducta, defunctus eſt, & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo; ſimilitèr ſecundus, & tertius, uſque ad ſeptimum. Noviſſimè autem omnium, & mulier defuncta eſt. In reſurrectione ergò cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim habuerunt eam. Reſpondit Jeſus. Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. In Reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo*. Idem repetunt Marcus cap. 12. à numer. 18. Lucæ 5. 20. à num. 27. Duo dicit Chriſtus, dari mortuorum reſurrectionem contra ipſos Sadducæos, qui eam negabant, contrà quos illam probat, quia Deus dicitur eſſe Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, non eſt autem Deus mortuorum, ſed viventium; ergò cum ſit Deus ſolùm viventium, illi Patres reſurgere debent, ut Dominus ſit illorum Deus, & Deus viventium. Et ex hoc capite vocat eos ignorantes Scripturarum, quæ docent reſurrectionem mortuorum. Altera eſt reſponſio ad quæſitum, cujuſnam mariti debeat eſſe ea

236 uxor? Cum in Paradiſo, nec alibi ſit neceſſarius matrimonii uſus, poſt diem judicii, vocat Chriſtus Sadducæos errantes, & ignorantes Scripturas, docentes, poſt diem judicii, & in cœlo non habere locum matrimonium, ideò fruſtrà quæritur, cujuſnam mariti debeat eſſe illa mulier. Quare S. Chryſoſtom. ſuper Matthæum ità dicit: *Sapienter primùm arguit ſtultitiam eorum, quia non legebant, ſecundò ignorantiam, quia non cognoſcebant Deum, ex diligentia enim lectionis naſcitur ſcientia Dei, ignorantia autem negligentiæ filia eſt*. Sanct. Hieronym. inquit: *Propterea ergò errant, quia Scripturas neſciunt, & quia Scripturas neſciunt conſequentèr ignorant virtutem Dei*. Sadducæi ergò errabant, dum non crede-

credebant reſurrectionem tàm mulierum, quàm virorum, undè falſum eſt, quòd Chriſtus arguerit illos de ignorantia in eo, quod ſtultè credebant illi reſurrectionem mulierum; clarum enim eſt, Sadducæos negare ſimpliciter reſurrectionem, ut Chriſtus dicit in Evangelio, dum eis probat luculenter dari reſurrectionem ex virtute Dei, quæ eſt infinita, & ex eo, quod dicitur Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob non mortuorum, ſed viventium nunc ſecundùm animam, & etiam ſecundùm corpus poſt reſurrectionem; negabant autem Sàdducæi immortalitatem animæ, ut reſurrectionem de medio tollerent; contrà quos S. Hieron. ait: *Qui reſurrectionem corporum non credebant, & animam putabant interire cum corporibus.* Noſter Adverſarius ne diceretur de ſecta Sadducæorum, cum reverà de illis ſit, ex parte marium concedit reſurrectionem, quam negat fœminis, ſed impiè, & falſò, nam & hæ reſurgere habent, ut dicit locis citatis Chriſtus per illa verba: *In reſurre-*
237 *ctione enim neque nubent, neque nubentur*; primum verbum *Nubent* refertur ad maſculos; ſecundum *Nubentur*, refertur ad fœminas, ut explicat S. Hieronymus his verbis: *In hoc autem quod dicit: Neque nubent, neque nubentur, latina conſuetudo græco idiomati non reſpondet. Nubere enim apud latinos propriè dicuntur mulieres; ſed nos dictum ſimpliciter intelligamus, quòd nubere de viris, & nubi de mulieribus dictum ſit.* Conſtat ergò ex verbis Domini, mulieres etiam reſurgere, quæ dicuntur non nubi maribus, quia poſt reſurrectionem ceſſat matrimonium.

238 Ignorabant Sadducæi, quòd per mortem alterius conjugum matrimonium ſolvitur, ut docet *Paulus ad Rom.* 7. 2. *&* 1. *Corinth.* 7. 39. Undè alter conjugum ſuperſtes, cui vult, nubere poteſt: & ſi uxor defuncta reſurgat, non tenetur redire ad primum virum, ſed alium recipere poteſt, ex allegatis à Sebaſtiano Medices lib. *Mors omnia ſolvit* part. 2. num. 207. Fruſtrà ergò quærebant Sadducæi cujuſnam mariti eſſet uxor revicta, cum non amplius uxor ſit, ac proindè nulli debeatur. Meritò igitùr Chriſtus eos vocavit ignorantes.

Ratio igitùr, cur in reſurrectione non contrahetur matrimonium, non eſt, quia nulla mulier erit in cœlo, ut dicit iſte Sadducæus, ſed; ut dictum eſt, quia amplius non eſt opus matrimonio in alia vita; undè benè dicit ad rem noſtram Sanct. Chryſoſtom. hic: *In hoc quidem ſæculo, quia morimur, ideò naſcimur, quia naſcimur, ideò uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, naſcendo ſuppleat. Ibi autem moriendi neceſſitas tollitur, undè & naſcendi cauſa ſoluta eſt.* In reſurrectione completus eſt numerus hominum utriuſque ſexus, ideò deinceps neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei, in quibus ſcilicèt nulla datur generatio.

Ex eo autem, quòd homines in cœlo erunt ſicut Angeli Dei, delirat Adverſarius, dicendo, in cœlo non eſſe mulieres, quia ibi ſunt ſolùm

maſculi

maſculi, ſicut Angeli, qui ſunt ſolùm maſculi, & non fœminæ. Ridiculum enim eſt dicere, Angelos eſſe maſculos, cum in illis nullus detur ſexus, nec ætereogenitas, per quam cognoſcantur maſculi, & non fœminæ. Angeli igitùr genere grammaticali maſculino inflectuntur, ſed natura ſexu carent, quod eſt proprium animalium, & non cœleſtium Spirituum.

239 Homines in cœlo comparantur Angelis in eo, quòd ſicut inter illos non datur matrimonium, quia ſexus in illis non datur, nec egent propagatione, ità neque inter homines, ideſt, marem, & fœminam, ibidem dabitur matrimonium, licèt in cœlo remaneant cum utroque ſexu, ut docet veritas Chriſtiana cum S. Aug. tom. 5 lib. 22. de Civit. Dei cap. 17.

240 *Sed mihi melius videntur ſapere, qui utrunque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant.* Reſurgent ergò viri, & mulieres in propriis ſexibus, qui Angelis Dei aſſimilabuntur in eo, quòd ibi non erit uſus matrimonii, nec propagatio filiorum, quibus carent Angeli Dei.

241 Trigeſimo ſeptimò ait, Chriſtum propriæ matri dixiſſe: Mulier quid habeo tecum? Si igitùr non pertinet Chriſtus ad matrem, quę eum generavit, multò minùs ſpectat ad alias mulieres. Sed mihi opponunt, inquit, Chriſtum vocari filium hominis, & cum ſit certè filius Mariæ, ſequitur Mariam fuiſſe hominem. Sed concedamus argumentum, & dicamus, Mariam fuiſſe hominem, non natura, ſed gratia, ſicut Chriſtus ab Anabaptiſtis vocatur Deus non natura, ſed gratia. Et idcircò Angelus dixit: Ave Maria plena gratiæ, benedicta inter mulieres. Quare benedicta? quia fuit homo, & aliæ non. Deindè Maria juſtè appellari poteſt homo, & ipſa adimplevit ferè functiones hominis. Quòd etiam nunc pariant mulieres ſinè hominibus, quas libentèr vocabimus homines, & credemus de eorum ſpecie. Sed non poteſt inveniri majus argumentum primo. Quia ſi mihi conceditis filium eſſe Deū per gratiam ſolùm, quare mater quoque non erit homo per gratiam?

242 Contrà eſt, Maria reverà Chriſti mater fuit, & eam pro tali ſemper recognovit, ſervivit, & obedivit, Lucæ 2. 51. *Et erat ſubditus illis.* Undè S Baſilius in libro Relig. inquit: *Ab ipſa autem primæva ætate parentibus obediens, quemlibet laborem corporeum, humilitèr, & reverentèr ſuſtinuit.*

243 Verba Matthæi 12. 48. *Quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Chriſtus non rejecit matrem ſuam, nec dixit matrem ſuam ad eum non pertinere, ſed ſuæ matri comparavit omnes illos, tàm fœminas, quàm maſculos, qui obediunt Deo; nulli autem dubium eſt, etiam mulieres facere voluntatem Patris cœleſtis; ergò etiam iſtæ ſunt mater, & ſoror Chriſti Domini, ad eum ergò pertinent mulieres. S. Hieron. inquit: *Non ergò juxtà Manbionē, & Manichæum matrem negavit, ut natus de phātaſmate putaretur, ſed Apoſtolos cognationi prætulit*

tulit, ut & nos in comparatione dilectionis carni ſpiritum præferamus. S. Chryſoſt. *Neque autem dixit: Vade, dic ei, quoniam non eſt mater mea, ſed ad eum, qui nuntiaverat, extendit ſermonem.* Omnes ergò mulieres cum Sancta Matre Maria Virgine pertinent ad Chriſtum, contrà iſtum Manichæum.

244 Convictus argumento inexpugnabili, quòd Chriſtus eſt filius hominis, ideſt, Mariæ, quæ reverà eſt homo, quærit ſubterfugium diſtinctionis ridiculoſæ, dicendo, Mariam eſſe hominem per gratiam, non per naturam.

245 Probatur autem, quòd Maria fuit homo per naturam, non per gratiam; nam S. Auguſt. dicit: quòd Deus erat ſimul condens naturam hominis, & largiens gratiam; priùs enim intelligitur homo eſſe ſecundùm naturam, quàm ſecundùm gratiam, quæ ſequitur naturam conſtitutam in ſuo eſſe

246 naturali; ergò Maria à Deo condita fuit in eſse naturæ, cui Deus largitus fuit ſuam gratiam; fuit ergò priùs ſecundùm eſſe naturæ, quàm ſecundùm eſse gratiæ; non potuit ergò illius eſse ſubſtantiale eſse per gratiam, ſed per natu-

247 ram fuit homo. Deindè illud dicitur eſse tale per naturam, quod ei naturalitèr competit, & ſinè quo illud eſſe non poteſt, ſi eſt illi eſſentiale, atque dicitur eſſe in eodem ordine cum eo, quod conſtituit, & cauſæ illud producentes ſpectantur in eodem genere naturalitatis. Illud verò dicitur eſſe tale per gratiam, quod ei non competit naturalitèr, undè nec ei dicitur eſſe debitum, ac proindè ſinè illo poteſt eſſe, & prætereà dicitur eſſe in illo genere, & ordine cum producente diverſo ab illo, cui per gratiam communicatur. Certum autem eſt, quòd eſſe animal rationale, in quo conſiſtit eſſe ſubſtantiale, & naturale hominis, non eſt quid per gratiam homini datum, ſed eſt ei debitum ex natura rei, alitèr eſſe poſſet aliquis homo ſine eſſe animal rationale, quod eſt impoſſibile; ſi ergò Maria eſt animal rationale, quod eſt quid naturale, eſt homo per naturam, non per gratiam, ſine qua poteſt

248 eſſe perſona rationalis. Inſuper Deus reſpectu naturæ dicitur creator, reſpectu gratiæ dicitur redemptor; ſed Deus non ſolùm eſt Redemptor Mariæ redemptione præſervativa à peccato originali, ſed etiam creator; ergò Maria per naturam eſt homo à Deo creata, non per gratiam, quæ ſequitur ad ejus eſſe naturale. Demùm cæteri homines ſecundùm naturam, & non ſecundùm gratiam à Deo creantur; ergò & Maria.

249 Confirmat ſuum deliramentum cum errore Anabaptiſtarum, qui aſſerunt Chriſtum eſſe Deum non naturalitèr, ſed per gratiam, undè ex uno abſurdo non poteſt ſequi niſi aliud. Dicendum ergò eſt, & de fide tenendum, quòd Chriſtus non per gratiam, ſed per naturam eſt Deus, pro cujus intelligentia, & probatione.

250 Sciendum eſt, quòd Chriſtus triplicitèr ſpectari poteſt. Primò, ut eſt Verbum, & ſecunda perſona in divinis. Secundò, ut eſt hic homo. Tertiò, in quantum homo. Quovis ex his modis Chriſtus ſpectatus eſt Deus, & Dei Patris filius naturalis, per naturam genitus, non per gratiam productus. Primo quidem

modo talis eſt per generationem æternam; ſecundo verò modo filius Dei naturalis eſt per communicationem idiomatum; diximus enim, hic homo eſt Deus; eſt naturalis Dei filius, & eſt ſecunda perſona Trinitatis. Tertiò modo etiam ut homo eſt naturaliter Deus, & Dei filius; dicitur enim Lucæ 1. 35. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Ad Roman. 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum.* Si proprio non pepercit filio, ſignum eſt certum, quòd Chriſtus eſt ſecundùm naturam Deus, & filius Dei, non autem per gratiam. Ità omnes Theologi cum D. Thoma *par. 3. q. 23 art. 4.*

Adverſarius pro ſua probatione, quòd Maria ſit homo per gratiam, adducit verba Angeli Gabrielis: *Ave Maria gratia plena, benedicta inter mulieres.* Cur benedicta? Reſpondet, quia fuit homo, & non aliæ mulieres. Conſequentia irregularis, quomodo ex benedictione cognoſcitur rem benedictam eſſe hominem? cum
251 nomen benedictionis ex ore Dei procedat in omnes creaturas, ut legi poteſt in creatione mundi apud Geneſis librum cap. 1. & 2. in ſpecie de Adam, & Eva cap. 1. 28. *Benedixitque illis.* Ruth. 3. 10. *Benedicta es à Domino filia.* Judith. 13. 13. *Benedicta es tu filia à Domino.* Geneſ. 31. 55. *Laban. verò de nocte conſurgens oſculatus eſt filios, & filias ſuas, & benedixit illis.* Primò Reg. 2. 20. *Et benedixit Hæli Elcana, & uxori ejus.* Ibidem cap. 25. 33. Abigail benedicitur. *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad Sanguinem.* Hæc ſatis ad convincendum hunc veritatis exterminatorem. *Benedicta tu in mulieribus*,
252 dixit Angelus Lucæ 1. 29. *Benedicta tu inter mulieres*, S. Eliſabeth ibidem 42. Cur inter mulieres, & in mulieribus Maria mater Dei prædicatur benedicta, & non inter homines, non inter alia animantia, non inter arbores? Ea eſt ratio, quia etiam aliæ mulieres capaces ſunt benedictionis, ſed non tantæ, quantæ eſt Maria. Dyoniſius Carthuſ. hic. *Benedicta tu in mulieribus*, ideſt, præ omnibus amplius benedicta, quia magis electa, majoribus gratiæ donis referta. Ex his habes, argumentum Adverſarii retorqueri contra ipſum, quia dum Maria dicitur benedicta inter mulieres, non negatur aliis mulieribus benedictio, ſed magis probatur, eas eſſe capaces benedictionis, dum Maria aliis comparatur in exceſſu benedictionis. Tu dicis: *Quare benedicta? quia homo eſt, & non aliæ.* Sed jam probavimus, alias quoque mulieres benedici in Sacra Scriptura, ergò per te velis, nolis, hoc eodem tuo argumento, omnes mulieres probantur eſſe homines.

253 Maria, inquis, dicitur homo, quia adimplevit omnes functiones hominis. Ego dico, quòd Maria eſt homo, quia eſt animal rationale; participat enim cum hominibus maſculis eandem humanitatem. Quid eſt hoc adimplevit functiones hominis? Nullas ſiquidem, neque enim eas tu enumeras. Forſan per functiones hominis tu intelligis, quòd concepit Chriſtum Dei filium? Id agere non eſt hominis functio, ſed Dei operatio; nemo enim in Virgine operatus eſt, de qua natus

tus

tus eſt Chriſtus, ut dicit S. Auguſt. tom. 1. de Geneſi contra Manich. quia ut dicit S. Gregorius in lib. Regum, *quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, ſed ſancti Spiritus obumbratione*, ut ei dixit Angelus, Lucæ 1. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Maria ergò nullum hominis munus ſuſtinuit in conceptione Filii Dei, quem ex puriſſimis ejus ſanguinibus, virtute Altiſſimi obumbrante, concepit ut mulier Virgo, ſicut illum peperit, & educavit more aliarum fœminarum, quæ pariunt, & filios proprios lactant, & educant.

Vocat ergo iſte hæreticus matres ſine homine concipientes, & parientes, homines per gratiam, & functiones hominis, & quia non poteſt negare, unicam eſſe matrem, quæ concepit ſine homine, & nullam aliam dari poſſe mulierem ſic concipientem, ideò omnes alias excludit à ratione hominis. Iſte pervertit ordinem naturæ; nam ex propagatione per conjunctionem maris, & fœminæ, in qualibet ſpecie animalium, cognoſcitur naturaliter progenitores concipere, & generare fœ-
254 tum ſibi ſimilem in ſpecie; Leo enim cum Leæna generat ſibi ſimile in ſpecie, & non alterius ſpeciei, Canis, equus, ovis, bos &c. ſibi ſimile in ſpecie producunt: ergo & homo quidquid generat, homo eſt, ſive ſit maſculus, ſive fœmina, ex generatione ergò naturali cognoſcitur, cujuſnam ſpeciei ſit effectus genitus. Malè ergò Adverſarius noſter argumentum ſumit à ſupernaturali generatione, ſingulariſſima, & miraculoſa, ad inferendum Mariam eſſe de ſpecie hominis. Adde, quòd Mariæ natura, & humanitas nequaquam cognoſcitur, nec dicitur homo, nec homo eſt, per aliquid poſterius à ſe, multùm etiam diſtans à ſua conceptione paſſiva, & ab aliquo ſupernaturali, quod non pertinet ad conditionem naturæ, ſed à generatione naturali parentum ejus, qui fuerunt Joachim, & Anna, qui non potuerunt generare niſi hanc Virginem ſibi ſimilem in natura humana. Maria igitur eſt homo ſecundùm naturam, prout procedit à ſuis parentibus, non verò prout genuit Filium Dei ſine viri complexu.

Cognovit inefficaciam, & falſitatem hujus argumenti, & ideò dicit, ſiſtendum eſſe cum primo, quia ſi illi concedit, quòd Chriſtus ſit Deus per gratiam, concedendum eſt etiam, quòd Maria paritèr per gratiam ſit homo. Catholici autem neutrum concedunt, ut probatum eſt. Sed quam conſequentiam deducit iſte imperitus. Chriſtus eſt Deus per gratiam; ergò Maria eſt homo per gratiam: Non video connexionem, nam prior propoſitio eſt tota ſupernaturalis, & credibilis, ad cujus generationem ſingulariſſimam, & ſupernaturalem ſolus Deus cum Virgine concurrit. Poſterior verò tota naturalis eſt, & ex generatione parentum, quæ opus merè naturale perfecerunt, quomodo igitùr ex prima infertur ſecunda? Vulgatum enim illud juris eſt, quòd ex diverſis non ſit illatio. Et hæc ſatis, properemus ad alia.

255 Trigeſimo octavò, argumentatur ſic. Dum quædam mulier clamabat de Chriſto. *Beatus ven-*

venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Chriſtus eam reprehendit dicendo: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Apparet igitùr, quòd Chriſtus non vult tribuere beatitudinem mulieribus. Et ſi mater Chriſti non eſt beata, quem genuit, quomodò aliæ poterunt ſalvari?

256 Contrà eſt, quia verba Chriſti Domini, Lucæ 11.27. *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti*. Quæ reſpondit: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Perperàm & malè intellexit, ut ſolet, in aliis, Sacram Scripturam adulterando in ſuis ſenſibus. Verus autem ſenſus Scripturæ hujus eſt hic. Non ſolùm beatus eſt venter, qui me portavit, ſed etiam beati ſunt, & à fortiori, illi, qui audiunt verbum Dei, & faciunt

257 illud. Nam illa dictio *quinimò*, auget, & ampliat, idem ſignificat, quod *quin etiam*, ex allegatis à *Barboſa dict*. 321. ubi dicit, quòd ponitur aliquandò negativè, ſed hìc eum ſenſum habere non poteſt, quia verba poſteriora non adverſantur prioribus, cum ſint circà eandem beatitudinem. Lege Calepinum, qui eam dictionem explicat ſic *quin potiùs, imò verò, imò etiam*. Ampliat ergò, non reſtringit, nec negat beatitudinem, ſed communem facit utriſque.

258 Proferamus in medium auctoritates Sanctorum Patrum ex Catena aurea hìc S. Bedæ: *Non autem tantummodò eam, quæ verbum Dei corporalitèr generare meruerat, ſed & omnes, qui idem verbum ſpiritalitèr auditu fidei concipere aſſerit eſſe beatos*. Item. *Eadem autem Dei genitrix, & indè quidem beata, quia verbi incarnandi miniſtra eſt facta temporalis, ſed indè multò beatior, quia ejuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna*. S. Bonaventura hìc. *Hoc non dixit adverſando, ſed potius ſuperaddendo, quaſi diceret. Non ſolùm beatus venter, qui portavit me Verbum caro factum, verùm etiam beatior, qui ſuſcipit verbum à me prolatum. Undè & Maria non tantùm beata fuit, quia Chriſtum geſtavit in carne, verùm etiam beatior, quia ipſum perfectiſſimè geſtavit in mente, ſecundùm quod dicit Auguſtinus: Beata fuit Maria concipiendo fidem Chriſti, quam carnem Chriſti*. Malè ergò hæreticus Scripturam intellexit, dum negativam, & adverſativam poſuit loco affirmativæ.

Contradicit ſibi, nam paulò ante, ut diximus, Mariam vocat hominem per gratiam; ergò eidem competit beatitudo ut homini, quam tamen hìc negat ex auctoritate allata *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei*, ſi cæteri homines ex ore Chriſti ſunt beati, cur & non Maria, quæ ſecundùm te eſt homo?

259 Trigeſimo nonò, arguit ſic: Sordidum tegitur; cum ergò mulieres debeant velare caput ſuum ex præceptis divinis, neceſſarium eſt credere, illas eſſe ſordidas coram Deo, & non ſalvari. Quia nihil immundum, & ſordidum intrabit in regnum cœlorum, & ex eo, quia fœminæ etiam vivæ vocantur mortuæ, quandò nimis ſunt in deliciis.

260 Contrà eſt, quia cum iſte homo ſit hæreticus, benè nunquàm loqui poteſt, in ſuo argumento ſupponit non cauſam pro cauſa mulieri-

mulieribus enim non præcipitur velatio capitis, quia ſint ſordidæ, ſed velamentum capitis illis præſcribitur, ne ſordidæ evadant; inquit enim Paulus 1. ad Corinth. 11.5. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum*. Non ſupponitur in fœminis deturpatio, ſed ex violatione præcepti de capite velando, ſequitur illa turpitudo. Malè ergò iſte veritatis inimicus interpretatur verba S. Pauli: Eodem modo etiam vir dicetur ſordidus, ſi tegit caput, quia illud deturpat; ergò in opinione ejus neque maſculus ſalvabitur. De velatione capitis mulierum dixi ſuprà *ſub num.* 87. *&* 88.

261 Vocat fœminas mortuas, quando in deliciis inſordeſcunt, & id accepit ex eodem Apoſtolo 1. ad Timoth. 5. 6. *Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Loquitur de viduis, quæ reverà in peccatis exiſtentes, dicuntur mortuæ, quia gratiam Dei amiſerunt per peccata, quæ eſt principium vitæ ſpiritualis; vivit ergò vita corporali, ſed eſt mortua vita ſpirituali, dum gratia caret. Ad rem noſtram S. Hieron. Epiſt. 10 ad Furiam inquit: *Vidua, quæ in deliciis eſt, (non eſt meum, ſed Apoſtoli) vivens mortua eſt. Quid ſibi vult hoc, quod ait: Vivens mortua eſt? vivere quidem videtur ignorantibus, & non eſſe mortua peccato, ſed Chriſto, quem ſecreta non fallunt, mortua eſt*. Mulier in peccato vivens, non magis mortua eſt, quàm vir in peccatis devolutus, vivens dicitur mortuus. Audi Chryſoſt. conc. 3. de Lazaro: *Ut intelligas viventes in deliciis non fieri ſalvos, audi quid dicit Paulus: quæ verò in deliciis vivit, vivens mortua eſt. Loquitur de vidua muliere: Quòd ſi de muliere hoc dictum eſt, multò magis de viro dicendum, propterea non poſſe fieri, ut homo, qui talem vivit vitam, adipiſcatur cœlos*. Qui ergò ſivè maſculus, ſivè fœmina à deliciis peccati non convertitur ad Deum, ſed in illis moritur, vitam æternam in cœlis conſequi non poteſt, ſed reprobatus incidit in laqueum diaboli.

Ex eo igitùr, quòd mulier turpis eſt, & ſordida, non minùs quàm homo, dum in peccatis inſordeſcunt, potiùs debuiſſet Adverſarius inferre, hominem utriuſque ſexus non ſalvari, non quia fœmina eſt, ſed quia in peccatis moritur, & ex hac vita ſic decedit.

262 Quadrageſimo, ſibi objicit illa verba: Non eſt Judæus, non eſt Græcus, non eſt ſervus, nec liber, non eſt maſculus, nec fœmina, quia eſtis idem in Chriſto. Ex his intendunt ſtultè probare mulieres eſſe homines. Si igitùr hoc dicto, probatur mulierē eſſe hominē, probatur etiam, Judæū, & Græcum eſſe homines, quia de omnibus ſermo eſt. Sed quæ major ſtultitia, riſu digna, eſſet Apoſtoli, velle probare hìc Judæum, & Græcum eſſe homines, quòd id ſit per ſe manifeſtum, & probatione non indiget. Igitùr ſi Apoſtolus hoc non docet, multò minùs probabit, mulieres eſſe homines.

Contrà eſt, ſtultos vocat alios, & eorum dicta riſu digna reputat, circà explicationem verborum S. Pauli, ſed ipſe, & ejus dicta riſu, & improperio digna ſunt, quæ dicit hìc plena mendaciis, & erroribus; nam nullus catholicus objicit falſam interpretationem,

ſed

ſed illam ſibi confixit, ut ſic eluderet veritatem.

263 Verba S. Pauli, quæ ſunt hæc: *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Si autem vos Chriſti; ergò ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſiones hæredes.* Ad Galat. 3. ad finem, ſatis clara ſunt, & includunt fœminas, ſicut maſculos in ſortem Domini, qui utrunque ſexum venit curare. Apoſtolus increpat Galatas, qui contendebant, non fidem, ſed legem juſtificare homines, eis perſuader, nullum ſalvari poſſe niſi per fidem Jeſu Chriſti, in quem tunc venturum credidit Abraham, ideò reputata ei fides fuit ad juſtitiam, ideſt, per fidem juſtificatus fuit, & non per legem, per quam nemo juſtificatur apud Deum, ſed per fidem, per quam non eſt lex; conlcudit ergò omnem hominem cujuſcnnque nationis, conditionis, aut ſexus ſit, qui in Chriſto ſunt baptizati, eſſe unum in Chriſto, ſinè ulla differentia nationis, conditionis, & ſexus, cum ſint Chriſti omnes, & cum eo ſemen Abrahæ, & hæredes ſecundùm promiſſionem.

264 Ex his deducitur, Apoſtolum non probare Judæos, Græcos, liberos, & ſervos eſſe homines, ſed Galatas docebat, quemcunque hominem cujuſcunque nationis, & conditionis, & ſexus, baptizatum, ſalvari in fide Chriſti, non per legem, quæ uti mortua, neminem vivificare poteſt. Errat ergò iſte hæreticus, dicendo Catholicos putare hìc probari ab Apoſtolo Judæos, & Græcos eſſe homines; nemo enim Catholicus, & ſanæ mentis id dixit.

Lege D. Chryſoſt. tom. 4. hìc, qui explicat ea verba ſic: *Qui prius erat Ethnicus, aut Judæus, aut ſervus, nunc obambulat formam geſtans non Angeli, neque Archangeli, ſed univerſorum Domini, atque in ſe ſe Chriſtum repræſentat.* Eſt ergò baptizatus, ſivè baptizata repræſentans formam Chriſti per fidem, & grariam, quibus ſunt facti membra Chriſti. Optatus Millevit. lib. 5. contrà Parmenianum inquit: *Quotquot in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. O tunica ſemper una, & innumerabilis, quæ decenter veſtiat, & omnes ætates, & formas, nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec in fœminis mutatur.* Hæc igitùr tunica, quam nos Chriſtus per baptiſmum induit, eſt unica in omnibus, quia una fides, unum baptiſma, per quæ induimus Chriſtum, qui nos regit, ac protegit, & ducit in vitam æternam.

Catholica ergò veritas eſt, quòd non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ, quæ baptizantur, induunt Chriſtum, dum ejus fidem, & gratiam recipiunt, per quæ ſalvari poſſunt, ſi volunt.

265 Quadrageſimo primo, proſequitur perſuadere ſua mendacia. Reverà, inquit, non video, quo modo mulieres poſſunt eſſe idem cum Chriſto, dum Chriſtus ipſe, & Apoſtoli præceperunt illis, qui volunt eſſe perfecti, & ingredi vitam æternam, relinquere uxorem, & ideò laudant eunuchos, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, & qui nunquam tetigerunt fœminas. Chriſtus uxorem

rem non duxit, & Apoſtoli eas dereliquerunt, & perſuaſerunt id ipſum facere, addendo denique illos Chriſto placere, qui matrimonio non ſe obligarunt. Inſuper ut removerent homines, teſtati ſunt, bonum eſſe non tangere fœminas.

266 Contra eſt, quia imò mulieres, quæ Virgines ſunt, cum dicantur Sponſæ Chriſti, non ſolùm ſunt unum cum Chriſto, verùm etiam una caro ratione matrimonii ſpiritualis cum eo, ut dicitur 2. ad Corinth. 11. 2. *Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*. S. Thomas hìc benè exponit hanc unitatem his verbis: *Quod à plurali (& exhibere Virginem) in ſingulari volens oſtendere, quòd ex omnibus fidelibus ſit unum corpus, & una Eccleſia, quæ debet eſſe virgo in omnibus membris ſuis*. Unitas ergò demonſtrat identitatem virginitatis in Chriſto.

Deus autem, & Apoſtoli conſuluerunt, non præceperunt, ut perperàm Adverſarius vult, ſtatum virginitatis, Matth. 19. 12. *Sunt eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum* D. Aug. tom. 6 de Virgin. cap. 23. *dicit, eos, qui pio propoſito ab uxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſeipſos propter regnum cœlorum*. Apoſtolus quoque commendat ſtatum virginitatis, non præcipit, ne Chriſto adverſetur, qui eam non juſſit, ſed laudavit apud Matthæum præcitatum, 1. ad Corinth. 7. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*. In hac re audi S. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtac. de cuſtodia virgin. *Quare ergò non habet Domini de virginitate præceptum? quia majoris eſt mercedis, quod non cogitur, & offertur, quia ſi fuiſſet virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ, & duriſſimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodammodo damnare, quod conditum eſt*. Virginitas igitur à Chriſto, nec ab Apoſtolis jubetur, ſed tantùm laudatur, & ex hoc contra hæreticum iſtum benè infertur, quòd virginitatem ſervantes fœminæ propriè unum, & idem fiunt cum Chriſto, propter unitatem hujus virtutis in utroque exiſtente virginitate.

267 Neque Chriſtus, neque Apoſtoli ſimpliciter, & abſolutè præceperunt viris, ut uxores ſuas desererent, cum & imò præcipiat, ut vir adhæreat uxori ſuæ, relinquendo patrem, & matrem, Geneſ. 2. 24. Errat ergò hæreticus, nec mirum, quia nunquam didicit verum loqui. Quòd ſi Chri-

268 ſtus dicat Lucæ 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios &c.* id intelligendum eſt, quòd maritus debet odio habere uxorem ſuam, non quo ad perſonam, quæ facta eſt ad imaginem Dei, & cum qua eſt una caro; nemo enim odio habet carnem ſuam, ſed ejus peccatum odiſſe debet, quam præcipit diligere Apoſtolus illis verbis: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*; ad hæc S. Gregorius homil. 37. inquit: *Si vim præcepti perpendimus, utrumque agere per diſcretionem valemus, ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti ſunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus*. Vide D. Auguſt.

Auguſt. tom. 4. de ſerm. Domini in monte cap. 25.

Maritus ergò uxorem ſuam deſerere debet; hoc eſt, in odium habere ejus peccata, & vitia, eam corrigendo, in cæteris autem, quæ ſunt bona, & in honorem Dei, diligere eam debet, quia caro ejus eſt, quam nemo odio habet, ad

269 Epheſ. 5. 29. *Nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam.* Sic facere debet vir erga uxorem ſuam, cum bona eſt, obediens præceptis Domini; ex quibus infertur, eam eſſe ex eadem maſſa humani generis, quæ ſalvari poteſt, ſi bene agat.

270 Verum eſt, quòd Chriſtus non duxit uxorem, & Apoſtoli eas deſerverunt non ſimplicitèr, ſed quo ad thorum, quia poſt Apoſtolatum nunquàm cognoverunt eas, non deſerverunt vero quo ad dilectionem, & earum ſuſtentationem, ut teſtatur Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. 5. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cæphas.* Vocat uxorem ſuam ſororem, inſinuando, quòd eam alebat, ac ſi eſſet ſoror, ſed illa non utebatur ut uxore, quia nemo conjungitur ſorori ſuæ, *vide cap. omninò 11. diſt. 31.* ubi Leo IX. ſic explicat illud D. Pauli, quòd Apoſtoli uxores non reliquerunt, niſi quo ad copulam.

Sed ponamus, quòd verum ſit dictum ab hoc hæretico. Numquid indè ſequitur, quòd mulieres non ſint de ſpecie hominnm, aut non ſalventur? Nequaquàm. Quid erant fœminæ ante adventum Chriſti, nonnè eædem in eſſentia, & ſubſtantia, in qua etiam nunc ſunt, ſed tunc erant homines; ergò etiam nunc; neque enim divinum præceptum immutat eſſentias rerum, ſed tantùm obligat homines utriuſque ſexus ad ſui obſervationem. Numquid deſertio uxoris facit, ut ea non ſit homo, ſi anteà erat homo? & ſi non erat antè homo, cur deſertio probat eam non hominem? Verba Sancti Evangelii ſuperiùs expreſſa apertè dicunt: *Si quis non odit patrem ſuum, matrem, fratres &c.* odium referri non ſolùm ad uxorem, verùm etiam ad patrem, & fratres, quos conſtat etiam apud Adverſarium eſſe homines, numquid eorum derelictio probat non eſſe homines, aut ſalvari non poſſe? certè non; ergò nec deſertio uxoris, cum unus, & idem ſit ſenſus hujus Scripturæ reſpectu fœminarum, & maſculorum.

271 Quamvis Deo placeant, qui matrimonio non utuntur, tamen non diſplicent, qui matrimonio junguntur, cum ſit à Deo inſtitutum, uti bonum commune, & privatum non ſolùm prolis, ſed etiam ipſorum conjugum, qui ſe mutuo auxilio fovent. Quid indè ad probandum ſuum errorem? Nil omninò.

272 Dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Malum eſt tangere mulierem, non verò uxorem, undè ſubjungit: *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat.* Apoſtolus ergò non removet maritos ab uxoribus ſuis, ſed prohibet fornicationem, imò

273 & tactum, qui ad eam diſponit, undè inquit S. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovin. *Non dixit, bonum*

eſt uxo-

eſt uxorem non habere, ſed bonum eſt mulierem non tangere, quaſi & in tactu periculum ſit, quaſi qui illam tetigerit, non evadat. S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 249. *Beatus Apoſtolus admonet nos, bonum eſt, inquiens, mulierem non tangere, quaſi ſtatim in tactu periculum eſſet.* Falſum igitùr eſt, quòd Apoſtolus retrahat homines à matrimonio, & uxoribus ſuis, ſed tantùm prohibet tangere mulierem, quæ non eſt propria uxor.

274 Quadrageſimo ſecundò, adducunt, inquit, Defenſores mulierum, Scripturam: Mulier quandò parit, dolorem habet, poſt partum gaudet, quia natus eſt homo in mundum, ſed quia etiam puerulæ naſcuntur, hinc colligunt, mulieres poſſe homines eſſe. Sed dicite mihi, quænam mater unquam gavîſa eſt de nata filia? Nulla certè. Ille magnus Ochinus Coriphæus Anabaptiſtarum in ſuis dialogis reliquit ſcriptum, parturientes non lætari de natis filiabus; & ipſæ id affirmant. Et id mirum non eſt, quia ſi mulieres, teſte Ariſtotele, monſtrum naturæ ſunt, aut ſecundùm Platonem animal brutum magis, quàm rationale, quænam mater gaudium ſumere poterit de partu unius fœminulæ? Et eò magis cum Scriptura doceat, ſalvari mulierem per generationem maſculorum, non fœminarum. Locus iſte intelligi debet hoc modo: Mulier pariens filium gaudet, natum eſſe hominem, quia natus eſt maſculus, nec huc intrant fœminæ. Denique obſervate omnia Sacræ Scripturæ loca, ubi reperitur vocabulum *homo*, quæ ſunt quaſi innumerabilia, & ſemper invenietis, intelligi de maſculis tantùm. Et ſi iſte locus declarari poteſt alio modo, mihi imprecor maledictionem mulierum.

275 Contrà eſt, quia locus, quem fingit produci à Defenſoribus mulierum, facit pro nobis, & eſt Joann. 16. 21. *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Pariens triſtitiam habet ex dolore partus non ſolùm pro maſculis, ſed etiam pro fœminis, ut experientia docet, quia ſuſpirant, & dolent, dum pariunt, ſivè maſculos, ſivè fœminas; ergò paritèr gaudent, quia natus, & nata eſt homo in mundum. Et ſi enim textus habeat: *Quia natus eſt homo* in genere maſculino, tamen quia maſculinum concipit fœmininum, ſub his verbis comprehenditur etiam fœmina, ut dicunt omnes interpretes. Ità S. Auguſt. relatus hìc à Catena Aurea: *Parturitio quippè triſtitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc magis eſſe conſuevit, quandò non puella, ſed puer naſcitur.* Dionyſius Carthuſ. hìc: *Magis enim ſolet pariens exultare nato filio, quàm filia.* Communis ergò eſt lætitia tàm fœminis, quàm maſculis natis in mundo. Gaudent ergò matres de puellis natis contrà mendacem, cui nec prodeſt Ochinus, qui & ipſe mendax probatur, hoc ipſo quòd eſt hæreticus.

276 Ariſtoteles, & Plato non ſunt pro Adverſario, dum vocant mulierem animal magis brutum, quàm rationale, & occaſionatum, quia non negant humanitatem in illis, ſed referunt earum defectus, & imperfectiones. Num-

quid Paulus in Epiſtola ad Titum 1. 12. confirmans dictum illorum ut verum, aſſerentium, quòd Cretenſes ſunt ſemper mendaces, malæ beſtiæ, & ventres pigri, voluit inferre, Cretenſes non eſſe homines? Nequaquàm. Sed illud dictum confirmavit, inſinuando eorum defectus, & imperfectiones, non verò negando eorum eſſentiam in eſſe naturæ hominis. Sic Ariſtoteles, & Plato per eas mulierum imperfectiones, ab eis non excluſit rationem ſpeciei humanæ.

277 Nec verum intellectum habet illud Apoſtoli 1. ad Thimot. 2. 15. *Salvabitur per filiorum generationem*, ſecundùm interpretationem Adverſarii, ut viſum fuit *ſub num.* 151. Nam ibi ſubjungit, ſalvari per fidem, & bona opera, inter quæ computatur educatio filiorum, ſignificata per generationem filiorum, ſub quo vocabulo
278 venit etiam filia *l. Juſta* 201. *ff. de verb. ſignific. l. Si quis ità* 16. *ff. de teſtam. tutelar. l. Si ità ſcriptum ff de legat.* 1. & id quidem ex propria ſignificatione, & interpretatione comprehenſiva, *Gloſ. in l* 1. *ff. de verb. ſignif. Riminald. Junior lib. 7. conſ.* 737. *num.* 4. *Cephal. conſil.* 484. *num.* 32. Si hæc probantur in profanis negotiis, cur in divinis rejicienda ſunt, cum nulli noceant, & mulieribus multùm proſint?

Inimicus mulierum earum ſibi imprecatur maledictionem, ſi in Sacra Scriptura invenitur, quòd bonæ vocentur, exauditus eſt in ſuo mendacio, parum eſt maledici à mulieribus; multum verò, & tremendum ab ipſo Deo anathematizari, ut excommunicantur cum ipſo omnes hæretici. Produco in medium loca Scripturæ, in quibus mulieres expreſsè di-
279 cuntur bonæ. In primis Judith 12. 12. *Non vereatur bona puella*. Item Proverb. 18. 22. *Qui invenit mulierem bonam*. Eccl. 7. 21. *A muliere ſenſata, & bona*. Ibidem 26. 1. *Mulieris bonæ beatus vir*. Ibidem 26. 3. *Pars bona, mulier bona*. Ibidem 26. 21. *Sic mulieris bonæ ſpes*. Ibidem 36. 26. *Qui poſſidet mulierem bonam*. In Act. Apoſt. 9. 36. dicitur, quòd mulier Tabitha erat plena bonis operibus. De S. Maria Magdalena dicit Chriſtus Matth. 26. 10. *Quod bonum opus operata eſt in illo*. Si bona operantur iſtæ mulieres, bonæ appellandæ ſunt à ſuis operibus bonis. Ecce, ò hæretice, Scripturas rotundis verbis appellantes mulieres bonas, ſuppono tu, legiſſe Sacram Scripturam, & noluiſti intelligere, ut malè ageres, non credendo, quod hactenùs nullus negavit.

280 Quadrageſimo tertiò, adducit aliud argumentum contrà ſe Adverſariorum, qui dicunt, Chriſtum apud S. Lucam reſuſcitaſſe puellam; ergò mulieres reſurgent. Iſti ingenio acuti non conſiderant, quòd Chriſtus ibi dixit: Non eſt mortua puella, ſed dormit. Nihil aliud ſignificant hæc verba, niſi quòd ſi mortua fuiſſet puella, ipſe eam non reſuſcitaſſet. Dormiebat ergò, teſte Chriſto, nec erat mortua, ut credebat Vulgus; undè mirum non eſt, ſi reſurrexit. Undè Chriſtus tunc præcepit, ut omnes factum tacerent, ne mulieres caſu viderentur hoc exemplo partem habere in reſurrectione. E contrà, puero reſuſcitato, non prohibuit, ſed Apoſtolus ſcribit, famam volaſſe

laſſe

laſſe per univerſam Judæam, & circunvicinas regiones. Inſuper, cum veniſſet ſervus monere Jairum de morte puellæ, Evangeliſta adjungit, Ne vexes Magiſtrum. Quod dixit, quia ſciebat, fruſtrà implorari auxilium à Chriſto pro mortuis mulieribus, dum carent anima, nec ſunt reſurrecturæ in die judicii. Legitur de B. Germano Epiſcopo, quòd inſigni miraculo reſtituit vitam Aſino defuncto. Sed quis poterit, niſi ſit Aſinus, ab hoc arguere, quòd Aſini ſint reſurrecturi, ità valebit argumentum hujus puellæ.

281 Contrà eſt, nam in primis non intellexit benè hiſtoriam puellæ mortuæ, de qua pono verba Lucæ 8.44. *Venit quidam ad Principem Synagogæ dicens ei, quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum. Jeſus autem, audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes, quòd mortua eſſet. Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella ſurge: Et reverſus eſt Spiritus ejus, & ſurrexit continuò.* Idem referunt Marcus cap. 5. 38. ubi dicitur filia Archiſinagogi nomine Talitha. Matth. 9. 23. Videamus autem, an verè fuerit mortua per ſeparationem animæ à corpore, an verò dormierit, ut dicebat Chriſtus: *Non eſt mortua puella, ſed dormit?* Reverà erat mortua, ut dicebant ejus parentes, qui flebant, ut clarè colligitur etiam ex illis verbis: *Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuò.* Mors enim tunc accidit, cum Spiritus recedit à corpore, quod vivifica-
282 bat; eſt enim ſpiritus idem, quod anima, juxtà illud Geneſ. 2. 7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Verbum illud *in faciem ejus.* ideſt in corpus jam organizatum *inſpiravit*, infudit creando *Spiraculum* ideſt animam in corpore ultimo diſpoſito ad infuſionem animæ, *& factus eſt homo*, illud corpus organizatum fit homo, dum ei anima rationalis unitur, per quam incipit vivere. Homo igitur moritur per ſeparationem animæ ab ejus cor-
283 pore; reſurrectio autem eſt reditio animæ in ſuum corpus, ut illud iterùm vivificet; ſed ex Evangelio planè conſtat, animam, quæ ibi vocatur Spiritus, ſeparatam fuiſſe ab eo corpore, ac proinde mortuam fuiſſe puellam,
285 dum *Spiritus ejus reverſus eſt, & ſurrexit continuò*; non enim Spiritus revertitur in corpus, à quo non receſſerat, ſed in illud, à quo diſceſſerat. Conſtat ergo ex his, puellam reverà fuiſſe mortuam. Et hæc eſt veritas hiſtoriæ commendata unanimi conſenſu ſanctorum Patrum. Audi Chryſoſt. *Non quidem aliam ſuperinducens animam, eam ſuſcitavit, ſed eam, quæ exierat reinducens, & velut ex ſomno erigens* Hieronymus *Archiſinagogo dicitur, filia tua mortua eſt. Jeſus autem dixit: non eſt mortua, ſed dormit. Utrunque verum eſt, quòd mortua eſt vobis, mihi dormit.* Beda. *Hominibus enim mortua erat, qui ſuſcitare nequiverant, Deo dormiebat, in cujus diſpoſitione, & anima vivebat, & caro reſuſcitanda quieſcebat, undè mos apud Chriſtianos obtinuit, ut mortui, qui reſurrecturi non dubitantur, dormientes vocitentur.*

tentur. Rabanus. *Vobis mortua eſt, Deo autem, qui ſuſcitare poteſt, dormit, tàm in anima, quàm in corpore*.

285 Nota autem, quòd duplex eſt dormitio, alia mortis, alia ſomni, de priori ſequitur Chriſtus hìc, & *Joan.* 11. 13. ubi exprimitur hoc duplex genus dormitionis. Non dormiebat ergò puella, ſed reverà mortua erat.

286 Quòd verò Chriſtus *præcepit illis vehementer, ut nemo id ſciret*, Marci 5. 43 Lucæ 8. 56. Matth 9. 25. dicit, quòd nihilominus *Exiit fama hæc in univerſam terram illam*, hoc non inſinuat, quod dicit Adverſarius: *Acciocbe per aventura le donne con queſt' eſempio non credeſſero d'aver parte anch' eſſe nella reſurrezione*. In ea enim partem habent, & pro pro ipſis eſt reſurrectio, nam Petrus *Act.* 9 *à n* 36 *ad* 41. ſuſcitavit Thabitam defunctam. Prohibuit autem Dominus, ne quis diceret factum, *oſtendens per hoc*, inquit Catena Aurea Lucæ 8. *quòd largitor bonorum eſt, non autem cupidus gloriæ, datque totum, nihil reſpiciens*. Dionyniſius Cartuſ. ſuper cap. 8. Lucæ art. 22. inquit: *Hoc Chriſtus præcepit, non quia putavit tantum miraculum debere celari, ſed ut nos humilitatem amare, vanitatem, & oſtentationem vitare doceret*.

287 Suum mendacium conatur occultare, dum ſuſcitatio pueri omnibus manifeſta fuit, quam non prohibuit, ſicut puellæ hujus. Non erat *fanciullo*, ſed adoleſcens Lucæ 7. 15. *Adoleſcens tibi dico, ſurge*, de quo miraculo num. 17. legitur: *Et exiit hic homo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem*. Puellæ ſuſcitationem prohibuit, ne publicaretur in pœnam irridentium Chriſtum, & propter illorum incredulitatem, nihilominùs *exiit fama hæc*, ideſt, puellæ ſuſcitatæ, *in univerſam terram illam*, ut dicitur Matth. 9. 25. ſicut idem accidit de adoleſcente ſuſcitato. Non fuit Apoſtolus ſcriptor, ut de more mentitur Adverſarius, ſed Lucas Evangeliſta; nec obſtat, quòd S. Hieronymus relatus in lect. ejuſdem feſti, ibi: *Quidam ſuſpicantur, quotieſcunque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit: Juxtà Evangelium meum, de Lucæ ſignificare volumine, Lucam autem non ſolùm ab Apoſtolo Paulo didiciſſe Evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed à cæteris Apoſtolis*. quia ipſe Lucas ſcripſit, non Apoſtolus, à quo audierat.

288 Dixit quidam Archiſinagogo puellæ mortuæ, noli vexare illum. Hæc verba Adverſarius interpretatur: *Il che diſſe, perche ſapeva, indarno implorarſi alle fanciulle, & alle fœmine morte l' ajuto di Chriſto, perche non hanno l' anima, ne ſono per reſuſcitare nel giorno del giudizio*. Cauſam, cur dixit, noli vexare illum, attulit falſam. Nam ea verba dixit, vel urbanitatis cauſa, vel quia non credebat Chriſtum habere virtutem reſuſcitandi mortuos. Hoc poſteriùs firmat Ambroſius his verbis: *Adhuc autem & ſervi Principis increduli erant ad reſurrectionem, quam Jeſus in lege prædixit, in Evangelio complevit, undè dicunt, noli vexare illum, quaſi ſit ſibi impoſſibile ſuſcitare mortuam*. Et id confirmatur ex verbis ipſius Evangelii, ubi dicitur patri puellæ: *Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit*. Dubitabat ergò; undè Chriſtus confortavit eum, dicens *Crede tantùm*, ſufficit tibi credere

credere, & mihi ſuſcitare filiam tuam.

Duo dixit hæreticus, ut mox relatum eſt, unum, quòd fœminæ non habent animam, ſecundum, quòd non reſurgent in noviſſimo die. Utrunque eſt manifeſta hæreſis.

289 Primum enim, quòd fœminæ animam habeant, & quidem rationalem, patet tùm ratione, quia diſcurrunt ſicut homines, certum argumentum, eas habere animam rationalem, à qua tamquàm à principio omnis provenit diſcurſus. Tùm auctoritate Sacræ Scripturæ, nam dictum ſuprà hìc ex Sancto Luca: *Et reverſus eſt Spiritus ejus*, ideſt, anima puellæ reſuſcitatæ à Chriſto. In Geneſ. pluribus in locis vocat animas filiarum ſicut filiorum 46. 15. *Omnes animæ filiorum ejus, & filia-*

290 *rum triginta tres*. In Arca Noe ſalvæ factæ ſunt tantùm octo animæ, ut dicit Petrus Epiſt. 1. cap. 3. 20. *Octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*. Scit autem iſte hæreticus, quòd quatuor maſculi, Noe, Sem, Cham, & Japhet ejus filii, & quatuor fœminæ eorum uxores ingreſsæ erant in Arcam, & non aliæ perſonæ; ergò tales ſunt animæ fœminarum, quales maſculorum.

291 Secundum verò, quòd fœminæ reſurgere habeant cum maſculis in noviſſimo die, patet ex multis locis Sacræ Scripturæ, *Matth.* 22. 28. *Marci* 12. 25. Chriſtus à Sadducæis interrogatus, cujuſnam ex ſeptem viris futura erat uxor ſingulis ſucceſſivè nupta in die reſurrectionis, reſpondit eis: *Cum enim à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur*, ideſt, mulieres reſurgentes non nubentur, igitùr mulieres reſurgent in noviſſimo die cum maſculis, ſed inter eos non ampliùs in cœlis erit uſus matrimonii, ut dixi ſuprà ſub num. 236. Paulus Apoſtolus 1. Corinth. 15. poſtquàm multis probavit reſurrectionem mortuorum futuram in noviſſimo die, concludit ſub num. 51. *Omnes*

292 *quidem reſurgemus*. Dicit *omnes*; ergò includit etiam fœminas, non ſolùm ex vi generis maſculini, & fœminini, ſed etiam ex proprietate ſignificationis, quia dictio hæc univerſalis neminem excludit. Idem docet Chriſtus Joan. 6. 39. *Ut omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die*. Pater autem dedit Chriſto omne genus humanum, inquit hìc Carthuſ. ac proindè omnes homines cujuſlibet ſexus reſurgere habent in noviſſimo die. Lege cap. 37. Ezechiel. de reſurrectione mortuorum, ubi Dominus ait ſub num. 11. *Oſſa hæc univerſa domus Iſrael eſt*. In domo autem Iſrael erant non ſolùm homines maſculi, ſed etiam fœminæ, & utriuſque ſuper oſſa arida Deus in die noviſſimo dabit nervos, & ſuccreſſcere faciet carnes, & cutim ſuperextendet, & eis dabit ſpiritum, ut iterùm vivant.

293 Non potuit invenire in jis codicibus, quos legi, S. Germanum ſuſcitaſſe Aſinum, quod tamen accidere potuit, quia nihil impoſſibile eſt coram Deo. Reddit autem Adverſarius ſe ſuſpectum, cum non citet auctorem id narrantem, undè Petrus Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 10. inquit: *Nec major illis (ſcilicèt Convitiatoribus hæreticis) fides habenda eſt, cum in Germanum veluti fabulatorem*,

rem, ipſi nimirùm ſæpè fabulantes, imò & calumniantes invehuntur. Hæc P. Maraccius in Mariali S. Germani, ubi quamplures de ejus vita ſcribentes refert, & nihil de hoc miraculo. Sivè ergò falſum ſit, quod credimus, ſivè verum, cum eſſe poſſit, quid ad rem præſentem? Imò pro nobis facit; ſi enim Aſinus ad vitam revocari poteſt mortuus, à fortiori mulier, quæ animam habet immortalem, Aſinus verò ſenſitivam tantùm, & mortalem, in Aſino ubique datur vita, in muliere ſpiritus reducitur ad corpus, quod vivificat. Miraculum igitùr hoc probat reſurrectionem, ſed ex diverſo fine, nam Aſinus fuit reſuſcitatus per te, ò hæretice, tantùm in beneficium ejus, cujus erat; mulieres verò in die judicii reſurgent, juxtà illud Athanaſii in ſymbolo: *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriam rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò mala, in ignem æternum*. Hæc reſurrectio erit propria hominum utriuſque ſexus, cætera animalia non reſurgent, quia cum careant ratione, non poſſunt reddere rationem de factis, ac proindè incapacia ſunt vitæ æternæ, & ignis æterni.

294 Quadrageſimo quartò, procedit ulteriùs, & arguit: Scriptura manifeſtè dicit, Deum eſſe caput Chriſti, ſicut homo mulieris. Sed Anabaptiſtæ negant Chriſtum eſſe Deum, quamvis ejus caput ſit Deus, igitùr hac ratione mulier non erit homo. Et ſi volunt eam eſſe hominem, nec credant etiam, Chriſtum eſſe hominem, & ſic facilè concordabimus.

295 Contrà eſt, quia fides catholica docet, & Chriſtum eſſe Deum, atque Deum eſſe caput Chriſti, & virum eſſe caput mulieris. Paulus 1. ad Corinth. 11. 3. *Omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris vir; caput verò Chriſti Deus*. Ex his autem deducitur, Deum eſſe caput non ſolùm Chriſti, ſed etiam mulieris, & viri, ſub quorum protectione uterque eſt; de ratione enim capitis eſt regere, & protegere membra contenta ſub capite: non ſolùm ergò vir, ſed etiam mulier à Deo, & Chriſto Domino protegitur, cum ſit caput totius Eccleſiæ, ad Epheſ. 5. 23.

296 Chriſtum eſſe Deum, manifeſtè patet ex Sacris Scripturis, in quibus dicitur filius Dei, ex quo de neceſſitate ſequitur, quòd ſit Deus; ſicut enim filius hominis dicitur homo, ità & filius Dei dicitur Deus, ex generatione univoca. Iſaia 9. 6. *Parvulus natus eſt nobis, vocabitur nomen ejus Deus*. Paulus ad Rom. 9. 5. *Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus*. 2. ad Corinth. 5. 19. *Quoniam quidem Deus erat in Chriſto*. Quomodò in Chriſto Deus Pater, niſi per communicationem divinæ ſubſtantiæ, per quam Pater, & Filius ſunt unus Deus? Ad Philip. 2. 5. *Qui cum in forma Dei eſſet*. Forma Dei eſt ipſamet Dei eſſentia, & ſubſtantia; Chriſtus ergò ex forma Dei Deus eſt, ſicut Petrus ex forma rationalitatis eſt homo. *Vide Theologos in 1. diſt. 23. D. Thom. part. 1. q. 29.* Veritas ergò catholica eſt, Chriſtum eſſe Dei filium, & Deū ipſum. *Vide Synodum V. Conſtantinopolitanam, ubi hæc definitio habetur, & in prima Nicæna*.

Exa-

Examinemus vim argumenti ex Anabaptiſtis: Chriſtus non eſt Deus, quamvis iſte illius ſit caput; ergò hac ratione mulier non erit homo, quamvis vir ſit illius caput. Non video connexionem conſequentis cum antecedenti, cum illud ſit in ordine diverſo ab hoc, ac proindè non valet conſequentia, quia ex diverſis non fit illatio. Et contrà Anabaptiſtas, ex eo, quòd Deus eſt caput Chriſti, ſequitur, quòd Chriſtus eſt Deus, quia in Sacris Scripturis nomen Capitis in Deo importat divinitatem, quæ in divinis omnia præcedit; Deum ergò eſſe caput Chriſti, indicat divinam eſſentiam per Patrem eſſe communicatam Chriſto ejus Filio. Pari ratione ex eo, quòd vir eſt caput mulieris, ſequitur, mulierem participare de natura viri, ac proindè cum eo eſſe hominem. Credimus ergò ſecundùm fidem catholicam, & mulierem eſſe hominem, quia Deus eſt caput Chriſti, & vir caput mulieris.

297 Quadrageſimo quintò air, Anabaptiſtas volunt baptizare infantes, quia nullum habent peccatum, nec exemplum, Chriſtum, aut Apoſtolos eos baptizaſſe. Quare ergò Sacramentum Euchariſtiæ porrigunt mulieribus, cum nullum habeant præceptum, nec exemplum, Chriſtum, aut Apoſtolos communicaſſe, aut juſſiſſe, ut communionem fœminæ reciperent? Sunt Anabaptiſtæ falſarii, & inconſtantes. Nulla alia ratione non fuit permiſſum corpus Chriſti fœminis, niſi quia illud corpus non eſt paſſum pro illis, nec ad illas pertinet. Sed reſpondent: Baptiſmus pertinet ad mulieres; ergò etiam communio, habentes exempla mulierum baptizatarum. Intelligo, ſed concedam eis hoc argumentum, quandò mihi concedent, ab uno ad aliud Sacramentum argumentari.

298 Contrà eſt, qui baptizant infantes, & qui Sacram Communionem porrigunt mulieribus, benè faciunt, quia Domini præceptum exequuntur. Infantes, verum eſt, quòd nullum habent peccatum actuale eis proprium, habent ſolùm originale, quod baptiſmo expiandum eſt, ut definitum eſt *ſeſſ. 5. can. 4. & ſeſſ. 7.*
299 *can. 12. 13. & 14.* Sacra autem Communio omnibus præſcribitur tàm maſculis, quàm fœminis, Joan. 6. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Loquitur univerſalitèr, ac proindè præceptum eſt commune omnibus utriuſque ſexus perſonis fidelibus, ut definitur ſub anathemate *ſeſſ. 13. can. 9.* Igitùr ſecundùm veritatem baptizantur infantes utriuſque ſexus, & mulieres uſum rationis habentes communicantur à Sacerdotibus.

300 Nec verum eſt, quòd nullum habeamus exemplum de baptiſmo infantium, nam cum Chriſtus tulerit præceptum de baptiſmo, Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intraire in regnum Dei.* Matth. ult. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Marci ult. 18. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, præmiſſa prædicatione. *Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Conſtat ergò de præcepto Domini, quod eſt commune omnibus hominibus, tàm in-

fantibus

fantibus, quàm adultis, ut patet ex prima auctoritate, *Niſi quis*, dictio univerſalis omnes comprehendens, de adultis in ſequentibus, tàm maſculis, quàm fœminis, adultis, quibus prædicatur, qui docentur, & credere poſſunt, cum habent uſum rationis. Infantes enim, & mulieres ſunt gentes, ſunt creaturæ, ſunt homines, quos omnes Deus ſalvare vult per ſuſceptionem baptiſmatis.

301 Chriſtus autem baptizabat, & cum eo Diſcipuli ejus, *Joan. cap.* 3. 22. *& cap.* 4. 1. Baptizaverunt ergò Chriſtus, & Diſcipuli ejus, nulla facta mentione de ætate, & ſexu perſonarum, magis valere debet noſtra affirmativa, quòd baptizarint etiam infantes, quàm negativa Adverſariorum, cum conſtet de facto baptiſmi, & nullatenùs de negativa facti; fortior enim eſt probatio per affirmativam, quàm per negativam, quæ non probat niſi coarctata.

302 Apoſtoli indifferentèr baptizabant, ut legitur Act. 8. 12. *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres.* Petrus ibidem 10. 48 *juſſit eos baptizari.* Lydia colens Deum, baptizata fuit, & domus ejus, *ibidem cap.* 16. 15. Criſpus cum omni domo ſua credidit, & baptizatus eſt, Ibidem 18. 8. Paulus 1. Corinth. 1. 16. *Baptizavi autem & Stephanæ domum.* Ex his apertè colligitur, Apoſtolos omnes indifferentèr baptizaſſe, non ſolùm adultos, & fœminas, verùm etiam pueros, & infantes; eſt enim credibile, quòd in domibus illis eſſent etiam pueri, & infantes, cum dicitur domus aliqua fuit baptizata. Confirmatur ratione, quia infantes in octavo die circuncidebantur; ergò & iſti baptizantur ſub lege gratiæ, nam baptiſmus ſucceſſit Circuncifioni. *Vide D. Aug. tom. 7. de Baptiſmo contrà Donatiſtas, & Petilianum.*

303 Similitèr Sacra Communio porrecta fuit fœminis, quia, ut ſuperiùs dictum fuit, præceptum Sacramenti Euchariſtiæ datum fuit omnibus. Chriſtifidelibus utriuſque ſexus. Jeroſolimis erant cum Apoſtolis multæ mulieres, Act. 1. 14. de quibus, & aliis di-
304 citur cap. 2. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Sermo autem eſt hìc de Sacra communione ex illis verbis: *Et communicatione fractionis panis*, ut id melius interpretatur in Epiſt. 1. ad Corinth. 10 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti? & panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini eſt?* Fractio igitùr panis refertur ad Sacram Communionem, quam non ſolùm maſculis, ſed etiam fœminis dabant. In ſequenti capite 11. cum Paulus docuiſſet viros, & mulieres modum orandi in Eccleſia, mulieres velato capite, viros verò aperto, ſubſequentèr inſtruit illos, & illas, quomodò debeant ſacram recipere Euchariſtiam, his verbis: *Probet autem ſeipſum homo*, hoc eſt, vir, & mulier examinent ſuam conſcientiam, & expurgent à peccatis, ut corpus Chriſti dignè recipere valeant. Neque enim rationabile eſt excludere fœminas à manducatione corporis Chriſti, cum Paulus utroſque docuerit modum orandi in ordine ad ſumptionem ſacri corporis Chriſti Domini.

Domini. Confirmatur id ex cap. *Omnis utriuſque ſexus fidelis in Paſcha Eucbariſtiæ Sacramentum ſuſcipiat* 12. de Pœnitent.

Patet ergò ex his, Sacramentum corporis Chriſti pertinere etiam ad fœminas, ſicut ad maſculos; nam Chriſtus pro omnibus paſſus eſt, ut probavimus.

305 An valeat argumentum ab uno Sacramento ad aliud? Nam ſi hoc probamus, Adverſarius concedet nobis, fœminis conferri Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut datur maſculis. Ego autem probo valere argumentum ab uſu baptiſmatis ad uſum Euchariſtiæ,
306 hoc modo. Nam omnis homo utriuſque ſexus eſt capax Sacramenti baptiſmatis, quod omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate medii, quod hæreticus iſte non negat; ergò omnis homo etiam fœmina eſt capax Sacramenti Euchariſtiæ. Conſequentia firmatur, quia baptiſmus dicitur via, & janua, per quam fit ingreſſus ad recipienda alia Sacra-
307 menta; eſt enim aliorum fundamentum, ſine quo inutilitèr, & invalidè reliqua recipiuntur, *cap. Veniens 3. de Præſbyt. non bapt. cap. Per Catbechiſmum, de cognat. Spirit.* undè & vocatur à Sanctis Patribus principium vitæ ſpiritualis *S. Damaſcen lib. 4. fidei ortod. cap.* 10. Sicut autem à via, & janua ingreditur, & à principio pervenitur ad terminum, ità per baptiſmum, & à baptiſmo pervenitur ad alia Sacramenta, quæ dicuntur quaſi illius terminus, undè S. Dionyſius *cap. 3. de Eccl. Hierar.* dicit, quòd Euchariſtia eſt conſumatio, & perfectio aliorum Sacramentorum; ex quibus ſequitur, ex baptiſmo inferri quodlibet aliud Sacramentum; ergò & Sacramentum Euchariſtiæ. Deindè ſicut ex diverſis non infertur, ità è contrà ex ſimilibus fit illatio, ſed Sacramentum Euchariſtiæ in multis aſſimilatur baptiſmo; nam ſicut per baptiſmum homo incorporatur Chriſto, *ad Galatas* 3. ad finem, ità & per receptionem Sacræ Communionis eidem incorporatur Chriſto, Joan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem,*
308 *in me manet, & ego in eo.* Baptiſmus eſt medicina peccatorum, cum per eum tollantur peccata, & ſanetur homo infirmus in peccato Adami, undè *S. Chryſoſt. tom. 1. Homil. 40. in Geneſ.* propè finem, dicit, quòd baptiſmus continet medicinam gratiæ ad reſecanda peccata ſinè dolore; ſed etiam Euchariſtia antidotum, & medicina eſt præſervativa à peccatis, *Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 2. Inſuper per baptiſmum omnes efficiuntur unum in Chriſto Domino, ad Galat. 3. 28. *Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Idem efficit Sacramentum Euchariſtiæ 1. ad Corinth. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonnè communicatio Chriſti eſt? unus panis, unum corpus, multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus.* Patet ergò ex his à baptiſmo inferri ad alia Sacramenta.

Omnia igitùr Sacramenta pertinent ad Chriſtifideles utriuſque ſexus, itaut quoad eorum uſum, & ſumptionem, valeat argumentum à baptiſmo ad reliqua, niſi perſona prohibeatur, ut ſignatè prohibetur fœminis tantùm receptio ordinis, ut aliis allegatis docet *Diana par. 8. tract. 1. reſol. 39.*

Reliquorum verò Sacramentorum ſunt capaces, ſicuti maſculi.

309 Quadrageſimo ſextò ait, inveniri exempla mulierum baptizatarum, ſed cum Papiſtæ baptizent Eccleſias, & Campanas, & naves, fortè hæc ſunt homines? Dicam eſſe contrarium præcepto divino, mulieres baptizari, quia Chriſtus dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; non dixit: *Quæ crediderit*. Neque enim articulus *Qui* eſt genus commune, quod poſſit amplecti genus fœmininum.

310 Contrà eſt, quia Eccleſiæ, & prædicta non dicuntur reverà baptizari, eſt locutio impropria Vulgi, à quo argumentum ſumi non debet, ſed tantùm conſecrari Eccleſiæ, Altaria, Campanæ, ſeù benedici, ut colligitur ex *tit. de conſecrat. Eccleſ. & ex Rituali Romano*, in quibus locis nulla fit mentio de baptizatione prædictorum. Baptizantur ergò mulieres Sacramento Baptiſmi, ſicut viri, & ex hoc cognoſcitur, eas eſſe homines, ſicuti ſunt maſculi.

311 Præceptum de baptiſmo afficit non ſolùm viros, & infantes, ſed etiam mulieres, ut ſuprà probatum eſt. Nec relativum *Qui* excludit fœminas, ſed omninò eas concipit, & complectitur, non minùs, ac comprehendat maſculos. Si enim leges humanæ expreſſæ per relativum hoc comprehendunt fœminas, ut dicitur

312 *l. 1. ff. de verbor. ſignific.* quia maſculinum, ut dignius, concipit fœmininum, & hoc de mente Legislatoris, *inquit Gloſa ibidem*. Quare & leges divinæ eodem modo interpretari non debent, maximè in re tàm neceſſaria, & utili? Et ſi enim articulus in verbo *Qui* ſit præciſè maſculinus, ac proindè ex vi generis non dicat fœmininum, illum tamen comprehendit ex intentione Legislatoris, ut notat ibidem Gloſa, & ex ſenſu vero, & reali.

313 Quadrageſimo ſeptimò, adjungit rem manifeſtam; Circunciſioni nimirùm ſucceſſiſſe baptiſmum. Quomodò igitùr mulieres baptizari poſſunt, cum non fuerint circunciſæ. Eò magis, quia Chriſtus ordinavit baptizari in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti; ſub qua forma nulla legitur baptizata mulier. Quare non eſt legitimum baptiſma mulieribus. Prætereà ſubjungit, ſicut Chriſtianis Paulus indulſit Circunciſionem, quam Chriſtus non præcepit, ità in principio vitioſè conceſſus fuit baptiſmus mulieribus.

314 Contrà eſt, quia ſuperiùs ſub *num.* 193. hoc idem argumentum rejectum fuit, nam eſto Circuncifio ſit tantùm pro maſculis, non pro fœminis, quæ eo membro, quod circuncidebatur, carent, tamen Deus illis providit de alio remedio, quo tunc eis delebatur peccatum originale. Ideo non eſt immorandum, ſed certò, & firmitèr tenendum, baptiſmum ſucceſſiſſe Circunciſioni, & remedio illi, conſequentèr illum præceptum fuiſſe hominibus utriuſque ſexus; tàm enim fœmina, quàm maſculus ablui poſſunt ſpiritualitèr ab hoc peccato originali, imò & ab actualibus.

315 Quandò Chriſtus præſcripſit formam baptiſmatis, *Matth. ult.* 19. his verbis: *Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*

mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sub nomine *Omnes gentes* comprehendit tàm fœminas, quàm maſculos, nam ut erque terminus eſt generis communis maſculini ſcilicèt, & fœminini, & *gens* per ſe fœmininum; ergò in terminis noſtris comprehenduntur etiam fœminæ, quandò Deus dedit formam hujus Sacramenti contrà Adverſarium.

316 Circuncifio in lege veteri præcepta fuit, ut claris verbis habetur Gen. 17. 16. *Hoc eſt pactum meum, quòd obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circuncidetur ex vobis omne maſculinum.*
317 Quamvis autem Chriſtus non præceperit Circuncifionem, & Paulus ad Galat. 5.2. expreſsè dicat, quòd Circuncifio in lege gratiæ nihil prodeſt; & *Act.* 15. rejecta fuit à Gentilibus, qui convertebantur, per illud Concilium factum ab Apoſtolis, quod
318 ibi legitur. Nihilominùs Paulus, ut legitur *Act.* 16.3. circuncidit Timotheum ex patre Gentili, & matre Judæa, *propter Judæos, qui erant in illis locis*: ſcilicèt Liſtris, & Iconii. Id fecit Paulus non quia crederet, eam eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſed ne conturbaret Judæos, & animo proteſtandi, legem Moſaicam fuiſſe bonam, & à Deo datam, non verò, ut indicaret, per eam circuncifos ſalvari, cum in loco præcitato dixerit, eam nil prodeſ-
319 ſe hominibus; omnia enim legalia in morte Chriſti abrogata fuerunt, ut docent omnes Theologi cum D. Hieronymo, & Auguſtino. Lege Epiſtolam, quæ eſt 12. illius ad hunc, regiſtratam tom. 2. operum D. Auguſt. Hieronymus autem dicit tria. Primò, Cæremonias legales ceſſaſſe in morte Chriſti, ac proindè cæpiſſe eſſe mortuas, & mortiferas. Secundò, nihilominùs Apoſtolos illas uſurpaſſe non ſeriò, ſed fictè ſimulando eas, ut ſe accommodarent Judæis, & ut hac ratione eos converterent ad legem Evangelii, quo fine Paulus circuncidit Timotheum. Tertium, Paulum, nec Petrum peccaſſe ſimulando ritus Judæorum. Hanc ſimulationem vult fuiſſe peccaminoſam, D. Auguſtinus contrà S. Hieronymum. *Vide Becanum de lege Moſaica quæſt.* 9. & 10.

320 Nota errorem Adverſarii, *Permeſſe S. Paolo à Chriſtiani la Circoncifione.* Id enim omninò falſum eſt, quia qui convertebantur ad fidem Chriſtianam, vel erant Hebræi, & ſic circuncifi, vel erant Gentiles, ut Timotheus; is autem quandò circunciſus fuit à Paulo, non erat Chriſtianus, quia Circuncifio neminem facit Chriſtianum, ſed ſolus baptiſma de non Chriſtiano, facit Chriſtianum; nullus ergo jam baptiſmate Chriſtianus effectus, poſtmodùm circunciſus fuit, ſed circuncifio præcedebat baptiſmum.

Deducitur ex dictis baptiſmum non vitioſè, ſed neceſſariò mulieribus collatum fuiſſe ab Apoſtolis, & aliis, quia præceptum fuit commune omnibus hominibus utriuſque ſexus.

321 Quadrageſimo octavò, proſequitur argumentum ſuum de baptiſmo contrà mulieres, concludendo ex dictis; ideò Apoſtolum gratias Deo egiſſe, quia multos non baptizaverat, & dicit miſſum fuiſſe ad prædicandum Evangelium, non ad donandum

 baptiſ-

baptiſmum. Et cum debeamus
judicare exemplis, ſed legibus,
exempla mulierum baptizatarum
nullius ſunt valoris.

322 Contrà eſt, quia inimici veri-
tatis, ut ille, nunquàm citant lo-
ca integra Sacræ Scripturæ, ſed
ea mutila referunt, ut aliqua
ratione evitent reſponſa, & poſſint
occultare ſuos errores, ne primo
intuitu tales appareant, quales
ſunt à parte rei. Si Adverſarius
Pauli totam ſententiam verbatim
protuliſſet, ſuum errorem palam
feciſſet omnibus. Inquit ergò S.
Paulus 1. ad Corinth. 1. à num. 11.
Significatum eſt enim mihi de vobis
fratres mei ab jis, qui ſunt Cloes,
quia contentiones ſunt inter vos.
Hoc autem dico, quòd unuſquiſque
veſtrum dicit: Ego quidem ſum
Pauli; ego autem Apollo; ego verò
Cephæ; ego autem Chriſti. Divi-
ſus eſt Chriſtus? Numquid Pau-
lus crucifixus eſt pro vobis, aut in
nomine Pauli baptizati eſtis? Gra-
tias ago Deo, quod neminem veſtrum
baptizavi, niſi Criſpum, & Cajum.
Ne quis dicat, quòd in nomine meo
baptizati eſtis; baptizavi autem &
Stephanæ domum, cæterum neſcio,
ſi quem alium baptizaverim. Non
enim miſit me Chriſtus baptizare,
ſed evangelizare.

Contendebant Corinthii inter
ſe, & diviſi erant, non ſervantes
unitatem pacis, & concordiam
inter ſe, nam aliqui dicebant ſe
diſcipulos Pauli, alii verò Ce-
phæ, quia ab hoc, & non ab illo
baptiſmum receperant, dividen-
tes Chriſtum in baptiſmate, quod
tamen omnibus dabatur in nomi-
ne, hoc eſt, in virtute, & aucto-
ritate Jeſu Chriſti, undè eos hor-
tatur, ut ſint concordes, & una-
nimes in eodem ſenſu, & ſenten-
tia, quia ſolius Chriſti eſt baptiſ-
ma, ſivè detur à Petro, ſivè ab
323 ipſo; ideò gratias agit Deo, quia
paucos illorum baptizavit, eis ſi-
gnificans, quòd Chriſtus miſit
eum magis ad prædicandum
Evangelium, quàm ad baptizan-
dum, cum alii ſint miniſtri depu-
tati ad baptizandum. Apoſtolus
ergò Domini ſe libentèr retrahe-
bat à baptizando, ut Corinthii
per hanc mortificationem remove-
rentur à Contentionibus, & Schiſ-
matibus, ut unius Chriſti Domi-
ni noſtri ſe filios per baptiſmum
recognoſcerent, & non Apolli,
aut Cephæ, nec Pauli.

Hæc probantur à S.S. Patribus,
S. Ambroſ. *Gratias agit Deo, quia*
non multos ex illis baptizavit, ne,
quia error ab hac receperat, ex no-
mine ejus error eſſet in plurimis, per
hoc arguens & baptizantes, & ba-
ptizatos, qui ad injuriam Salvato-
ris, baptiſmatis ejus gratiam homi-
nibus deputabant, illis diſſimulanti-
bus gloriæ cauſa. S. Auguſt con-
324 trà Petilian. inquit: *Perfectè ba-*
ptizare etiam minus docti poſſunt,
perfectè autem evangelizare multò
difficilioris, & rarioris eſt operis.
S. Thomas planè rem declarat
hìc: *Dicendum eſt, quòd Chriſtus*
Apoſtolos miſit ad utrunque, ità ta-
men, quòd ipſi per ſeipſos prædica-
rent (ſecundùm quòd ipſi dicebant
Act. 6. Non eſt æquum relinquere
nos verbum Dei, & miniſtrare men-
ſis) baptizarent autem per inferio-
res miniſtros, & hoc ideò, quia in
baptiſmo nihil operatur induſtria,
vel virtus baptizantis; nam indif-
ferens eſt, utrum per majorem, vel
minorem detur baptiſmus: ſed in
prædicatione Evangelii multum ope-
ratur ſapientia, & virtus prædi-
cantis, & ideò prædicationis officium

per

per ſeipſos Apoſtoli tamquàm majores miniſtri exercebant. Hinc ergò cauſam habes, cur Apoſtoli magis prædicabant, quàm baptizarent, aliis miniſtris reliquentes id munus.

Deducitur ex his, Paulum non ceſſaſſe baptizando præſertim mulieres, quia ab initio vitiosè fuerint baptizatæ, ſed quia munus Apoſtolorum fuit magis evangelizare, quàm baptizare, & ad removendum ab eis ſchiſma inter baptizatos ortum, dum honorem Chriſto tribuendum jactabant ſe, dirigendo illum in gloriam baptizantium.

Adverſarius in 45. argumento, quod ſuprà *num.* 299. rejecimus, quærit à Catholicis præceptum, & exemplum de Chriſto, aut Apoſtolis, quòd Sacram Communionem porrexerint mulieribus, & ait, nullum inveniri, licèt mentiatur, ac proindè negat eam mulieribus; conſequentèr judicavit à negativa exempli; modò in præſenti argumento rejicit exempla de mulieribus baptizatis, dicendo eſſe legibus judicandum, non exemplis; mendacem oportet eſſe memorem, ſed hæreticis, qui pleni ſunt mendaciis, non expedit memoria, quia ex contradictionibus magis convincerentur, ideò poſtpoſita memoria, & conſonantia in ſuis dictis mendacia, & errores palliare conantur.

325 Exemplis non eſt judicandum, *l. Sed licèt, ff. de off. præſid. l. Nemo, C. de ſent. & interloc. cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat.* explicat *Thomaſet. Reg.* 110. procedere in malis exemplis, & in practica erronea judiciorum. *Cæpolla conſil.* 18. *Statutum col.* 3. procedere, quandò res in contrarium eſt certa, non verò in caſu dubio. *Alex. lib.* 6. *conſil.* 150. *In cauſa num.* 7. intelligit, quandò legibus conſtat, veritatem eſſe in contrarium, cum aliis citatis *Barboſa Axiom.* 86. *num.* 3. Manifeſtum autem eſt, baptiſmum eſſe præceptum non ſolùm maſculis, ſed etiam fœminis, ideò contrà negantes id, adduci poſſunt exempla fœminarum baptizatarum, cum de hac veritate conſtet, & exempla noſtra, uti deducta ex Sacra Scriptura, præcisè exempla non ſunt, ſed auctoritates in lege expreſſæ, & ideò factum dicitur probari potiùs lege, quàm exemplo.

326 Quadrageſimo nonò, ſibi objicit hoc argumentum. Chriſtus poſt reſurrectionem primùm mulieribus ſe oſtendit; ergò ad illas pertinet. Reſpondet, Chriſtus in ſua nativitate fecit ſe videre Bovi, & Aſino; ergò hæc bruta pertinent ad Chriſtum. Non conſiderant iſti paupetes ignorantes, Chriſtum primò apparviſſe mulieribus ea ſolùm ratione, ut ejus reſurrectio celeritèr ubique publicaretur, quia mulieres cum ſint loquaces, quicquid ſciont, ſtatim divulgant per totam civitatem. Additur, quòd mulier jure divino, & humano repellitur à teſtimonio; noluit ergò Chriſtus mulieres in teſtes ſuæ reſurrectionis. Et ideò Thomas Apoſtolus aliis diſcipulis noluit credere reſurrectionem Chriſti, eo præcisè, quod ſciebant eam ab ore fœminarum, & nonnulli alii diſcipuli credebant, eas delirare. Imò ità Chriſtus primò apparvit fœminis, ut non permiſerit ab eis cognoſci, etſi propè eas eſſet, quia nec propria mater potuit eum cognoſcere,

ſcere, ſed eum hortulanum judicavit, & poſtquàm eum cognovit, ei non fuit permiſſum illum tangere. Hinc naſcitur, Chriſtum volviſſe mulieres honorare poſt ſuam reſurrectionem.

Contrà eſt, quia tàm bruta, quàm mulieres pertinent ad Chriſtum, quia omnium eſt Dominus, undè de brutis dicitur Iſaiæ 1. 3. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui*. Ap-
328. parvit Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem mulieribus, quia ad eas pervenit, apparvit brutis, quia in medio eorum natus eſt, & ideò ad bruta non venit, ſicut ad mulieres, quia venit quærere, quod perierat; ſolus autem homo perierat propter peccatum, ideò ad hunc pervenit, quia Chriſtus vult omnes homines ſalvos fieri; apparitio ergò Chriſti ad mulieres ordinabatur ad earum ſalutem, & ad maſculorum redemptionem, & ideò dicitur Matth. 28. 10. *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Et notandum eſt, quòd, nato Domino, nulla fit mentio de brutis in Evangelio Lucæ 2. nec aliorum, ubi præſepe tantùm nominatur, & Angelus non brutis, ſed paſtoribus annuntiavit nativitatem Chriſti: *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Domi-*
329 *nus*. Nota ea verba *omni populo*, eſt autem populus multitudo juris conſenſu, & concordi communione ſociata, compoſita ex omni genere perſonarum utriuſque ſexus; ergò gaudium natalis Domini refuſum fuit in omnes homines, tàm fœminas, quàm maſculos. *Omni populo*, nonnè ſufficiebat dicere *populo* ſinè additione ſigni univerſalis? Sufficiebat quidem, ſed Spiritus Sanctus prævidens cavillationes hæreticorum, voluit occurrere eorum inſaniæ, declarando, Chriſtum eſſe natum pro omnibus hominibus utriuſque ſexus, quia Deus vult ſalvos fieri omnes homines, ideò dixit, *Omni populo* futurum eſſe gaudium magnum nativitatem Domini. Solis hominibus maſculis, & fœminis nuntiatum fuit hoc magnum gaudium, & non animalibus brutis, inter quæ natus erat, quia illi tantùm ſunt capaces redemptionis, & ſalutis æternæ.

Ex his patet, quomodò Chriſtus pertineat ad mulieres, & quomodò ad bruta: nam utrumque eſt Dei creatura, quam per Chriſtum produxit in rerum natura, ideò bruta cognoverunt ſuum Dominum, & poſſeſſorem, cognoverunt & homines, maſculi, & fœminæ, pro quarum redemptione, & ſalute venerat in mundum, non pro brutis, & idcircò hac ratione mulieres pertinent ad Chriſtum, non bruta, quæ ideò non fuerunt nominata in Evangelio.

330 Verum quidem eſt, quòd mulieres ſunt garulæ, & propalatrices ſecretorum, & occultorum, quæ ad earum aures perveneruni; mulieres autem, quæ erant Chriſti diſcipulæ, humiles erant, & prudentes, quibus Chriſtus primò apparens, commiſit ſuæ reſurrectionis manifeſtationem, quia eam crediderunt nihil hæſitando; hunc honorem à Chriſto receperunt; undè ait D. Hieron. *Primæ mulieres merentur audire. Avete, ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus ſolveretur*. S. Hilarius: *In*

contra.

contrarium autem ordo cauſa principalis eſt redditus, ut quia à ſexu muliebri cæpta mors eſſet, ipſi primum reſurrectionis gloriæ, & viſus, & nuntius redderetur. S. Petrus Chryſol. ſerm. 80. 10. *Mulieres intrant ſepulchrum, ut fierent ſepulturæ participes, ſociæ paſſionis; exeunt de ſepulchro, ut ante fide reſurgerent, quã reſurgerent carne.* Demus quoq; Chriſtum præcepiſſe mulieribus, ut Apoſtolis nuntiarent ejus reſurrectionem, ut citò ſciretur ubique. Quid indè? Per hoc ne infertur, eas non fuiſſe de ſpecie hominum, aut eas non fuiſſe, nec eſſe capaces ejus reſurrectionis? Nequaquàm, imò id ſequitur, quia ſuam reſurrectionem per eas primo publicavit, ut perverſi, & ignorantes hæretici ſcirent, Chriſtum paſſum fuiſſe etiam pro mulieribus, quibus primò ſuam reſurrectionem revelare dignatus eſt.

Dicit inimicus veritatis, quòd mulieres jure divino, humanoque repelluntur à teſtimonio ferendo, ignorat iſte, vel fingit leges ignorare, ut ſua deliramenta liberiùs foveat. Certum enim eſt, quòd jure divino nulla eſt prohibitio
331 contrà mulieres, ne ferant teſtimonium, ac proindè teſtificari poſſunt, ex eo, quòd edictum de teſtibus eſt prohibitorium, ideſt, nulla perſona repellitur à teſtimonio, niſi lege aliqua prohibeatur, jure autem divino nulla mulier interdicitur à teſtimonio.

332 Neque jure humano Cæſareo mulieres interdicuntur à ferendo teſtimonio, imò admittuntur expreſsè per *l. Ex eo* 18 *ff. de teſtibus*, excepta cauſa teſtamenti, *l. Qui teſtamento*, *§. Mulier ff. de teſtam.* Prior lex refertur *cap.* 2. 15. *q.* 3. *ubi Gloſ. V. Teſtimonium*, ubi ait, mulierem ſecundùm leges in omni cauſa poſſe teſtificari, ſivè ſit civilis, ſivè criminalis. Secundùm Canones verò in nullo crimine poteſt teſtificari, niſi in exceptis, ſed in civilibus poteſt teſtificari. *Vide Gomez tom.* 5. *Variar. cap.* 12, *Julium Clarum q.* 29. *Salcedo in pract. crimin. cap.* 128. Infertur ergò ex his in cauſis civilibus nullum ſanæ mentis repellere mulierem à teſtificatione, ex quo nec Chriſtus repulit ſanctas mulieres, ſed eis mandavit, ut nuntiarent, & eſſent teſtes ſuæ reſurrectionis diſcipulis, & cæteris fidelibus. Mendax ergò eſt ſacrilegus hæreticus iſte, dum dicit, Chriſtum nolviſſe mulieres in teſtem ſuæ reſurrectionis, cum textus Evangelii ſit contrà ipſum.

333 Thomas nolvit quidem credere reſurrectionem ſui Magiſtri, non ex eo, quòd relata fuerat à mulieribus, ut falſò dicit Adverſarius, ſed quia erat pertinax, & obſtinatus in errore ſuo, dum nec etiam diſcipulis credidit; dicit enim Textus Joan. 20. 25. *Niſi videro &c. non credam*; undè Chriſtus, poſtquàm ſe illi oſtendit 27. dixit: *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Infidelitas ergò Thomæ provenit ex ejus pertinacia, non ex nuntio mulierum; non enim dixit Thomas: *Non credam*, quia mulieres narraverunt, ſed *niſi videro &c.* Et per hanc eandem cauſam ſuæ incredulitatis nolvit credere aliis diſcipulis, non quia eorum teſtimonium non eſſet verum, & legitimum, ſed quia erat pertinax, & obſtinatus in ſuo errore, nolebat fidem in teſtem, ſed videre volvit, an ità eſſet, ſicut ſibi narrabatur. Teſtimonium

ergò

Digitized by Google

ergò reſurrectionis tàm mulierum, quàm diſcipulorum fuit legitimum, & verum, quia viderunt; Thomas verò, quia non viderat, pertinax erat, ejus obſtinationem ſuſtulit viſus, & tactus, quod non fecerunt alii Apoſtoli contenti de viſu. Undè S. Gregorius Homil. 26. in Euang inquit: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur.* Thomas igitùr noluit credere nec diſcipulis, nec mulieribus; ſicut autem ex hoc non arguitur aliquid contrà diſcipulos, nec contrà mulieres, cum defectus non credendi non proveniat ex infirmitate teſtium, ſed ex imperfectione non credentium.

335 Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem *apparvit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*, Marci 16. 9. & dum fleret ad monumentum, interrogata ab Angelis de cauſa fletus, reſpondit eis: *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum: Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem, & non ſciebat, quia Jeſus eſt.* Joan. 20. 14. Non cognovit Jeſum, quia propria cognitione independentèr à Deo cognoſcere Chriſtum reſurrectum non poterat, *quia ſine me nihil poteſtis facere*, ideò neceſsè fuit, ut à Chriſto priùs vocaretur, infundendo ſui cognitionem in ejus corde, & mente, undè in vocatione eum novit; ut dicitur ibidem num. 16. *Dicit ei Jeſus: Maria. Converſa illa dicit ei Rabboni.* Non poterat Maria cognoſcere Chriſtum poſt reſurrectionem, niſi mutua converſione primò Chriſti illuminantis Magdalenam, ſecundò Mariæ ad Chriſtum, ut perficeretur cognitio novi myſterii reſurrectionis. Eodem modo Apoſtoli cognoverunt Chriſtum, nam primo aſpectu *exiſtimabant ſe Spiritum videre*. Lucæ 24. 37. poſtmodùm à Chriſto edocti, & illuminati cognoverunt, ſuum Magiſtrum reſurrexiſſe. Patet ex his, Diſcipulos, & Mariam parem habuiſſe ignorantiam ſui Magiſtri in cauſa reſurrectionis, dum ſibi præſentem a facie ad faciem non cognoverunt. Si quid contrà mulieres infert Adverſarius, cur & idem non dicit contrà diſcipulos, cum par ſit cauſa loquendi? Non tantùm ergò permiſit Mariam ſe cognoſcere, ſed illam cum aliis illuminavit, ut eum agnoſcerent, quem virtute propria cognoſcere non poterant; oculi enim eorum erant gravati propter dubitationem, ſecundùm S. Gregorium: *Maria, quæ adbuc de Domini reſurrectione dubitabat, converſa retrorſum eſt, ut videret Jeſum.*

Subjungit: *Perche ne anche la propria Madre potè conoſcerlo, mà lo giudicò un' Hortolano, & doppo conoſciutolo non le fù permeſſo il toc-*
336 *carlo*. Maria mater ejus in actis reſurrectionis non legitur, tamen indubitatum eſt, primò matri apparviſſe. Maria autem, de qua fit mentio in Evangelio, eſt Magdalena cum aliis duabus, Maria Jacobi, & Maria Salome,
337 Marci 16. 1. & 9. *Apparvit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*. De illis, & aliis mulieribus Lucæ 24. 10. De Maria autem, quæ exiſtimabat,

ſe Hor.

ſe Hortulanum videre, loquitur *Joan.* 20. *à num.* 11. *ad* 19. ubi dicitur, quòd erat Maria Magdalena, non Maria mater, quæ dixiſſet Angelis: *Tulerunt filium meum &c.* Non verò: *Tulerunt Dominum meum*. Nec vocaſſet eum Rabboni, hoc eſt Magiſtrum, ſed *Filium meum*. Et ità omnes Sancti Patres ſentiunt. Non poterat aliter dicere Adverſarius, quia proprium eſt hæreticorum errare, & unum pro alio putare.

338 Sed cur dixit: *Noli me tangere*. Joan. 20. 17. cum dicatur Matth. 28. 9. *Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt*. Dixit ſimpliciter, ne tangerent illum, ſed poſteà permiſit tactum humilitatis ſuorum pedum. Probibuit tactum, quia fides non tactu perficitur, ſed cordis affectu, & auditu Magiſtri. Undè S. Auguſt. tom. 3. lib. 1. de Trinit. cap. 9. inquit: *Noli me tangere, nondùm enim aſcendi ad Patrem meum; tactus enim tamquàm finem facit notionis, ideoque nolebat in eo eſſe finem intenti cordis in ſe, ut hoc, quod videbatur, tantummodò putaretur*. Idem tom. 9. ſerm. 121. hic: *Noli me tangere, ideſt, noli in me ſic credere, quemadmodum adhuc ſapis*. Quaſi diceret: Noli me tangere, quia perdes meritum fidei de mea reſurrectione, quam debes credere ſinè tactu experientiæ, juxtà illud S. Gregorii Homil. 26. in Evang.

339 *Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Experientia ergò tactus non fuit neceſſaria Magdalenæ, ſed ſatis fuit, quòd Chriſtus ſe illi demonſtravit vivum.

Ex his apparet, ex ſacra Hiſtoria fidelitèr intellecta, probari Mulieres eſſe de ſpecie hominum, & cum hominibus eiſdem manifeſtatam fuiſſe reſurrectionem Chriſti ab ipſo Domino reſurgente, ut certificaret nos, paſſum fuiſſe, & reſurrexiſſe non ſolùm pro maſculis, ſed etiam pro fœminis, cum pro utriſque ſanguinem ſuum fuderit.

340 Quinquageſimò, affert argumentum pro fœminis, quæ ità loquuntur: loquimur, diſcurrimus, & animam rationalem habemus; ergò ſumus de ſpecie hominum. Negat hæc omnia, quia plures aves inveniuntur loquentes. Aſina Balaam locuta fuit, & non fuit de ſpecie hominum. Loqui ſinè ratione, & ſinè propoſito aliud non eſt, quàm non loqui. Quòd autem mulieres loquantur ſinè ratione, & extrà propoſitum, clarè cognoſcitur. Præcipit eis Apoſtolus, ne loquantur in Eccleſia, quia ſi loquerentur rationabilitèr, & non ut belluæ, non eſſet rationabile, ut tacerent, nec id eſſet illis prohibitum. Leges prohibent illis publica officia, non admittuntur ad conſilia, ad juriſdictionem, adoptionem, interceſſiones, procurationem, tutelam, ad teſtamenta, ad criminales cauſas, alia ratione, niſi quia carent diſcurſu, & anima rationali. Et non reciperent hoc impedimentum à ſexu, quandò haberent rationem. Nec alicubi legitur, Deum inſpiraſſe animam mulieri, imò Anabaptiſtæ publicis ſcripturis docent, mulieres non habere animam.

341 Contrà eſt, quia quamvis contrà negantes principia non ſit diſputandum, cum ea ſupponantur,

 & luce

& luce meridiana clariora ſint, nihilominùs ad detegenda eorum ſophiſmata, & errores contrà illos agendum eſt, maximè hæreticos, qui omninò exterminandi ſunt cum eorum hæreſibus.

Initio hujus opuſculi multis oſtendi mulieres habere animam rationalem, ſicut habent cæteri homines, hoc ipſo, quòd probavi illas eſſe de ſpecie hominum, magis autem ſingularitèr oſtenditur modò auctoritate Sacræ Scripturæ. *Vide ſuprà* 289.

342 Primò, mulier habet eandem ſpecie animam, ſcilicèt rationalem, qua conſtat maſculus homo. Gen. 2. 7. *Formavit igitùr Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Nomine *hominis* hìc venit ille, de quo in præcedenti cap. 1. 27. dixerat: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem ſuam creavit illum, maſculum, & fœminam crea-*

343 *vit illos.* Igitùr uterque factus eſt homo in animam viventem, fœtus ante animationem homo non eſt, ſed tunc fit homo, cum anima unitur corpori per ſui creationem, ut dicit S. Auguſt. tom. 10. ſerm. 145. *Tu homo es propter animam, & carnem.* Idem tom. 3. lib. de Spiritu, & Anima cap. 42. inquit: *Ex his filii generantur, quorum corpora ſerviente creatore formantur, & Deo inſpirante ſpiraculum vitæ animantur; ſpiraculum autem vitæ humanam animam intellige.* Quare non tantùm maſculus, ſed etiam fœmina à Deo animam rationalẽ habent; ſi enim anima maſculi eſt rationalis, etiam anima fœminæ, cum ſint ejuſdem ſpeciei, ut dictum eſt; ergò mulier habet animam rationis participem.

Secundò, idem docet Eccleſiaſticus 17. 5. *Creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi, conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos.* Clarum eſt ex his, tàm mulierem, quàm maſculum eſſe præditum à Deo anima rationali, & intellectuali, diſcurſiva, & conſultiva, ut hìc dicitur. Et quòd anima, de qua hìc, & in Geneſi, ſit rationalis in utroque, lege D. Auguſtinum *tom 3. lib. 7. de Geneſi cap 7. &* 8.

Tertiò, ex actibus humanis, qui à ſola anima rationali pendent, ut eſt orare, diſcere, eſſe prudens &c. colligitur has præſtantes mulieres eſſe de ſpecie hominum, & habere animam rationalem, à qua ſola illi actus procedunt. Judith orabat ad Dominum, ut legitur in ejus libro *cap.* 10. 10. *cap.* 12. 8 *cap.* 13. 6. per quam orationem obtinuit victoriam pro populo Dei, præciſo capite Holophernis. *Paulus* 1. *ad Corinth.* 11. mandat mulieribus, ut orent in Eccleſia velato capite, num. 5. 13. *Anna* 1. Regum 1. 10. *Amaro animo oravit ad Dominum, flens largiter, & votum vovit.* cap. 2. regiſtratur oratio, quam fecit ad Dominum. Mulier Abigail uxor Nabal dicitur 1. Reg. 25. 3. *Eratque mulier illa prudentiſſima.* Proverb. 19. 14. *A Domino autem propriè uxor prudens.* Eccl. 22. 4. *Filia prudens hæreditas viro ſuo.* Chriſtus Matth. 25. aſſimilat regnum cœlorum decem virginibus, quarum quinque ſunt prudentes, quæ cum ſponſo intraverunt ad nuptias, excluſis fatuis. Paulus 1. ad Timoth. 2.

11. inquit:

11. inquit: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione docere, aut mulieri non permitto*. cap. 5. 4. dicitur: *Diſcat primùm domum ſuam regere. Vidua ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die*. Quis erit tàm impius, ignorans, & inimicus veritatis, qui velit negare animam rationalem mulieribus, per quam conſtituuntur in eſſe hominis? Orant ad Dominum, ſunt prudentes, diſcunt, domum regunt; ergò habent animam rationalem, à qua procedunt illi effectus, qui aliam ſui eſſe cauſam habere non poſſunt.

344 Quædam aves propriè non loquuntur, ſed gariunt, ut quiſque peritus de quidditate locutionis judicabit; eſt enim loquela vox articulata prolata ab homine,
345 tàm fœmina, quàm maſculo, cum prævia imaginatione ſignificandi aliquid; priùs enim homo mente aliquid concipit, deindè exteriùs illud voce profert; ut enim inquit *Ariſt. lib. 1. de Interpræt. cap. 1*. Voces ſunt notæ earum paſſionum, quæ ſunt in anima, ſicut quæ ſcribuntur, earum, quæ ſunt in voce. Undè idem *Ariſt. 4. de Hiſtor. animal. cap. 9. & lib. 5. de Generat. anim. cap. 7*. docet, eſſe proprium hominis loqui, quia ipſe ſolùm ſuas voces articulat perfecto modo, cætera animalia modo imperfecto, & quaſi imperceptibili, nec ferè componibilis eorum articulatio, ſicut hominis, quæ componitur ex literis, ſyllabis, & dictionibus. Potiſſima autem differentia eſt, quia homo loquitur ex præconcepta re in mente, de qua vult loqui, & ſcit ſe loqui, quod eſt ratione uti, quod non poſſunt facere alia animalia, quæ ſonum edunt per vocem, à natura inſitam ſine labore, ignorantia ſe loqui, & ſci-
346 re. Pſitaci ergò, & Picæ, quæ nonnulla verba articulant, ex longo uſu acquiſierunt talem ſonum, & garitum, quia eorum lingua uti ſubtilis magis accommodatur articulationi, quàm aliorum brutorum, nunquàm tamen à viris doctis dicuntur propriè loqui, hoc eſt, cum ratione, & peritè
347 loqui. Homo verboſus dicitur garulus, quia inordinatè loquitur, & inconſideratè; undè Corvi, Picæ, & hujus generis bruta, quę voces imitantur humanas, non loqui, ſed loquaces nuncupatur, Ovid. lib. 3. de Triſtibus elegia 12. inquit: *Indociliq; loquax gutture vernat avis*. Nonnullæ ergò aves, ut Corvus, Pica, & Pſitacus proferunt vocem humanam ex jis, quæ audierunt, hominem igitùr imitantur in locutione, quia linguam habent ſatis accommodatam ſono humanæ vocis, non ideò tamen eorum locutio formalis eſt, hoc eſt, ex præconcepta mentis imaginatione, ſed materialis, ex quo ſonum edunt ſinè ratione.

Mulier igitùr propriè loquitur, non ut avis, ſed ut homo, quia anima rationali conſtat, ut de ſide notum eſt, & ratione probatum fuit, undè efficacitèr infertur eas eſſe homines, non obſtante, quòd aliqua bruta loquantur, ſeù veriùs imitentur vocem humanam, non loquuntur humano modo per motum rationis.

348 Aſina Balaam locuta fuit, Deo jubente, Numer. 22. à num. 22. & ſeq. *Aperuitque Dominus os Aſinæ, & locuta eſt: Quid feci tibi? cur percutis me?* Fuit ergò miraculum, quòd aſina ederet vocem

humanam diſtinctè articulatam; de qua *D. Aug. tom.* 10. *ſerm.* 103. Mulieres autem loquuntur non miraculosè, ſed naturalitèr quæ didicerunt ex uſu, & labore, & ideò argumentum hujus Aſini non facit ad rem.

349 Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. 34. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui*; quod repetitur 1. *ad Timoth.* 2. 12. non tamen negatur eis oratio in Eccleſia, *ibidem ad Corinth* 11. 5. & 13. Non prohibet mulieribus docere, quia dicat, eas eſſe extrà ſpeciem hominum, aut quia ſit inſipiens, & anima rationali carens, nam præcipit, ut mulier velato capite oret in Eccleſia, quod non permitteret, ſi eſſet ſinè anima, & incapax ſalutis. Prohibuit verò eis docere, quia ut dicit D. Dionyſius. *Communitèr ratio debilis eſt in fœminis, ſuntque nimis loquaces, & ad vanitatem proclives; ſermo quoque earum luxuriam potius incitat ſæpè, quàm devotionem, juxtà illud: Colloquium mulieris quaſi ignis exardeſcit.* S. Petrus Damianus ſerm. 4. *Benè per Paulum dicitur: Docere autem mulierem non permitto, quia nimirùm aliquandò à Sapientiæ tramite deviavit, deque rectitudinis, ſolidaque Sapientiæ ſuggeſtu cecidit, quam velut è ſuggeſtu viro, quæ non debebat, Eva ſuggeſſit.* Non convenit ergò mulieribus docere in Eccleſiis, ne loco diſciplinæ, & pietatis ſuccedat incentivum luxuriæ, nevè pro doctrina errores ſpargant in plebem. Hinc ſumo argumentum contrà Adverſarium, quòd ex hac prohibitione ſequitur, mulieres eſſe de ſpecie hominum, & habere animam;

350 non enim prohibitio docendi, legendi, & interpretandi ſit animalibus brutis, ſed ratione utentibus, quare ex hoc Apoſtoli interdicto infertur, mulieres habere animam rationalem, ac proindè eſſe de ſpecie hominum.

351 Verùm eſt, quòd mulieres arceantur à publicis officiis, non ea ratione, quam adducit mendax hæreticus, quia ſcilicèt carent diſcurſu, & anima rationali, probatum eſt hìc, mulieres habere animam rationalem, & diſcurrere, quantùm fert earum conditio. Prohibentur autem à publicis officiis, ut habetur *l.* 2. *ff. de regul. jur. cap. Mulierem* 17. 33 *q.* 5. Tùm quia publica officia dicuntur virilia. Tùm quia habere officium eſt ſignum ſuperioritatis; mulieres autem naſcuntur ſubjectæ viris. Tùm quia eſt inconſtans in ſuis operationibus; conſtantia autem multum neceſſaria in officialibus.

Ex eo igitùr, quòd mulieribus prohibentur officia publica, non benè infertur carere diſcurſu, & anima rationali. Tùm quia etiam infames arcentur homines ab officiis, & dignitatibus, & tamen ſunt, & remanent homines ex anima rationali, & diſcurſu.

352 Tùm quia ſi arcentur ſignum eſt, quòd capacitatem habent, ad regendum, & gubernandum; non enim lapis, aut aſinus dicitur prohiberi à regimine, ab exercendo officium publicum, quia inæptus eſt ad hæc, quæ ad eum pertinere non poſſunt ex incapa-

353 citate. Tùm quia Reginæ, quæ ſunt dominæ ſuorum regnorum, poſſunt ferre leges, & alia præſtare, quæ pertinent ad officium publicum, ut probat *Suarez lib.* 3.

lib. 3. *de legib. cap.* 9. *numer.* 8.

Dicit Adverſarius, nullibi legi Deum inſpiraſſe animam mulieribus. Oppoſitum uti verum, & de fide probavi initio hujus operis multis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & ſuprà ſub *num.* 289. & hic ſub *num.* 342. Proferat falſarius documenta, & ſcripturas Anabaptiſtarum, & eas uti mendaces, & falſas rejicimus, quia reverà nullæ inveniuntur pro ipſis.

354 Quinquageſimo primò probat, quia dato, quòd mulieres haberent rationalitatem, adhuc non probantur eſſe de ſpecie hominum, quia Angeli, & Dœmones habent animam rationalem, & tamen non ſunt de ſpecie hominum. Chriſtus omni divinitate corporalitèr eſt repletus ſecundùm Apoſtolum, nihilominùs Ebiooitæ negant, illam poſſe Chriſtum reddere Deum; ergò nec anima rationalis poterit facere de ſpecie hominum mulieres, quandò eam haberent. Advertit hoc doctiſſimus Cardinalis Hoſius, qui negavit, animam rationalem conſtituere hominem. Quia etiam beſtiæ habent animam rationalem, dum Deus ad illas nos remittit, ut diſcamus rationem, & prudeotiam: *Eſtote prudentes ſicut ſunt ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ*: ſimilitèr. *Vade piger ad formicam*. In ſumma ſola Dei cognitio conſtituit hominem in ſuo eſſe, de qua carent alia animalia. Et ſi quis præſumeret, mulieres tenere cognitionem Dei, neceſſarium quoque eſt, eis ab hominibus communicari, quia reperitur ſcriptum: Si mulier vult ſcire aliquid diſcat ab homine. Sicut ergò divintas à Patre communicata Chriſto, non facit Chriſtum Deum, ità nec cognitio Dei communicata mulieri, illam reddit hominem.

355 Contrà eſt, quia mendacium eſt dicere Angelos habere animam; nam D. Auguſt. tom. 1. lib. 1. Retract. §. Deindè, in fine, ait: *Quandoquidem nonniſi Angelos Sanctos intelligi volui, quos habere animas nuſquàm me legiſſe in divinis eloquiis canonicis recolo.* Idem repetit infrà §. Eodem tempore. Et de Angelis malis ibidem lib. 2. §. Eſt etiam. Ratio eſt, quia anima rationalis eſt forma eſſentialitèr conſtitutiva hominis, qui ſpecie differt ab Angelis; ergò ea Angelis competere non poteſt, alitèr ambo eſſent unum ſpecie. Et D. Thomas *p.* 1. *q.* 75.

356 *art.* 7. docet, animas, & Angelos differre ſpecie; ergò unum ſpecie conſtituere non poſſunt. Præterea ſecundùm eundem ibidem

357 *q.* 58. *art.* 3. Angeli non habent intellectum diſcurſivum, nec unum ex alio intelligunt, licèt unum per aliud intelligere poſſunt, non ergò habent animam rationalem, cujus primarius actus eſt diſcurrere.

358 Apoſtolus ad Coloſſenſ. 2. 9. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporalitèr*. Probat per hoc, Chriſtum eſſe Deum, quòd *D. Aug. tom.* 2. *ad finem Epiſt.* 57. ad Dardanum comprobat per eandem ſenteotiam. *Omnis plenitudo divinitatis*, quia eſt tota in toto Chriſto, & tota in qualibet parte corporis Chriſti, quia eſt perfectè Deus, ità quòd ei nihil deeſt divinitatis. *Corporalitèr* idcircò ei iohabitat, quia toti ejus corpori inexiſtit. *Aut certè corporalitèr*

ralitèr, dicit S. Aug. *dictum eſt, quia & in Chriſti corpore, quod aſſumpſit ex Virgine, tamquàm in templo habitat Deus*. D. Thomas par. 3. qu. 2. art. 10. ad 2. *Et per hunc modum dicitur plenitudo divinitatis in Chriſto corporalitèr inhabitare, quia unita eſt divina natura non ſolùm animæ, ſed etiam corpori*. Corporalitèr, inquiunt alii, ideſt, non figuratè, & per umbram, ſed verè, & realitèr. Vel tribus modis divinitas in Chriſto habitat, per eſſentiam, præſentiam, & po-
359 tentiam, *corporalitèr* quaſi per trinam dimenſionem. Inhabitat corporalitèr, quia incarnatio Verbi facta eſt cum unione divinitatis in carne, quæ eſt corpus, ſecundùm ſubſiſtentiam, & perſonam Verbi, ut ibi docent omnes cum eodem S. Thoma. Quòd Chriſtus ſit Deus, probatum etiam fuit ſuprà ſub *nu.* 295.

Ex eo igitùr, quòd Chriſtus eſt repletus divinitate, ſequitur neceſſariò, quòd ſit Deus, nam Chriſtus ſibi univit duas naturas totales, & perfectas; divinam ſcilicet, & humanam; & ſicut Chriſtus per humanitatem aſſumptam dicitur homo, ità per divinitatem ſibi unitam vocatur, & eſt Deus. Et reverà ità dicendum eſt, quod exemplo naturali firmatur; nam accidens inhærendo ſubjecto, illud formalitèr denominat; ex eo enim, quòd paries v.g. accepit albedinem, dicitur albus. Quare Chriſtus, qui ſuſcepit divinitatem, non eſt dicendus Deus?

360 Ebionitæ negant, non ſolùm Chriſtum eſſe Deum, ſed etiam divinitatem habere in ſe; qui enim negat unùm, de neceſſitate conſequentiæ debet & aliud excludere, qui enim negat Petro humanitatem, vel albedinem, negat quoque illum eſſe hominem, illum eſſe album, quia ex negatione abſtracti deſtruitur concretum, ſicut ex poſitione unius ponitur alterum, quia non datur effectus formalis ſine forma ſua, nec forma ſine ſuo effectu. Si ergò Ebionitæ concedunt divinitatem in Chriſto, neceſſariò, ſi congruentèr loqui volunt, debent concedere quòd ſit Deus. Ipſi autem utrunque negant, quia putant Chriſtum eſſe purum hominem, natum ex Joſeph, & Maria, quod tamen fides catholica damnat, quia natus eſt ex ſola Virgine filius Dei, & Deus de Deo vero.

Adverſarius ergò nihil colligere poteſt boni ex Ebionitis, niſi errorem, quem ipſi ſparſerunt. Reſtat ergò, quòd mulier ex eò, quòd habet animam rationalem, eſt homo, non minùs ac maſculus quilibet, habens animam rationalem; impoſſibile enim eſt, quòd forma in ſubjecto poſita, non producat ſuum effectum à ſe inſeparabilem; quandiù enim calor v.g. eſt in ligno, non poteſt lignum non eſſe calidum, ſic anima rationalis quandiù eſt in Maria, non poteſt ea non producere eundem effectum in ea, quam conſtituit hominem.

361 Inimicus veritatis Staniſlaum Hoſium Epiſcopum Vormienſē, poſtmodùm Cardinalem, & Præſidem in Concilio Tridentino irrationabilitèr calumniatus fuit, dum ei impinxit, quòd dixerit, animam rationalem non conſtituere hominem. Lege ejus opera, nihil invenies hæreticum contrà ipſum, qui vir doctiſſimus, & de Eccleſia

ſia

ſia benemeritus acritèr inſectatus fuit hæreticos Luteranos, & Calviniſtas.

362 Auſus eſt Adverſarius inſipiens tribuere belluis animam rationalem, ea occaſione, qua Chriſtus dixit Matth. 10. 16. *Eſtote ergò prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* De Formica Proverb. 6. 6. *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Ex his ſententiis putat ſe probaſſe in brutis eſſe animam rationalem, ſtultus quidem, & in omnibus inſipiens; aliud eſt diſcere aliquid à brutis, obſervando eorum vivendi modum à natura illis inditum, aliud eſt ex his inferre, illa eſſe anima rationali prædita, per quam operentur ad exemplum, & utilitatem homi-
363 num. Poteſt homo ab homine doceri, & diſcere, à cæteris verò animantibus, anima rationali carentibus, diſcere quidem poteſt, ſed non doceri; nuſquàm enim legitur, quemquàm doceri à brutis, utique verò diſcere ab eiſdem, ut patet in exemplo allato de formica, & Matth. 24. 32. *Ab arbore fici diſcite parabolam.* Nunquid ex his vir ne dicam ſapiens, ſed nec rudis colliget, formicam, aut arborem habere animam rationalem? Nequaquàm, docetur ergò homo ab homine verbo cum audit, & inſtruitur, vel facto, ſeù geſtis ejus, cum imitatur ejus bonum exemplum; diſcitur verò etiam à cæteris animantibus non verbo, quia carent inſtrumento locutionis inſtructivæ, ſed facto, imitando prudentiam ſerpentis, ſimplicitatem columbæ, & ſolertiam formicæ, quæ virtutes non ſunt, ſicut in nobis, ſed naturales earum affectiones, per quas homines excitantur ad virtutes.

364 Chriſtus ergò mittendo diſcipulos ſuos ad prædicandum, voluit, ut eſſent prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, non quia hæc animalia habeant animam rationalem; id enim falſum eſt, ut in confeſſo eſt apud omnes contrà hunc inimicum Dei, ſed ut imitarentur eorum affectiones naturales; undè S. Hieron. inquit: *Ut per prudentiam devitent inſidias, per ſimplicitatem non faciant malum. Et ſerpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita eſt, protegat. Ità nos toto periculo corporis, caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus, ideſt, fidem integram, & incorruptam ſervare ſtudeamus.* S. Remigius. *Ideò autem Dominus hæc duo ſociavit, quia ſimplicitas abſque prudentia facilè decipi poteſt, & prudentia periculoſa eſt, niſi ſimplicitate temperetur, alicui nocendo.* Chriſtus igitùr diſcipulis ſuis in prædicando commendat prudentiam, & ſimplicitatem, illa ne decipiantur, hac verò ne cuiquam noceant; una ergò virtus alteram coadjuvat. Exemplo igitùr ſerpentis, & columbæ diſcipulos fecit dociles, non verò rem commiſit animalibus brutis expertibus anima rationali.

Concludit autem, ſed ſinè ulla conſequentia, *In ſomma la ſola cognitione di Dio coſtituiſce l' huomo nel ſuo eſſere, della quale mancano*
365 *gli altri animali.* Cognitio hæc aut eſt Dei ad hominem, aut hominis ad Deum, priori modo

Dei

Dei cognitio eſt cauſa efficiens productiva hominis, & rerum omnium, ut omnes docent Theologi, & Sancti Patres, quod de fide colligunt ex Pſalm. 103. 24. *Omnia in Sapientia feciſti*. Iterùm Pſal. 135. 5. *Qui fecit cœlos in intellectu*, ideſt, per ſapientiam, ut explicant interpratres. Sapient. 7. 21. *Omnium artifex docuit me Sapientia*. Diſputant Theologi de modo, quo per ſapientiam creat omnia, quotuplex ſcientia Dei, naturalis, ſimplicis intelligentiæ, media, ſpeculativa, & practica, de quibus vide *S Thomam par. 1. q. 15. art. 8. D. Bonavent. 1. ſent. diſt. 18. ibidem alios*. Per hanc cognitionem ex parte Dei producitur homo extrà ſuas cauſas, in quo ſenſu non ſolùm homo, ſed etiam cætera animalia, & quæcunque creata à Deo dicuntur produci, & creari. Sed reverà homo hoc modo non dicitur propriè conſtitui, ſed tantùm creari, & tranſire de non

366 eſſe ad eſſe. Conſtitutivum autem hominis eſt id, quod illum componit in ſuo eſſe formali, hoc eſt corpus, & anima, ſecundùm compoſitionem phyſicam ex materia, & forma; vel metaphyſicam ex genere, & differentia, hoc eſt, ex animalitate, & rationalitate, quæ partes conſtituentes, intrinſecæ, & eſſentiales dicuntur manentes in compoſito; ac proindè cognitio Dei non poteſt hoc modo conſtituere hominem, quia ejus non eſt materia, nec forma, corpus ſcilicèt, nec anima, non genus, nec differentia, hoc eſt, animal, nec rationalitas, cum Dei cognitio non ſit materia, nec forma, genus, aut differentia, quæ uti partes dicunt imperfectionem, & rationem imperfecti, & potentiæ.

367 Poſteriori modo cognitio Dei accepta ſe tenet ex parte hominis, quatenùs ſcilicèt ipſe cognoſcit Deum ſuum conditorem, & creatorem, & per hanc cognitionem non conſtituitur in eſſe hominis, quia ſequitur ad ipſum, & multo tempore poſt illius exiſtentiam extrà ſuas cauſas, incipit eſſe in eo, dum paulatim incipit habere uſum rationis. Igitùr cum poſterius non conſtituat ſuum prius, hujuſmodi cognitio humana hominem non conſtituit in ſuo eſſe. Errat igitùr toto cœlo Adverſarius.

Addit, quòd ſi quis velit mulieres tenere cognitionem Dei, neceſsè eſt, quòd ab hominibus eis communicetur, ſecundùm Scripturam: *Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent*. 1. Corinth. 14. 35. Habes hinc, Adverſarium velle, hominem conſtitui in eſſe hominis per cognitionem hominis ad Deum, & non per cognitionem Dei ad hominem, utrunque tamen uti falſum rejectum fuit.

368 Mulier non ſolùm à viro, ſed etiam ab alia muliere diſcere poteſt, & doceri, quandò ab aliquo edocta fuit, ſicut vir docere non poteſt, niſi priùs ab alio didicerit. Mulieres ergò docent, & docentur ab aliis mulieribus, ut dicitur ad Titum 2. 4. de vetulis, *ut prudentiam doceant adoleſcentulas*. Sed quid indè? Mulier ſivè doceatur à viro, ſivè ab alia muliere, ſivè non, nonnè ſemper homo eſt ab inſtanti ſuæ conceptionis, quo tempore ſinè dubio eſt incapax diſciplinæ, quouſque incipiat habere uſum rationis.

Con-

Concluditur ergò ex his, cognitionem Dei nec hominem, nec mulierem conſtituere in eſſe hominis, cum non conſtet phyſicè ex Dei cognitione, ſed ex anima rationali, & corpore, ut in confeſſo eſt apud omnes. Ideò Adverſarius fruſtrà laboravit in perſuadendo oppoſitum.

369 Quinquageſimo ſecundò, ait, ſe nihili ducere ultimum refugium fœminarum, dum dicunt: omne ſimile gignere ſibi ſimile; ergò neceſſarium eſt, quòd mulier ſit homo, dum homines parturit. Quia ſi hoc eſſet verum, mentirentur Anabaptiſtæ, dicentes Chriſtum non eſſe verum Deum; ſiquidem ſi Pater genuit Filium, genuit eum Deum ſimilem ſibi. Quandò naſcitur filius pater parit eum ſimilem ſibi ipſi, nec mater conſideratur, quæ non eſt cauſa efficiens, ſed ſolùm inſtrumentum, quod, ut dicunt Phyſici, non addit aliquam formam diviſam proli, quæ naſcitur, ſed facit fœminam pater cum perſonis ſibi non ſimilibus, quia hæc monſtrum eſt, cum natura ſemper tendat ad perfectionem, vult potiùs creare maſculos, quàm fœminas, ut affirmant Philoſophi. Nec mirari debemus, quia ſicut ex equo, & à mulo naſcitur aſinus; à ſtercore Scarabei, à pinguedine pediculi, ità quandoque ſimile à ſimili non oritur.

370 Contrà eſt, quia argumentum, quod ſimile generat ſibi ſimile, validum eſt, ex quo planè deducitur, mulierem dici hominem, quia generat hominem.

Quod ait de Anabaptiſtis verum eſt, ſcilicèt, eos mentiri, quia Chriſtus eſt verus Deus, ut probatum fuit ſuprà ſub *num.* 358. Pater enim genuit filium ſibi ſimilem, quia ei communicavit propriam ſubſtantiam, per quam dicitur Deus; genuit ergò ſimile ſibi. Mentiuntur ergò Anabaptiſtæ cum ſuis ſequacibus.

371 Pater in humanis generat filium ſibi ſimilem, quia cum eo eandem in ſpecie habet animam rationalem, paritèr fœmina dicitur gignere filium, vel filiam ſibi ſimilem ob eandem rationem, quia perſona genita habet eandem naturam tàm animalem, tàm rationalem, qua prædita eſt perſona generans. Conſideranda ergò eſt etiam mater in generatione, ſivè concurrat efficientèr, ut probatum fuit ſub *num.* 10. ſivè ſubjectivè, ſivè inſtrumentalitèr; quovis enim ex his modis concurrat, partem habet in generatione; ergò & ipſa conſideranda eſt, dum ſinè ea generatio contingere non poteſt. Pater ergò dum generat fœminam, operatur cum conſorte ſibi ſimili. Nec mulier monſtrum eſt, ſed ejuſdem naturæ cum maſculo, ut non ſemel probatum, cur dicatur monſtrum, reſponſum fuit.

372 Natura non abhorret productionem ſexus fœminei, ſed utrunque ſexum ex æquo intendit, quia ejus finis eſt, ut propagetur genus humanum, & conſerventur individua ſub ſua ſpecie, quod fieri non poteſt, niſi ex generatione perſonarum utriuſque ſexus; uterque ergò ex æquo intenditur à natura. Quod ſi parentes deſiderent potiùs maſculos, quàm fœminas, id aliundè procedit, quia maſculi ſunt majoris utilitatis, & non ſubjacent periculis honoris, & famæ, ut juvenculæ, & potiſſimùm ea ratione, quia intendunt

propagationem ſuæ familiæ, quæ in maſculis conſervatur, non in fœminis, quarum natura eſt ad extraneorum prolem deſtinata.

Quod demùm ait, *da un cavallo, e da un mulo naſce un' aſino*,
falſum eſt, quia eſt mulus, qui
ex aſino, & equa naſcitur, ſecun-
373 dùm *M. Varrum lib. 2. de re ruſt.*
cap. 8. *Plin. lib.* 8. *cap* 44. quomo-
dò duo maſculi conjungi poſſunt
ad generationem? delirat ergò
quia inſipiens eſt. Quamvis in
his generatio non ſit univoca, ta-
men in generatione humana nullibi legitur editum eſſe animal, quod careat anima rationali. De monſtris autem curandum non eſt, quia natura ea non intendit.

Concludit tandem Adverſarius, ſe quinquaginta argumentis, & teſtimoniis irrefragabilibus Sacræ Scripturæ, probaſſe, mulieres non eſſe de ſpecie hominum, ac proindè illas eſſe incapaces Paradiſi. Subjungit, ſi ejus probationes ſunt fallaces, ſe ſatis demonſtraſſe univerſo mundo methodum, per quam hæretici noſtri temporis, præſertim Anabaptiſtæ, uſum habent explicandi Scripturam, & qualitèr ea utuntur ad ſtabilienda eorum execranda dogmata.

Jam ex hactenùs dictis ſufficientèr conſtat, tria eſſe probata. Primò, Mulieres eſſe de ſpecie hominum. Secundò, pro illis quoque, & non tantùm pro maſculis Chriſtum eſſe paſſum, & eorum omnium eſſe Redemptorem. Tertiò demùm, eaſdem, ſicut maſculos, eſſe capaces ſalutis æternæ, quam nobis omnibus maſculis, & fœminis Dominus omnipotens, & miſericors Chriſtus Dei filius, & Deus de vero Deo Patre concedere dignetur. Amen.

400.312

INDEX
RERUM MEMORABILIUM

Primus numerus indicat Meditationes, ſecundus verò numerum marginalem.

A

Abiron, & Datban terra deglutivit 5. 15.
Admiratio in miraculis diverſa ab aliis effectibus ſupernaturalibus inviſibilibus 19. 19.
Aeris qualitates, & miracula in eo 5. 41. *ad* 50. *Aer diviſus ſeipſo continuatur* 17. 4. & 5.
Agens nullum à Deo aſſumitur ſinè prævia forma congenita 2. 37.
Amentia quid ſit, & de miraculis in ea 7. 59.
Angelus facit miracula 2. 5. *quomodò malus* 2. 6. 7. & 8.
Angeli apparent hominibus, & loquuntur in corporibus aſſumptis 13. 6. *per illos Deus loquitur hominibus* 13. 13. & 14.
Angela Fulginas communicata ab Angelo 21. 7.
Angelinæ ſacellum lacrimatum ſanguinem 28. 5.
Anna uxor Helcanæ ſterilis concepit Samuelem 15. 15.
Anna uxor Joachim ſterilis peperit M. V. 15. 17.
Antichriſtus faciet miracula 2. 10 *ad* 12.
Antonii Paduani miracula 7. 59. *item* 39. 13. *item* 29.
Apoſtolorum miracula 2. 15. *virtute Chriſti illis communicata* 3. 8. *ſecuti Chriſtum ante miracula* 3. 10. *quomodò loquebantur variis linguis* 18. 15. *ad* 19. *à carceribus liberati micaculosè* 22. 3.
Apparere eſt ab alio videri 13. *Apparitiones miraculoſæ* 13. 2.
Aquæ miracula 5. 18. 40. *Aqua diviſa naturalitèr reunitur* 12. 27. *cur ſeipſa reunitur* 17. 5. *convertitur in vinum* 19. 9. & 12.
Arbores miraculosè germinantes 26. *Arbuſta ſylveſtria domeſticantur inſerto continuato naturaliter* 17. 4.
Argumentum à negativa non valet 34. 44. *à præparatoriis ad canonizationem non valet* 34. 51.
Aſcenſio Chriſti in cœlum miraculoſa 5. 48.
Aſina Balaam locuta 18. 8. *cur illa vidit Angelum, & non Balaam* 18. 9.
Aſſumptio Mariæ in cœlum miraculoſa 5. 48.
Auditus quomodò formetur in auribus, & aurium ſtructura 10.
Aures, & naſus naturalitèr reuniuntur 12. 29. *Chriſtus reſtituit auriculam Malcho* 12. 31.

B

Baculus S. Franciſci in arborem crevit 26. 11.
Beatificationis materia tractatur 34. *per totam, differt à Canonizatione* ibid. & 4. 12. *quæ miracula ad eam requirantur* 4. 13. *requirit teſtes, non præſumptiones* 32. 3.
Beatus præcedit Sanctum 34. 22.
Benedicti Sancti anima viſa volare in cœlum 12. 22. *Venenū ei non nocuit* 24. 2.

Bona

Bona ſtabilia legitimè poſſidentur in communi à religioſis 34. 36.
Brigidæ virginitas probatur ligno altaris virente 26. 10.
Bruno Sanctus liberat Rogerium à proditione 30. 5.
Bulla, & Decreta pro Beatificatione 31.

C

Cadaver cur ſupernatat 5. 20.
Cadere in ignem, vel ex alto ſinè læſione 30. 8. & 9.
Caiphas quomodò fecit miraculum 2. 60.
Calvinus nullum fecit miraculum 1. 45.
Cancer morbus incurabilis 7. 44.
Canonici non ſunt ſignificati 31. 72.
Canonizationis materia 34. *per totam, ejus cauſa eſt civilis* 32. 10. *Plenas requirit probationes per teſtes, non ex præſumptionibus* 32. 1. 2. & 3. *differt à Beatificatione* 4. 12. *quæ miracula ad eam requirantur* 4. 13.
Cantus miraculoſus 18. 20.
Campanæ, nullo trahente, ſonarunt in morte ſervorum Dei 18. 7.
Caput ſuum in manibus portat S. Dionyſius 17. 1.
Caput à membris diſcrepare licet, non membra à capite 34. 69.
Carcer quid 22. 1. *liberatio miraculoſa* 22. 3.
Cardinales non poſſunt formare proceſſum ſervorum Dei 31. 76. *nec canonizare* 34. 53. *multa illis probibentur, ſede vacante* 34. 54.
Charitas non eſt neceſſaria ad miracula 1. 41.
Caro converſa in piſces 19. 13.
Cathalogus Sanctorum 34. 10. & 21.
Catharina à Vino oleum multiplicavit 20. 7. *Catharina à Senis à Cinerum die ad Aſcenſionem ſinè cibo* 16. 9.
Cauſæ majores ad Papam 34. 41. & 58. *Phyſica, & moralis* 2. 25. *ad* 30. *ſecundæ excluduntur à miraculis* 7. 28.
Cauſa miraculorum favorabilis, & civilis 31. 97.
Cæcus cur paulatim à Chriſto illuminatus 1. 29. *ſeptem cæcos Chriſtus illuminavit* 3. 14. *Unus erat cæcus natus* 3. 18. & 7. 6.
Cæcorum illuminatio miraculoſa 8. *per totam.*
Celebratio miſſæ probatur per actus ſucceſſivos 32. 20.
Centenaria, qua ſervi Dei gaudent, quomodò numeretur 31. 105. & 107.
Centurionis puer ſanatus 7. 6.
Chirurgo credendum 7. 22.
Chiragra quid ſit 7. 56.
Chriſti miracula 2. 14. *etiam in paſſum diſtant* 2. 38. & 61. *Chriſtus, & Jeſus differunt in modo ſignificandi* 3. 1. *habet poteſtatem faciendi miracula* 3. 2. *finitam* 3. 5. *eam communicavit Apoſtolis* 3. 6 *per miracula probabatur Deus* 3. 7. & 36. *item* 4. 9. *primum ejus miraculum in Cana Galileæ* 3. 13. *illuminavit ſeptem cæcos* 3. 14. *quatuor Mutis reſtituit loquelam* 3. 21. *lacrimavit bis* 3. 22. *dæmones ejecit* 3. 23. *ut homo Dominus diverſorum* 3. 24. *tres mortuos revocavit ad vitam* 3. 28. *ambulavit bis ſuper aquas* 3. 33. *de aliis miraculis* 3. 34. *transfiguratio ejus miraculoſa* 12. 21.
Chriſtus ambulavit ſuper mare 5. 31. *cur ambulavit immediatè ſuper aquas, nullo ſuppoſito pallio* 5. 35. *in eo duæ operationes naturalis, & ſupernaturalis* 4. 7. *apparet hominibus non deſerens cœlum* 13. 17. *convertit aquam in vinum* 19. 9. *panes multiplicavit* 20. 5. *ejus transfiguratio miraculoſa* 20. 10. *Corpus Chriſti illo triduo incorruptum non naturalitèr, ſed per gratiam* 25. 6. *ficulnea à Chriſto areſacta* 26. 7. *Chriſtus habebat ſcientiam infuſam, & acquiſitam* 27. 3. *doctrina mea non eſt mea, explicatur* 27. 4.
Chriſtus cauſa omnium Sanctorum 34. 83. *habet plenitudinem gratiæ* 34. 84.

aperuit

aperuit januas cœli 34. 85.
Cicatrix remanens non tollit miraculum 7. 24.
Cyprianus Sanctus inciderat in hæreſim 34. 76.
Clara B. de Agolantibus deguſtat cœleſtem liquorem 21. 6. de Montefalco communicata ab Angelo 21. 8.
Claudus ſanatur locutione mulieris mutæ 2. 36. alter claudus ſanatur à S. Petro 7. 19.
Coletæ B. miraculum de pane aucto 20. 8.
Collegium Cardinalium non poteſt canonizare 34. 53. multa eis prohibentur, ſede vacante 34. 54.
Cometa quid ſit 5. 49.
Conceptionis immaculatæ miraculum 5. 73. Bulla Gregorii X. de illa habet quandam ſpeciem canonizationis 34. 45. & 46.
Concilium Generale non poteſt canonizare 34. 49. nec formare proceſſum ſervorum Dei 31. 75.
Condemnatus quomodò miraculosè liberatur 30. 12.
Converſio quid ſit, & de miraculoſa 19. 1. ad 6. quid tranſubſtantiatio 19. 16.
Conradi Sancti miracula 19. 13. item 21. 4.
Conſulendi actus eſt facultativus 34. 64.
Corpora aſſumpta à ſpiritibus non ſunt vera, ſed aerea 13. 16. Sanctorum corpora incorrupta 25. 13.
Corruptio quid, & quotuplex 25. 1. & 5. materia cum contrariis cauſa corruptionis 25. 2. homo naturalitèr corruptibilis, per gratiam ante peccatum erat incorruptibilis 25. 4. incorruptio corporis ſignum ſanctitatis 25. 11.
Creatio mundi non eſt miraculum 1. 47.
Credere miraculis 1. 39. credens per miracula fidei meritum non habet 1. 54. credere teſtibus eſt Judici arbitrarium 32. 15.
Cultus publicus ille dicitur, qui ab Eccleſia indicitur 31. 129. communis eſt Beatis, & Sanctis 34. 33.

D

Daniel Eremita paſcitur beſtia ab Angelo 21. 11.
Dathan, & Abiron terra deglutivit 5. 15.
Debilitas remanens non tollit miraculum 7. 24.
Decreta de ſervis Dei 31. per totam.
Delegatio quandò ſpirat 31. 74.
Delegatur cauſa canonizationis 34. 43.
Dementia quid ſit. S. Antonius dementem ſanavit 7. 59.
Dæmon non facit miracula, ſed mirabilia 2. 6. quomodò ejus miracula differunt à miraculis Sanctorum 2. 7. quomodò ad ea concurrit Deus 2. 8. cur Deus ea permittat 2. 9. non illuminatur in ſuis propbetiis 14. 16. Dæmones ejecit Chriſtus 3. 23. ejecti à Sacerdotibus miracula ſunt 3. 26. & 27. dæmones linguam hominis ligant, & ſolvunt 9. 17. Dæmon tentare poteſt, ſed non cogere 30. 16.
Devorare eſt citò deſtruere 5. 62.
Deus ſolus facit miracula 2. 1. non eſt teſtis falſorum miraculorum 2. 57. quomodò utatur bonis, & malis ad miracula 2. 59. facit illa miniſterio hominum, & Angelorum 2. 63. Homo Dei, & Vir Dei differunt 12. 18. plus operatur liberè, quàm neceſſariò 12. 52. vocat ea, quæ non ſunt, ſicut quæ ſunt 12. 54. quomodò appareat hominibus, & illis loquatur 13. 4. Quid ſit Deum videre, & non videre 13. 4. ad 15.
Dignitate conſtitutus quis dicatur 31. 71.
Dionyſius Areopagita ſuum caput manibus portavit 17. 1.
Diſpoſitiones quædam præveniunt miracula 2. 23. 34. & 64.
Diuturnum dicitur à diù, etiam eodem die 7. 9.
Dolor in ſanatione infirmi non tollit miraculum 7. 29. Dolor capitis, & dentium ſanatur naturalitèr 7. 52. Dolorem non ſentiens tortus, vel vulneratus

tur 30. 11.
Domeſtici quinam dicantur 32. 25.
Donum eſt res à Deo gratis data 21. 1.

E

ECcleſia tantùm habet miracula 1. 44.
Ecclipſis Solis, & Lunæ quomodò fiant 6. 3.
Ecſtaſis quid ſit 5. 44. *ad* 48.
Effectus alii communes cauſis primæ, & ſecundæ, alii ſolius Dei 1. 26. *à diverſis actionibus provenire poſſunt* 12. 47. *eorum unitas non neceſſariò pendet ab unitate actionis* 12. 55.
Elementorum miracula 5.
Elias reſuſcitat mortuum 12. 16. *jejunavit* 40. *dies, & noctes* 16 8. *paſcitur à corvis* 21. 2. *adhuc vivit* 25. 15.
Eliſabeth uxor Zacbariæ ſterilis concepit Joannem 15. 16.
Eliſabeth Regina Portugalliæ convertit aquam in vinum, & roſas in pecuniam 19 14.
Eliſeus reſuſcitat puerum mortuum 7. 30. *duos mortuos* 12. 10. *ad* 21.
Energumeni miraculosè liberantur 11.
Epilepſia quid ſit 7. 34. *ad* 37.
Epiſcopi formant proceſſus ſervorum Dei 31. 68. *delegare eorum factionem* 31. 69. *poſſunt judicare de miraculis* 31. 79. *non tamen ea publicare facta à nondùm beatis* 31. 80. *non poſſunt canonizare* 34. 39. *Papa eis poteſt delegare canonizationem* 34 43.
Eucbariſtiæ ſpecies corrumpuntur, nutriunt, & ex illis aliquid generatur 16. 12. *ad* 17. *Angeli communicarunt Beatas Angelam, & Claram* 21. 7. & 8. *conſecratæ ſemper à Sacerdote* 21. 10.
Exercitus armatorum viſus in aere 5. 43.
Excutere flammam ignis eſt ſuſpendere ejus combuſtionem 5. 70.
Ezechiæ vita prolungata 6. 14. & *ſanatus ab ulcere cum ficis* 6. 19.

F

FAma publica facit ſemiplenam probationem 32. 7. *Exprimendum eſt in ejus probatione Fuit, & Eſt.* 32. 9.
Febricitantes ſanati 3. 34.
Febris quid ſit 7. 59. *Tertiana, & quartana naturalitèr ſanantur* 7. 50.
Felix 11. *Tharſillam neptem vocavit ad cælum* 12. 23.
Ferrum ſupernatat 5. 36.
Ficulnea à Chriſto areſacta 26. 7.
Fidelibus non dantur miracula ſed infidelibus 1. 51. *item* 4. 10.
Fides neceſſaria in miraculizando 1. 36. *item* 3. 25. *cur comparetur grano ſinapis* 1. 37. *ad definiendum aliquid de fide miracula non ſunt neceſſaria* 1. 42. *item* 4. 11. *diminuitur ex miraculis* 1. 54.
Finis miraculorum bonus 1. 9.
Fiſtula quid ſit 7. 44.
Fluxus ſanguinis 7. 11. & 48.
Fornax Babylonis pueros non contriſtavit 5. 69. *nec Sanctum Franciſcum de Paula combuſſit* 5. 71.
Franciſcus Sanctus 30. *mortuos reſuſcitavit* 12. 5. *ejus anima viſa volare in cælum* 12. 22. *convertit aquam in vinum, & acetum reſtituit vinum* 19. 10. *plures liberavit è carceribus* 22. 7. *plantavit baculum erectum in arborem* 26. 11. & *Morum, qui adbuc vegetat* 26. 12.
Franciſcus Sanctus de Paula ignem compreſſit 5. 71.
Franciſca Sancta Romana deguſtat uvas byeme pendentes ab arbore 21. 4.
Francorum Rex non miraculizat ſanando à ſtrumis 2. 67.

G

GAllus, & Gallina aſſati, renati 12. 58. *Alter gallus revocatus ad vitam per B. Franciſcum Piſaurienſem* 12. 59.

Gedeo-

Gedeonis vellus madefactum 5. 16.
Gradus miraculorum duo 1.46.
Gratia differt à miraculis 1. 32. *comprebenditur ſub Decretis, ſicut miraculum* 31.126.
Gratia gratis data pro miraculis 2. 19.
Gratiæ plenitudo ſolius Chriſti eſt 34. 84.
Gravitas, & pondus diverſa 5.23.
Gregorius Sanctus patravit miracula 2. 45.

H

HEnoc, & Elias ſunt nunc vivi in corpore 25. 15.
Herculanus præciſum caput ſibi continuavit 17.2.
Hæreticum eſt negare miracula 1. 35. *item* 14. 4. *Hæretici non faciunt miracula* 2. 68. *converſi ſunt capaces canonizationis* 34. 74.
Hernia quid 7. 46.
Hydropicus ſanatus 3. 34. *quid ſit hydropiſia* 7. 40.
Homo naturalis corruptibilis, per gratiam incorruptibilis, antequàm peccaret 25. 4. *Deus miniſterio hominis facit miracula* 1. 18.

I

JAcobus Beatus de Caſtro Plebis miraculosè ſepultus 26. 6. *item* 26. 8.
Januæ carcerum apertæ ab Angelis ſinè clavibus 22. 6.
Jejunium naturale, & eccleſiaſticum, illud poteſt eſſe miraculoſum 16. *Moyſes, & Elias jejunarunt* 40. *dies, & noctes* 16. 8. *de jejunio S. Ivonis, & S. Catharinæ* 16. 9. *Jejunus non poteſt vivere ultrà hebdomadam* 16. 10. & 11.
Ignis ſummè calidus, & infrà ſiccus 5. 51. *quomodò cruciet in inferno damnatos* 5. 65 *quomodò differat à noſtro* 5. 68. *Sanctis non nocet* 5. 69. *diviſus ſeipſo continuatur* 17. 5.
Illatio quandò ex diverſis fiat 31. 127.
Imagines ſervorum Dei non exponuntur 31. 3. & 5. *miraculosè cooperiuntur* 33. 20.
Imaginatio in Chriſto non fuit cauſa miraculorum 3. 39.
Immemorabilis quomodò probetur 31.108
Imperium non excludit cauſam moralem 2. 42.
Imperare nemo ſibi poteſt 34. 65.
Impreſſores librorum quandò ſint tranſgreſſores 31. 112. & 114.
Infantes non martyres non canonizantur 34. 79.
Infidelibus dantur miracula ad converſionem 1. 51. *converſi ſunt capaces canonizationis* 34. 71.
Infirmitas quid ſit 7. 2. *paulò poſt reverſa cenſetur eadem* 7. 32.
Inimicorum teſtimonia ſunt fide digniora 3. 3.
Inſolitum quid 1. 10.
In inſtanti fiunt quædam miracula, & quænam 1. 26. & 27. *item* 7.
Inſtrumentum quid, & quotuplex 2. 30. *ad* 33.
Joanni Damaſceno manus reſtituta 7. 54.
Joannes Papa vidit Theodoſium Imperatorem demergi in ignem Liparitanum 12. 25.
Joannes Baptiſta nullum fecit miraculum 2. 66.
Jonas puer reſuſcitatus ab Elia 12. 17.
Jordanis diviſio aquarum 5. 27.
Joſephus Eremita paſcitur hoſtia per Angelum 21. 11.
Joſue firmavit Solem, & Lunam 2. 43.
Iris arcus diſcolor non eſt opus miraculoſum 6. 30. & 31.
Judex ſupplet defectus proceſſus 31. 96. *ad* 101.
Judex miraculorum 31. 68. *ad* 80.
Ivo per hebdomadam jejunus manebat in oratione 16. 9.
Juramentum purgat ſuſpicionem affectionis in teſte 32. 31.
Juriſdictio ordinaria non ſemper delegabilis

gabilis 31. 70.
Juſtificatio impii non eſt miraculum 1. 8. 41.

L

Lamberti Sancti caput præciſum ab eo latum 17. 7.
Lapis ſuſpenſus in aqua minùs gravitat, quàm in aere 5. 37. Lapis inciſus non probat pro canonizatione 32. 3. in alio creditur 33. 33.
Latro bonus an martyr 34. 90.
Lazarus reſuſcitatus ligatus 3. 30.
Leonis Papæ miraculum 13. 24. item 30. 4.
Legatus non canonizat 34. 55.
Legere quidam didicit miraculosè 27. 6.
Leproſos undecim Chriſtus ſanavit 3. 34. cur dicantur mundari 7. 26. quid ſit lepra 7. 42.
Lex per Angelos data Moyſi 13. 14.
Liberè non poteſt agere, qui alterius conſilium requirere debet 34. 62.
Librorum de geſtis ſervorum Dei impreſſio, quomodò facienda 31. 114.
Licentiæ defectus non inficit teſtimonium à religioſo prolatum 32. 29. præſumitur in dubio 32. 30.
Lignum miraculosè vivens 20. 9.
Lingua quid ſit, & quibus componatur 9. 2.
Liquor ex oſſibus Sanctorum manans 28.
Locutio quomodò fiat 9. diſcitur per auditum 10. 10.
Loquela propria hominis 18. 6.
Loth uxor converſa in ſtatuam ſalis 19. 7.
Lucheſii Sancti caput igne non combuſtum 25. 14.
Luna ſtetit juſſu Joſue 2. 43. item 6. 4. ad 13. ejus ecclipſis 6. 3.
Luterus nullum fecit miraculum 1. 45.
Luto Jeſus illuminavit cæcum 2. 35.

M

Magi Pharaonis miraculizabant, ſed non à Deo 4. 19.
Mali faciunt miracula 2. 55. diverſo tamen modo, quo illa faciunt boni 2. 58. quia boni illuminantur, non mali 14. 16.
Manus arida vivificata 7. 53. præciſa reſtituta S. Damaſceno 7. 54.
Maris Rubri diviſio aquarum miraculoſa 5. 26.
Mariæ Virginis miracula ex imaginibus exprimendis 7. 17. Maria peperit ſinè dolore, & cur 15. 21.
Martyres canonizantur ſinè miraculis 4. 15. item 34. 91. faciliùs canonizantur 34. 92.
Martyrium delet culpam, & totam pœnam 4. 16. item 34. 87. pati debet ex bono, non malo fine 4. 17. vocatur baptiſmus 34. 88.
Matthæi B. de Gulioniſio miraculoſa ſepelitio 23. 5.
Matrimonium morte ſolvitur 12. 15.
Medico credendum 2. 21. item 7. 32.
Membra, & capilli præciſa miraculosè reſtituta 7. 54. arida vivificata 7. 53. tenentur ſequi caput 34. 69.
Mennæ Sancti miraculum 2. 36.
Meritum fidei minuunt miracula 1. 54.
Miraculum quid ſit 1. aliquandò ſecundùm naturam, contrà naturam, & præter naturam 1. 23. & 24. miraculorum duo ſunt gradus 1. 46. ſpectantur vel ſecundùm materiam, ſuper quam fiunt, vel ſecundùm operationem, per quam fiunt 1. 48. & 49. ſunt pro infidelibus 1. 51. non ſunt multiplicanda ſinè neceſſitate 1. 12. duo ſpectantur, operatio, & effectus ex ea ſequens 2. 44. aſſiduitate viluerunt 3. 27. diſpoſitiones ad miracula requiruntur 3. 15. præſertim fides 3. 16. & diſpoſitio in ſubjecto 3. 19. & 20. quandò eſt neceſſarium, ut fiant in inſtanti 1. 26. Miraculum non dicitur eſſe contrà naturam,

ram, ſed contrà ejus vires per exceſſum 15. 12. ſpectatur materialitèr, & formalitèr 33. 1. excedit vires naturæ, & ideò à ſolo Deo dicitur fieri 33. 3.
Miracula videntur, non creduntur 19. 18. Sunt ſignum ſenſibile 19. 17. ejus formale ſenſu non percipitur 32. 37. falſum non obeſt Sancto 34. 30. miracula poſt mortem tantùm neceſſaria, quandò conſtat de ſanctitate 34. 78. non ſunt neceſſaria quandò conſtat de ſanctitate 34. 81. contingunt quandoque contrà voluntatem ſanati 7. 20.
Miraculum, & Gratia diverſa ſunt 1. 32. ſub decretis utrunque ex æquo comprehenditur 31. 127.
Miſſa ſolemnis quæ dicatur 34. 6.
Mixtorum converſio unius in aliud 19. 11.
Moyſis miracula 5. 26. ad 64. Deum vidit oculis mentis, non corporis 13. 10. 11. & 18. jejunavit 40. dies, & noctes 16. 8. miraculoſæ converſiones virgæ in ſerpentes 19. 8.
Monſtrum differt à miraculo 1. 30.
Moniales teſtes in miraculis 32. 32. detegunt faciem coram Judice 32. 34.
Morbus caducus 7. 34.
Morti condemnatus liberatur miraculosè 30. 12.
Mortuos tres Chriſtus reſuſcitavit 3. 28. in reſuſcitato requiritur aliqua vitalis operatio 3. 31. & 32. mortui ſurrexerunt cum Chriſto 5. 11. defuncti tantùm beatificantur 34. 7. & 70.
Morus plantata à S. Franciſco adhuc vireſcit 26. 12.
Motus cæleſtium orbium uniformitèr nunquàm redeunt 12. 12.
Mulier curva, & fluens ſanguine ſanatur 3. 34. Muta incidentèr loquitur 2. 36.
Multiplicatio triplex in miraculis 20.
Mundus ſuo motu ad certum tempus redit ad eundem ſitum ſecundùm Platonicos 12. 9. ad 13.
Muſca an de ſe reviviſcat 12. 35.
Mutos quatuor fecit Chriſtus loqui 3. 21. de miraculoſa mutorum locutione 9.

N

Naaman lepra mundatur 7. 25. & 30.
Naturæ totiùs vires miracula excedunt 1. 13. ad 16. & 22. Naturale, & ſupernaturale differunt in ordine ad agens 1. 21.
Naſus præciſus natura, & arte reunitur 12. 29.
Navigatio periculoſa 30. 6. & 7.
Neceſſaria ſunt miracula 1. 50. item 4. Neceſſarium dicitur multis modis 4. 1. & 2.
Nicolai Sancti de Bario oleum miraculoſum 28. 2.
Notarius aſſumendus in rogandis miraculis, ubi plura de Notario 31. à num. 82. ad 91.
Nuntii non poſſunt formare proceſſus miraculorum 31. 76.

O

Obedientia activa, & paſſiva 2. 48. Obedire voci Dei quid 6. 13.
Oculorum ſtructura refertur 8.
Oleum miraculosè multiplicatum 20. 6. & 7. manans ex oſſibus Sanctorum 28.
Omnipotentia neceſſaria ad miracula 2. 3. eſt incommunicabilis creaturæ 2. 22. probatur in Deo per miracula 4. 5. non probatur per effectus naturales 4. 6.
Operationes præviæ neceſſariæ ad miracula 2. 23. & 34.
Opinio poteſt eſſe objectum canonizationis, non definitionis fidei 34. 46. & 48.
Oratio miraculis præmittitur 2. 64.
Oratoriis etiam in privatis non poſſunt retineri ſervorum Dei imagines cum radiis 31. 116.
Oſſa arida Sanctorum fluunt liquorem 28.

P

Panis multiplicatus 3. 34. *item* 20. 5.
Pannus brevis auctus 20. 8.
Papa errare non poteſt in Beatificatione, & Canonizatione ſervorum Dei 34. 25. *ad* 35. *non tenetur petere conſilium Cardinalium in arduis* 34. 56. *habet plenitudinem poteſtatis* 34 59. *& omninò liberam* 34. 61. *independentèr à quocunque* 34. 63.
Paraliſia quid 7. 38. *paralitici ſanati* 3. 34.
Pariens ſentit dolorem 15. 20. *partus periculoſi felices* 15. 20. *ad* 22.
Pauli Sancti raptus 5. 45. *ad* 47. *morſicatus à vipera non læditur* 24 6. *gratia S. Pauli an vera* 24 7.
Paulus Beatus de Ambroſiis lignum auxit 20 9.
Paulus Sanctus Eremita paſcitur à Corvo 21. 3.
Peccatores capaces Beatificationis, & Canonizationis 34. 72. *poſt pœnitentiam nullus peccator* 34. 73.
Pœnæ in Bulla de Canonizatione Sanctorum ſunt comminatoriæ 31. 109.
Perdita miraculoſè inventa 20.
Periculorum præſervatio 30.
Petro ſoli dictum Paſce oves meas 34. 57. *cæpit ambulare ſuper aquas* 5. 32. *liberatur à carcere* 22. 4.
Petri Beati de Caſtro Podii miraculoſa ſepelitio 23. 7.
Petri Beati Gondiſalvi oſſa manant liquorem 28. 3.
Petræ ſciſſæ in morte Chriſti 5. 10.
Petere miracula an peccatum 1. 34.
Philippi Benitii Beatificatio 34. 24.
Photinæ Samaritanæ venenum non nocuit 24. 4.
Phrenetici ſanantur 7. 59.
Piſcinæ aqua miraculoſa 5. 40.
Picæ gariunt, non loquuntur 18. 6.
Pius quis dicatur 33. 24.
Platonicorum error circà regreſſum orbium cœleſtium 12. 9. *ad* 13.
Plenum, cui non poteſt fieri adjectio 34. 60.
Podagra quid ſit 7. 56. *&* 57.
Pomponatii error circa cauſam miraculorum 2. 1.
Pondus in aqua minùs gravitat, quàm in aere 5. 37. *&* 42.
Pondus cadens ſinè læſione 30. 10.
Portentum, & prodigium 1. 30. *&* 33.
Poſſeſſio bonorum apud religioſos in communi eſt juſta 34 36.
Poſteà, *ideſt, altero die* 7. 31.
Potentia obedientialis quid ſit 2. 48. *ad* 54. *ubi quod non detur in miraculis non eſt ad præteritum* 12. 40.
Prædicantes miracula falſa puniuntur 31. 128. *ad* 131.
Probatio alia teſtificativa, alia judicativa 33 4 *alia directa, alia indirecta* 33. 8. *miraculum materiale probatur per directam teſtificativam, formale per indirectam judicativam* 33. 10. *&* 11. *probationes oculares, & auriculares, non præſumptivæ neceſſariæ ſunt ad Canonizationem* 32. 3.
Probationes duæ ſemiplenæ unam faciunt plenam 32. 8.
Probatur ſolùm id, quod exiſtit 33. 7.
Proceſſus in Canonizatione quomodò formandi 31. *per totum, in ſpecie à num.* 68. *ad* 81. *duplex informativus, & judicativus* 31. 78. *ille reſpicit materiale miraculorum, hic formale eorum* 33. 2.
Prodigium aliud à miraculo 1. 30. *eſt tamen miraculum* 1. 33.
Prophetia quid ſit, & an involvat rationem miraculi 14.

Q

Quaſi *ſignificat non diminutionem, ſed veritatem* 2. 2.

Rarum

R

Rarum appetibile, & pretioſum 1. 11.
Radiis pingi non poſſunt ſervi Dei 31. 3.
Regulares non poſſunt formare proceſſus ſuorum Dei ſervorum 31. 77. *recipiunt tamen relationes miraculorum* 31. 102. *non poſſunt approbare miracula, nec reliquias* 33. 21. *teſtes eſſe poſſunt miraculorum* 32. 28. *eorum teſtimonium ſinè licentia datum valet* 32. 29.
Reliquiæ Sanctorum quomodò recognoſcuntur 33. 25. *ad* 36.
Remedia ſanitatis an tollant miracula 7. 10. 12. & 30.
Reſponſis Sacræ Congregationis non autenticis diſcreditur 31. 66. & 132.
Reſurrectio mortuorum miraculoſa 12.
Rex Francorum non miraculizat ſanando à Scrofulis 2. 67.
Rochus Sanctus interpretativè canonizatus 34. 52.
Roſæ in pecunias converſa à S. Eliſabeth Portbugalliæ Regina 19. 14. *florent in byeme* 26. 9.
Ruptura miraculosè ſanatur 7. 46.

S

Sacerdos Veteris Legis judicabat cum Levitis 34. 67. *ejiciens dæmonia facit miraculum* 3. 26. & 27.
Sacramenta non fiunt inſolitè, & ideò non ſunt miracula 1. 12.
Samarita vocatur Photina 24. 4.
Samuel reſuſcitatus à Deo 13. 18. & 19. *filius Annæ ſterilis* 15. 15.
Sancti faciunt miracula 2. 18. *exaudiuntur à Deo* 2. 47. *præſciunt illa antequàm faciant* 2. 65. *agunt illa in ſubjectum à ſe diſtans* 2. 38. & 61. *quomodò poſſunt facere majora miracula, quæ non fecit Chriſtus* 3. 9. *Sancti non fiunt, ſed declarantur* 34. 9. *quomodò corpora Sanctorum venerantur, & animæ eorum cruciantur* 34. 31. *Veteris Legis Sancti poſſunt canonizari* 34. 80.
Sanguinis à fluxu liberatur mulier 3. 34. *item* 7. 11. & 48. *cur Chriſtus voluit hoc miraculum manifeſtari* 3. 35.
Sanitas quid ſit 7. 1. *ſanatio miraculoſa requirit ſex conditiones* 7. 5. *debet eſſe tota ſimul, & in inſtanti* 7. 13. *ſanatus debet facere aliquod opus* 7. 15. *ſupponitur invocatio Sanctorum* 7. 16. & *ſinè invocatione* 7. 18. *imò contrà voluntatem ſanati* 7. 20. & 21. *in dubio cenſetur gratia* 7. 33.
Sara ſterilis parit Iſaac 15. 13.
Saxa, lapides, & petræ ſciſſæ in morte Domini 5. 10.
Scientia infuſa 27.
Scribere ſinè labore miraculosè 27. 6.
Scripturæ in lapide creditur 33. 33. *non tamen in ordine ad Canonizationem* 32. 3.
Sepultura ſervis Dei miraculosè data 27. *mos ſepeliendi natus cum ipſa morte* 23. 1. *eſt de jure naturæ ſepellire* 23. 2.
Servorũ Dei decreta de Beatificatione 31. *quid poſſint, vel non poſſint fideles circà eorum cultum* 31. 116. *ad* 123.
Signum eſt de ratione miraculi 1. 4. *triplex* 1. 6. *aliud ſignum miraculorum, aliud Sacramentorum* 1. 7. *ſigna ſunt infidelium* 1. 43.
Sinapis grano comparatur fides 1. 37.
Socrus Simonis ſanatur 7. 51.
Sol, & Luna ſteterunt verbo Joſue 2. 43. *latiùs* 6. 4. *obſcurati in morte Chriſti* 5. 12. *ad* 14. *item* 6. 25. *Sol, & Luna à Deo creati, quatuor de illis ſunt credenda* 6. 2. *quomodò ecclipſantur* 6. 3. *retroceſſit tempore Ezechiæ* 6. 14. & *in alio caſu* 6. 26. *tres Soles ter viſi* 6. 27.
Solemnitas Canonizationis 34. 5. *in miſſa quid ſit* 34. 6.
Sonus quid, & quotuplex 18. 1. *quomodò formetur* 18. 4.
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas 5. 30.

Spes an neceſſaria ad miraculizandum 1. 40.
Stanislai Sancti miraculum 12. 57. *ejus ſacrum corpus conciſum reunitur* 17. 6.
Stella Magorum miraculoſa 5. 50.
Steriles fœminæ miraculosè concipientes, quid ſit ſterilitas 15.
Supernaturale, & naturale differunt 1. 21.
Surdorum miraculoſa liberatio 10. 6. *natus ſurdus eſt etiam mutus* 10. 9. *Surdaſter liberatur naturalitèr* 10. 8.
Svviberti Epiſcopi Colonienſis canonizatio 34. 17.

T

TEmplum Salomon's reædificandum in fine mundi 2 13.
Temperamentum ad pondus non datur 3. 38.
Tempus non ſemper menſuratur motu cœli 6. 12.
Tentationes poſſunt ſuperari 30. 14.
Terra immobilis 5. 5. *ad* 8. *mota miraculosè, & obtenebrata in morte Chriſti* 5. 8. & 9.
Teſtes in cauſa miraculorum 32. *obſcuri repetuntur* 31. 99.
Teſtimonium hominis poteſt eſſe fallax 34. 28.
Theodoricus impius Imperator in ignem Liparitanum præcipitatus 12 25.
Theocletus aliàs Lampadius Magus converſus ad fidem 24 5.
Theologi conſulunt Epiſcopo in recognitione miraculorum, & reliquiarum 33. 22. *ad* 24.
Timotheus cur non fuit ſanatus 1. 53.
Titulo cuique reſpondet proprius textus 38. 17. & *ab eo ſumitur deciſio quæſtionis* 33. 18.
Torelli Beati de Caſtro Pupii miraculoſa ſepelitio 23. 8.
Torturatus ſinè dolore 30. 11.
Transfiguratio Chriſti miraculoſa 20. 10.
Tridentinum de recognitione miraculorum 33. 15. *ad* 30.

V

VEllus Gedeonis madefactum 5. 16.
Veneni non nocentis miracula 24.
Verberatus ſinè dolore 30. 11.
Ugonis Epiſcopi Gratianapolitani Canonizatio 34 20.
Vinum convertit in ſe aquam 19. 12.
Virginem parere eſt contrà naturam 1. 25.
Vires in geſtante pondus menſurantur ab eo 1. 15.
Virtus infinita ad miraculizandum 1. 18. *item* 2. 3. & 22. *hæc virtus quid ſit* 2. 20. *ad* 40. *fundatur in pacto* 2. 46.
Virtus exiens à Chriſto erant ipſa miracula 2. 41. *item* 3. 37.
Virtutes Theologicæ augentur ſinè miraculo 20. 11.
Vita hominis non poteſt durare ultrà 120. *annos* 25. 17.
Ulcerum miraculoſa ſanatio 6. 19. *item* 7. 44.
Uldarici Epiſcopi Auguſtani Canonizatio 34. 18.
Unio hypoſtatica non eſt cauſa miraculorum 3 4. *ipſa non eſt miraculum* 1. 18.
Vox quid, & quotuplex 18. *à num.* 1. *ad* 14. *Vitalis quænam ſit* 18. 11.
Vox audita in nube 18 12. *in baptiſmo, & Transfiguratione Domini* 18. 13.

MULIER

MULIER

Probatur, quòd ſit homo particeps Paſſionis Chriſti, & ſalutis æternæ.

1 *AUctor libelli hæretici.*
2 *Mulier non eſt homo, nova hæreſis.*
3 *Aliæ duæ hæreſes indè colliguntur, quòd non ſit capax Paſſionis Chriſti, & vitæ æternæ.*
4 Creavit Deus hominem, *ideſt, Adam, & Evam.*
5 Animæ hominum ſexus fœminei.
6 Filius hominis, *ideſt, Chriſtus Filius Virginis.*
7 Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.
8 *Maſculus, & fœmina creati ad imaginem Dei.*
9 *Adjutorium datum ad generationem tantùm.*
10 *Mulier activè concurrit cum viro ad generationem.*
11 Homo *aliquandò pro utroque, aliquandò pro maſculi tantùm.*
12 *Auguſtinus hominem vocat etiam fœminam.*
13 *Plautus, & Cicero, & Sulpitius fœminam vocant hominem.*
14 Homo *generis maſculini, & fœminini apud Grammaticos.*
15 *Jus Canonicum, & Civile mulierem vocant hominem.*
16 *Maſculinum concipit fœmininum.*
17 *Maſculus, & fœmina conſtant anima rationali, & ideò ſunt homo.*
18 *Ea eſt forma eſſentialis corporis humani, de fide.*
19 *Anima rationalis in fœminis probatur ex Scriptura.*
20 *Octo animæ in Arca ſalvatæ.*
21 Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.
22 *Paſſus eſt Chriſtus etiam pro mulieribus.*
23 *Reſurgent fœminæ in ſuo ſexu.*
24 *Peccatrices numerantur in genealogia Chriſti.*
25 *Salutis æternæ ſunt capaces.*
26 Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
27 *Propoſitio univerſalis majoris efficaciæ indefinita.*
28 Deus vult omnes homines ſalvos fieri.
29 *Voluntas antecedens quid?*
30 *Mulieres Sanctæ ſcriptæ ſunt in libro vitæ. Miniſtræ Evangelii.*
31 *Cohæredes ſunt gratiæ vitæ.*
32 Memento *in Miſſa etiam pro fœminis.*
33 *Commune officium Virginum, & Mulierum.*
34 *Argumentum* 1. *Adverſarii.*
35 *Hæreſis ubique talis eſt.*
36 *Nullibi doceri poteſt.*
37 *Prohibita jure naturali, & divino.*
38 *Ex una ſequitur alia, & caudas habent colligatas.*
39 *Argumentum* 2.
40 *Hæreſim graviſſimum delictum.*
41 *Interpretatio vera reperitur ſolùm in Eccleſia Catholica.*
42 *Argumentum* 3.
43 *Qui ſe dicit dignum minori pœna, fatetur ſe dignum majori.*
44 *Credenda ſunt etiam non expreſſa in Scripturis.*
45 *Obſcura continet Scriptura.*
46 *De fide aliquid eſt, licèt non expreſſum libris Canonicis.*
47 *Genus hominum, ideſt, ſpecies hominum.*
48 *Exempla Scripturæ.*

49 *Generis nomine venit ſpecies.*
50 *Argumentum* 4.
51 *Nihil addendum Sacræ Scripturæ.*
52 *Scriptura eſt norma intelligendi verbum Dei.*
53 *Nil addendum, quòd corrumpat verum ſenſum.*
54 *Declaratio nihil de novo ponit.*
55 *Argumentum* 5.
56 *Anabaptiſtarum hæreſis.*
57 *Argumentum* 6.
58 *Magdalenam Chriſtus cognovit hominem.*
59 *Argumentum* 7.
60 Faciamus adjutorium ſimile ſibi.
61 *Inter diverſas ſpecies non datur ſimilitudo.*
62 *Argumentum* 8.
63 *Adjutorium fuit ſola Eva, ad generandum.*
64 Poſſedi hominem per Deum.
65 Per, *ſignificat cauſam efficientem.*
66 *Cain, & Abel non ſunt gemelli.*
67 Rurſum, *importat ſucceſſionem temporis.*
68 *Argumentum* 9.
69 *Effectus artis alter ab effectu naturæ.*
70 *Generatio viventis quid?*
71 *Cauſa principalis, & inſtrumentalis quid ſit.*
72 *Argumentum* 10.
73 Simile ſibi, *importat ſubſtantiam.*
74 *Generatio univoca quid?*
75 Simile ſibi *refertur ad ſubſtantiam eandem.*
76 Factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, *exponitur.*
77 *Imago aſſimilatur ei, cujus eſt imago.*
78 *Mulier eſt imago Dei, ſicut vir.*
79 *Adjutorium non dicit famulum.*
80 *Uxor non dicitur ſerva, ſed ſocia mariti.*
81 Nube pari.
82 *Argumentum* 11.
83 *Deitatem in Chriſto negant hæretici.*
84 *Argumentum* 12.
85 Faciamus hominem *exponitur.*
86 *Argumentum* 13.
87 *Mulier deturpat caput ſuum orando non velato capite.*
88 *Cur debeat velare caput?*
89 *Imago Dei eſt mulier.*
90 *Peccatum facit deturpare imaginem Dei in homine.*
91 *Argumentum* 14.
92 *Adam, & Eva ambo peccarunt, ſed diverſimodè.*
93 *Adam ſolus debebat nobis conſervare juſtitiam.*
94 *Mori in Eva, & per Evam quid?*
95 Per, *notat cauſam efficientem.*
96 *Eva peccante ſola, poſteri non haberent peccatum originale.*
97 *Utroque peccante, non fuiſſent neceſſarii duo Redemptores.*
98 *Argumentum* 15.
99 Per unum hominem mors intravit: *exponitur.*
100 *Iterum explicatur, in viro eſt mulier.*
101 *Eva cauſa peccati Adami, non originalis.*
102 *Adam dominatur Evæ, & beſtiis cum ea.*
103 *Argumentum* 16.
104 *Eva homo eſt ex Sacris Scripturis.*
105 *Erunt duo in carne una, ideſt, unus homo.*
106 *Caro, ideſt, homo.*
107 *Plures homines ſingulares homo ſpecie. Trinitas una ſingularis eſſentia.*
108 *Argumentum* 17.
109 Tulliola homo nata, *exponitur.*
110 *Argumentum* 18.
111 *Fœmina etiam dicitur facta de humo, & terra.*
112 *Argumentum* 19.
113 *Eva ſeducta, non Adam.*
114 *Argumentum* 20.
115 *Cananeæ hiſtoria.*
116 Non ſum miſſus niſi ad oves Iſrael.

Miſſus

117 *Miſſus etiam pro Gentilibus*.
118 Quia tu caſtigaſti me, ſalvaſti me.
119 *Argumentum* 21.
120 *Cananea canis ex officio, non natura.*
121 Non eſt bonum ſumere panem filiorum.
122 *Argumentum* 22.
123 *Cananea canis ſimilitudinariè dicta.*
124 *Canes latrant contrà eos, qui ſunt incogniti illis.*
125 *Canes ſunt fideles patrono.*
126 *Cananea dicitur canis à Cain principio Gentilium.*
127 *Cananea digna non ſolùm micis, ſed etiam pane.*
128 Panis *nomine venit prædicatio Evangelii.*
129 *Micæ ſunt panis contritus cum eo ejuſdem ſubſtantiæ.*
130 *Magdalenæ contritio, & humilitas.*
131 *Argumentum* 23.
132 *Cananeæ filia liberata propter magnam fidem.*
133 *Dæmones verè corpora humana vexant.*
134 *Argumentum* 24.
135 *Chriſtus dando ſanitatem corporis, conferebat etiam animæ.*
136 *Miracula ſupponunt fidem in liberata.*
137 *Magdalena ſanata in corpore, & anima.*
138 Fides tua te ſalvam fecit, te ſalvavit, *idem*.
139 *Cananeæ filia ſanata* ex illa hora.
140 *Prædeſtinationis tres actus.*
141 *Cananeæ filia ſanata* ex illa hora.
142 *In principio, ideſt, ab æternitate.*
143 *In principio erat Verbum.*
144 *Mulier capax gratiæ.*
145 *Argumentum* 25.
146 *Fides communis maſculis, & fœminis.*
147 Qui crediderit &c. ſalvus erit.
148 *Fides dæmonum eſt naturalis.*
149 *Fides juſtificationis una eſt.*
150 *Fides ex objecto alia Hiſtoriæ, alia miraculorum, alia promiſſionis.*
151 Salvabitur mulier per generationem filiorum.
152 *Peccatum non deſtruit naturam, ſed deturpat.*
153 *Baptiſma confertur infantibus.*
154 *Argumentum* 26.
155 *Mirabantur Diſcipuli de Chriſto loquente cum Samaritana.*
156 *Magdalena non fimbriam, ſed pedes Domini tetigit.*
157 *Fluxum ſanguinis patiens tetigit ſolùm fimbriam, & cur?*
158 *Mulieribus non negavit tactum boboneſtum ſui corporis.*
159 *Sanavit mulieres non in opprobrium hominum, ſed quia credebant.*
160 *Fides transfert montes.*
161 *Non inveni tantam fidem in Iſrael.*
162 *Centurio erat Gentilis.*
163 *Medicus noſter Chriſtus eſt.*
164 *Fides Chriſti neceſſaria, incipit à Deo in nobis.*
165 *Argumentum* 26.
166 *Mulieres ex Adam ortæ.*
167 *Generationum deſcendentia ad Adam narratur.*
168 *Abram, & Sarai mutatur nomen.*
169 *In genealogia cur fœminæ non nominantur?*
170 *Fœminæ pariunt filios de familia mariti, non ſui patris.*
171 *Fœminæ cur nominentur in genealogia Chriſti.*
172 *Primogenitæ nomen etiam fœminis tribuit Scriptura.*
173 *Primogenitus, qui aperit vulvam.*
174 *Genealogia Chriſti recenſetur per maſculos, & cur?*
175 *Argumentum* 27.
176 *Mulier odioſa viro nulla ſterilis.*
177 *Mulieres ſteriles ex gratia Dei fœcundæ numerantur.*
178 Fides ſinè operibus mortua eſt.
179 *Argumentum* 28.
180 Salvari *refertur magis ad ſalutē animæ.*

181 Væ vobis prægnantibus &c.
182 *Argumentum 29.*
183 *Mulieribus remittuntur peccata, & non tantùm maſculis.*
184 *Peccata eodem modo remittuntur fœminis, quo maſculis.*
185 *Præceptum de non edendo ligno factum Adamo, & Evæ.*
186 *Diverſimodè tamen.*
187 *Adam, ideſt, homo.*
188 *Lex ſemper loquitur.*
189 *Eva poſt peccatum vocata fuit à Deo.*
190 *Adam non fuit ſeductus, ſed Eva à ſerpente.*
191 *Deus utrunque vocavit, & punivit.*
192 *Adam ſibi, & nobis peccavit, Eva ſibi tantùm.*
193 *Circunciſio eſt pro ſolis maſculis.*
194 *Circunciſio delet peccatum originale.*
195 *Mulieribus datum erat aliud remedium.*
196 *Circuncifio fuit data non in pœnam, ſed in remedium.*
197 *Adam non peccante, potuiſſent homines peccare.*
198 *Argumentum 31.*
199 *Peccatum eſt voluntaria legis transgreſſio etiam in fœminis.*
200 *Beſtiæ non ſunt capaces peccati.*
201 *Dæmones cur vexent homines?*
202 *Dæmones cur miſſi in porcos?*
203 *Mediator Dei, & hominum Chriſtus etiam pro mulieribus.*
204 *Mulieres condemnatæ pro ſuis peccatis.*
205 *Argumentum 32.*
206 *Tactu pervenitur ad commeſtionem.*
207 *Præceptum de non comedendo pomum fuit utrique commune.*
208 *Mors duplex animæ, & corporis.*
209 *Utranque Deus comminatus fuit edentibus.*
210 *Adam immortalis ſupernaturalitèr.*
211 *Serpens maledictus fuit à Deo.*
212 *Diabolus in ſerpente latebat.*
213 *Mulier pareret ſinè dolore, ſi non peccaſſet.*
214 *Animalia punita propter hominem.*
215 *Argumentum 33.*
216 *Benedicuntur mulieres propter earum bona opera.*
217 *Rachel uxor Jacobi.*
218 *Rebecca uxor Iſaac.*
219 *Rahab meretrix.*
220 *Jahel uxor Heber.*
221 *Judith præcidit caput Holophernis.*
222 *Argumentum 34.*
223 *Inceſtus filiarum Loth.*
224 *Moabitæ originem trahunt ab eo inceſtu.*
225 *Thamar cum Juda ejus nuru inceſtus.*
226 *Adultera cur non punita à Chriſto?*
227 *Meretrices adulteræ puniuntur legibus.*
228 *Admirabantur Phariſæi quia Chriſtus remittebat peccata.*
229 *Orationem Dominicam Chriſtus docuit pro omnibus.*
230 *Oratio Dominica explicatur à S. Auguſtino.*
231 *Argumentum 35.*
232 *Pueros ducebant ad Chriſtum, non lactentes.*
233 *Cur Apoſtoli non ſinebant eos duci ad Chriſtum.*
234 *Argumentum 36.*
235 *Sadducæorum error, negantium reſurrectionem.*
236 *Matrimonii uſus in cœlo non erit.*
237 Nubere, & nubi, *differentia.*
238 *Matrimonium morte ſolvitur.*
239 *Beati comparantur Angelis.*
240 *Mulieres in ſuo ſexu reſurgent.*
241 *Argumentum 37.*
242 *Maria vera mater Chriſti.*
243 Quæ eſt mater mea? *exponitur.*
244 *Maria homo per gratiam, non natura, inquit hæreticus.*
245 *Maria per naturam eſt homo.*
246 *Prius eſt aliquid eſſe per naturam, quàm per gratiam.*
247 *Naturalitèr tale quid dicatur?*
248 *Deus creator naturæ, & redemptor gratiæ.*

Chri-

Digitized by Google

249 *Chriſtus Deus eſt naturalitèr, non per gratiam.*
250 *Chriſtus ſpectatur tribus modis.*
251 *Benedicuntur à Deo omnes creaturæ.*
252 Benedicta tu in mulieribus, *exponitur.*
253 *Maria dicitur homo, quo ad functiones, rejicitur.*
254 *Animal generat ſibi ſimile in ſpecie.*
255 *Argumentum* 38.
256 Beatus venter, qui te portavit.
257 Quinimò *ampliat.*
258 Beati, qui audiunt verbum Dei.
259 *Argumentum* 39.
260 *Velatio capitis mulierum non indicat earum turpitudinem.*
261 Vidua in deliciis vivens, mortua eſt.
262 *Argumentum* 40.
263 *Baptizati Chriſtum induunt.*
264 *Baptiſmus in fide Chriſti ſalvat, non lex.*
265 *Argumentum* 41.
266 *Sponſa Chriſti una caro cum ipſo.*
267 *Deſertio uxorum non præcipitur.*
268 Si quis venit ad me, & non odit uxorem.
269 *Carnem ſuam nemo odio habet.*
270 *Apoſtoli uxores ſuas non cognoverunt.*
271 *Virginitas Deo placet, matrimonium non diſplicet.*
272 *Bonum eſt homini non tangere mulierem.*
273 *Tactus ordinatur ad copulam.*
274 *Argumentum* 42.
275 Mulier cum parit, triſtitiam habet &c.
276 *Ariſtoteles, & Plato vocant mulierem brutum quoad imperfectiones*
277 *Salvabitur per filiorum generationem.*
278 Filiorum *nomine veniunt filiæ.*
279 *Bonæ vocantur mulieres in Sacra Scriptura.*
280 *Argumentum* 43.
281 *Filia Archiſynagogi mortua reſuſcitatur.*
282 *Spiritus, ſeù ſpiraculum idem eſt, quod anima.*
283 *Mors ſeparatio animæ à corpore, cui reſtituitur per reſurrectionem.*
284 *Puella illa reverà erat mortua.*
285 *Dormitio duplex, ſomni, & mortis.*
286 *Prohibuit, ne manifeſtaretur reſurrectio puellæ, & cur?*
287 *Adoleſcentis reſurrectio non prohibetur, ſicut puellæ manifeſtatio.*
288 Noli vexare illum, *cur dixit hoc Archiſynagogus?*
289 *Animam habent fœminæ.*
290 *Animæ octo ſalvatæ in Arca Noe.*
291 *Reſurrectio fœminarum probatur.*
292 Omnis *dictio neminem excludit.*
293 *Sanctus Germanus Aſinum non ſuſcitavit.*
294 *Argumentum* 44.
295 *Chriſtus Deus eſt.*
296 *Colligitur ex Scripturis:*
297 *Argumentum* 45.
298 *Infantes baptizantur.*
299 *Communio ſacra etiam mulieribus datur.*
300 *Scriptura de baptiſmo omnium.*
301 *Chriſtus baptizabat.*
302 *Diſcipuli baptizabant.*
303 *Communio ſacra datur fœminis.*
304 *Fractio panis refertur ad Sacram Communionem.*
305 *Argumentum ab uno ad aliud Sacramentum valet.*
306 *Baptiſmus, & Sacra Communio in multis conveniunt.*
307 *Baptiſmus fundamentum, & janua aliorum Sacramentorum.*
308 *Baptiſmus, & Communio, medicina peccatorum.*
309 *Argumentum* 46.
310 *Campanæ, & cætera inſenſata non dicuntur baptizari, ſed conſe-*

conſecrari, aut benedici.
311 *Baptiſmi præceptum etiam fœminas afficit.*
312 Si quis *comprehendit fœminas.*
313 *Argumentum* 47.
314 *Circumciſio eſt pro maſculis, pro fœminis aliud remedium.*
315 Docete omnes gentes &c.
316 *Circumciſio præcepta fuit in lege veteri.*
317 *Chriſtus eam non præcepit.*
318 *Paulus cur circumcidit Timotheum.*
319 *Legalia ceſſaverunt in morte Chriſti.*
320 *Timotheus ex Gentili circumciſus, & poſteà baptizatus.*
321 *Argumentum* 48.
322 *Paulus cur dixit, ſe paucos baptizaſſe?*
323 *Paulus dicit ſe miſſum ad prædicandum, non ad baptizandum.*
324 *Cur hoc? quia major ſcientia, & prudentia in illo, quàm in hoc.*
325 *Exemplis, ſed legibus judicandum, exponitur.*
326 *Argumentum* 49.
327 *Bruta cognoverunt ſuum Creatorem.*
328 *Brutis non dicitur apparviſſe Chriſtus, ſicut mulieribus.*
329 *Populus quid ſit?*
330 *Mulieribus cur primò Chriſtus reſurgens apparvit.*
331 *Mulieres jure divino non prohibentur eſſe teſtes.*
332 *Neque jure Cæſareo, aut Pontificio maximè in civilibus.*
333 *Thomas credidit reſurrectionem Chriſti, poſtquàm vidit.*
334 *Incredulitas ejus nobis profuit.*
335 *Reſurrectionem mulieres, & diſcipuli non poterant credere, antequàm inſtruerentur, & de illa illuminarentur.*
336 *Mariæ matri Chriſtus poſt reſurrectionem primò apparvit.*
337 *Mariæ aliæ, quibus appar vit, erant tres.*
338 Noli me tangere, *cur id dixit Magdalenæ.*
339 *Fides meritum non habet, cui humana ratio præbet experimentum.*
340 *Argumentum* 50.
341 *Contrà negantes principia arguitur in opprobrium adverſariorum.*
342 *Animam eandem habet mulier, quàm maſculus, multis probatur.*
343 *Homo dicitur per unionem animæ corpori.*
344 *Aves propriè non loquuntur, ſed garriunt.*
345 *Loqui propriè quid ſit?*
346 *Loquax quis dicatur.*
347 *Pſitaci, Corvi, & Picæ imitantur vocem humanam.*
348 *Aſina Balaam locuta fuit, Deo jubente.*
349 *Mulieres cur prohibentur docere in Eccleſia?*
350 *Prohibitiones non fiunt brutis, ſed ratione utentibus.*
351 *Officia publica prohibentur mulieribus, & cur?*
352 *Prohibitio non fit brutis, & inſenſatis.*
353 *Regina domina habet etiam juriſdictionem.*
354 *Argumentum* 51.
355 *Angeli non habent animam.*
356 *Angeli differunt ſpecie ab homine.*
357 *Angeli non diſcurrunt.*
358 *In Chriſto quomodò inhabitat plenitudo divinitatis.*
359 *Tribus modis eidem inhabitat.*
360 *Ebionitæ negant Chriſto divinitatem.*
361 *Hoſio Cardinali impingit, quod bruta habeant animam rationalem.*
362 *Brutis tribuit animam rationalem.*
363 *A Brutis homo diſcere poteſt, non doceri.*
364 *Quare Apoſtoli debuerunt eſſe prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ?*
365 *Cognitio Dei ergà hominem hunc producit*

producit in eſſe, non conſtituit.
366 Homo conſtituitur per materiam, & formam, genus, & differentiam.
367 Cognitio hominis ad Deum non creat hominem.
368 Mulier diſcit non ſolùm à viro, ſed etiam ab alia muliere.
369 Argumentum 52.
370 Simile generat ſibi ſimile.
371 Pater generat ſibi ſimile.
372 Patri magis placet generatio maſculi, quàm fœminæ, natura tamen utrunque æquè intendit.
373 Mulus ex aſino, & equa naſcitur.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google